SUMMA THEOLOGIAE TRIPARTITA. DE DEO, REBUSQUE DIUINIS AC...

Eustachius : a Sancto Paulo,
Giovanni Battista Coccini

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTOR EMANUELE
6
30 B
1

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

4 8. 3. 14.

48 48
E E
16 21

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

SVMMA THEOLOGIÆ TRIPARTITA.

DE DEO, REBVSQVE DIVINIS AC SVPERNATVRALIBVS.

AVTHORE Fr. EVSTACHIO A SANCTO PAVLO, *ex congregatione Fulienſi, Ordinis Ciſtercienſis.*

TOMVS PRIMVS

Primam Partem huius Summæ continens.

Generalem totius operis partitionem ſequens pagina indicabit.

Biblio. Secr. Coll. Rom. Soc. Jesu



PARISIIS,
Apud CAROLVM CHASTELAIN, via Iacobæa, ſub ſigno Conſtantiæ.

Ex Legato Illustriss: Foscini.

CIↃ IↃC XIII.
Cum Priuilegio Chriſtianiſſ. Maieſt.

Huius Summæ Theologicæ partes tres.

Prima pars, de Deo increato tum ſecundum ſe vt Vno ac Trino, cum in ordine ad Creaturas ſeu vt Creatore vbi etiam de creatura præſertim rationali, Angelo nempe & homine.

Secunda pars, de Deo incarnato ſeu Chriſto Redemptore ac Mediatore, vbi de ipſius Lege ac legis præuaricatione ſeu de peccatis.

Tertia pars, de Mediis ſupernaturalibus tum internis cum externis quibus rationalis creatura per Chriſtum iuſtificantem ad Deum glorificantem reuertitur: Cui ſubiungitur Appendix de Nouiſſimis.

Digitized by Google

REVERENDISSMO IN CHRISTO PATRI D. D. HENRICO DE GONDI, Pariſienſi Epiſcopo, ac Regi à ſecretioribus Conſiliis.

FR. EVSTACHIVS A SANCTO PAVLO, Pariſinus, Congregationis B. MARIÆ Fulienſis Monachus, S.

QVOD mihi hactenus frequens in votis fuit (Illuſtriſſime Præſul) vt tibi perpetuæ merè in te obſeruantiæ teſtificationem aliquam exhiberem, idipſum diuinâ aſpirante gratiâ tandem conceſſum eſt. Cùm enim præteritis hiſce annis grauiſſimorum ac doctiſſimorum virorum hortatu confecto Opere noſtro Philoſophico quaſi quodã ad Theologiam Apparatu ad iſtud opus Theologicũ haud abſimili, breui nempe ac facili ſtylo cõficiendum manum admouiſſem, contigit tandem vt prima huius Operis tripartiti pars ad exitum perduceretur: quam vt typis

quamprimum mandari non expectatis reliquis duabus partibus curarē, viri quoque graues ac eruditi ſuaſerunt. Vt igitur iſtud conſilij apud me cœptū eſt, nō multū diuque hæſi quo fautore ac tutore tenerrimus adhuc iſte noſter fœtus in apertum prodiret, ne procacibus zoilorum linguis diſcerptus vix inſpectâ luce peſſundaretur, ac malè periret. Tu enim vltrò ſtatim occurriſti (Antiſtes Reuerendiſsime) cuius nobilitatis, pietatis, ac dignitatis ſplendor huic opuſculo præfulgens lippientes inuidorum oculos illicò poſsit perſtringere: cuiuſque ſola (quæ ſumma eſt apud omnes præſertim huius florentiſsimi Regni Magnates) authoritas, hoſtiles quoſque maleuolorum inſultus momento poſsit infringere.

Et ſanè non potui quin pari ratione quâ olim ſapientiori tripodem aureum ex mari expiſcatū offerri monuerat oraculum, ſic tibi ſapientiſsimo ac prudentiſsimo totius orbis populoſiſsimæ ciuitatis Antiſtiti iſtum ex voto offerrem diuinæ ſapientiæ tripodem; Opus (inquam) Theologiæ tripartitum, quòd ſi ad ſubiectam ipſi materiem non ad authorem ſpectes, verè aureum poſsis appellare, non quidem de meo tenuiſsimo exprōptum penu, nonnullo tamen meo labore ex immenſo doctiſsimorum Theologorum ac

præſertim cæterorum omnium Coryphæi Diui Thomæ Aquinatis Oceano velut expiſcatum.

In id præterea me impulit ſingularis illa humanitas quâ omnes bonos ac præſertim Religioſos qui creditam tibi à Domino vineam piis ſuis laboribus excolere cupiunt, veluti toto dilatati cordis affectu complecteris: In quorum numero & nos Diui Bernardi clariſſimi totius Eccleſiæ Catholicæ ac præſertim noſtræ Gallicanæ ſideris qualescunque diſcipulos tui certè obſeruantiſſimos atque amantiſſimos à te haberi gaudeo, & gratulor: Ita ut non immeritò forſan illud Pſalmiſtæ poſſimus vſurpare, Et nos filii tui ſicut nouellæ oliuarũ in circuitu mẽſæ tuæ. *Nouellæ quidem plantationes in iuuentute noſtra & quaſi noui palmites, non niſi tamen de veteri trunco fructiferæ illius oliuæ Sanctiſſimi nempe parentis noſtri Bernardi, de cuius radice & pinguedine nõnihil exſugimus quod in tuum dilectiſſimũ gregem nõ prorſus, vt opinor, infructuoſe refundimus: eſtque adhuc quod ſperes nouellam hanc (vt ita loquar) Beatæ Mariæ Fulienſis plantationem inſigni Eccleſiæ Pariſienſi cui meritò præes, magis ac magis in dies te rigante, ac Domino incrementum dante profuturam.*

Atque huius ſolennis noſtræ ſponſionis pignus iſtud accipe, hunc, inquam, noſtri in te ſtudii ac obſequii fœtum tibi ſincerâ fide cõcreditum, quem qua ſoles benignitate, oro tuere, illuſtra, amplectere. Lucem etſi aliunde fœtus iſte noſter mutuari potuiſſet, à ſplẽdore tamen tuo potiſſimũ efflagitat, auetque tuâ gloriâ celebrior, nomineque tuo fulgidior in lectorum manus euolare. Inſpira ergo illam, meque, vel potius Congregationẽ noſtram iſtud munuſculum quantulumcunque eſt tibi meis manibus offerentem perenni clientelæ ac patrocinij tui præſidio foue ac tuere. Interim dum Paſtorem magnum animarum Chriſtum Dominum enixè rogabimus, vt te ſub ipſo conſtitutum Paſtorem Eccleſiæ ſuæ incolumem diu ſeruet ac tueatur. Vale.

E noſtro Monaſterio D. BERNARDI Pariſiis 10. Calend. Maii Anno Domini. 1613.

INDEX PER ORDINEM eorum quæ in hac prima Summæ Theologicæ parte in quinque tracta- tus diuiſæ, nempe De Deo vt Vno, De Deo vt Trino, De Deo vt creato- re, De Angelis & de homine cõſtinẽ- tur. Vbi numerus paginam indicat.

PRæfatio in vniuerſum hoc opus Theologicum ad Lectorem. 1
Quæſtiones proœmiales de ipſa Theologia. 8
Præfatio. ibid.
Quid ſit Theologia, an verè dicatur ſcientia. 8 Qv. I.
Quodnam ſit obiectum Theologiæ. 14 Qv. II.
An Theologia ſit Theoretica vel practica. 20 Qv. III.
An Theologia aliis ſcientiis præſtet. 21 Qv. IIII.
An Theologia ſit ad ſalutem neceſſaria. 25 Qv. V.
Quænam ſint principia Theologiæ, & quomodo illis vtatur. 29 Qv. VI.

Prima pars Summæ Theologicæ: de Deo increato, tum ſecundum ſe, tum vt eſt principium creaturarum. 42
Præfatio. 43
Tractatus primus, de Deo vt vno, ſeu de attributis diuinis. 45
Prima Diſputatio de Exiſtentia Dei. 48

Digitized by Google

QV. I. *An Deum eſſe, ſit per ſe notum.* ibid.
QV. II. *An ratione naturali demonſtrari poßit Deum eſſe.* 51.
QV. III. *Quibus rationibus demonſtretur euidenter Deum eſſe.* 53.
Secunda Diſputatio, de ſimplicitate Dei. 56.
QV. I. *An Deus careat compoſitione ſubſtantiali ex materia & forma.* 57
QV. II. *An Deus careat compoſitione ex natura & ſuppoſito.* 60.
QV. III. *An Deus careat compoſitione ex eſſentia & exiſtentia.* 62.
QV. IIII. *An Deus careat compoſitione ſubſtantiali ex genere & differentia.* 64
QV. V. *An Deus careat omni compoſitione accidentali.* 66
QV. VI. *An inter attributa diuina ſit aliqua diſtinctio, ac proinde ex ipſis aliqua compoſitio.* 68
QV. VII. *An Deus ſit omnino ſimplex.* 68
QV. VIII *An Deus poßit in aliorum compoſitionem venire.* 73
Tertia Diſputatio, de Perfectione Dei. 75
QV. I. *An Deus ſit perfectus* ibid
QV. II. *An in Deo ſint rerum omnium perfectiones, & quomodo* 77
Quarta Diſputatio, de Bonitate Dei. 81
QV. I. *An & quomodo Deus dicatur bonus.* ibid
QV. II. *An ſoli Deo competat eſſe bonum per eſſentiam.* 84.
QV. III. *An omnia ſint bona bonitate diuina.* 86
Quinta Diſputatio de infinitate Dei. 87
QV. I. *An Deus ſit infinitus.* ibid.
QV. II. *An aliquid præter Deum poſit eſſe infinitum.* 90
QV. III. *An Deus ſit in omnibus rebus.* 92
QV. IV. *An & quomodo Deus ſit vbique.* 95
QV. V. *An eſſe vbique ſit proprium ſolius Dei.* 99
Sexta Diſputatio, de immutabilitate Dei. ibid.

An Deus ſit omnino immutabilis. 100 Qv. I.
An ſit proprium Dei vllo modo mutari poſſe. 101 Qv. II.
Septima Diſputatio, de Æternitate Dei. 103
Quid ſit æternitas, & quomodo differat ab æuo & tempore. ibid. Qv. I.
An Deus ſit æternus. 111 Qv. II.
An ſolus Deus ſit æternus. 112 Qv. III.
Octaua Diſputatio de Vnitate Dei. 113
An Deus ſit vnus. 114 Qv. I.
An Deus ſit maxime vnus. 116 Qv. II.
Nona Diſputatio, de veritate Dei, ac ipſius cognoſcibilitate. 117
An Deus ſit veritas. 118 Qv. I.
An Deus ab intellectu creato per eſſentiam videri poßit. 120 Qv. II.
An Deus videatur, aut ſaltem videri poßit per ſimilitudinem eſſentiæ ipſius. 124 Qv. III.
An intellectus creatus ad videndum Dei eſſentiam aliquo ſupernaturali lumine indigeat. 127 Qv. IIII.
An inter beatos vnus perfectius quàm alius diuinam eſſentiam intueatur. 131 Qv. V.
An Deus poßit ab intellectu creato comprehendi. 134 Qv. VI.
An videntes Deum per eſſentiam omnia in ipſo videant. 138 Qv. VII.
Quomodo Deus cognoſci poßit in hac vita. 145 Qv. VIII.
Decima Diſputatio, de diuinis nominibus. 150
An quædam nomina vere Deo conueniant. ibid. Qv. I.
Quænam nominum genera Deo conueniant. 152 Qv. II.
Quomodo prædicta nomina Deo conueniant. 153 Qv. III.
An nomina quæ important relationem Dei ad creaturas de ipſo dicantur ex tempore. 161 Qv. IV.
Vndecima Diſputatio, de intellectu & ſcientia Dei. 165

Digitized by Google

QV. I. *An & quomodo ſit in Deo intellectus & ſcientia.* ibid

QV. II. *Quomodo Deus ſe cognoſcat.* 167

QV. III. *An & quomodo Deus cognoſcat alia à ſe.* 169

QV. IV. *An ſcientia Dei ſit etiam futurorum contingentium.* 172.

QV. V. *An Deus cognoſcat futura contingentia ante vllam determinationem, ſeu præfinitionem ſuæ diuinæ voluntatis.* 183

QV. VI. *Quomodo ſtare poßit contingentia rerum, ac proinde libertas arbitrij, cum certa ac infallibili Dei præſcientia.* 187

QV. VII. *An Deus cognoſcat non entia.* 192

QV. VIII *Qualis ſit ſcientia Dei.* 194

Duodecima diſputatio de Ideis & vita Dei. 197

QV. I. *An ſint & quid ſint ideæ in intellectu diuino.* ibid.

QV. II. *Quot & quarum rerum ſint ideæ in mente diuina.* 200

QV. II. *An ſit in Deo vita.* 203

QV. III. *An omnia ſint vita in Deo.* 206

Decimatertia Diſputatio, de voluntate & amore Dei. 207

QV. I. *An in Deo ſit voluntas.* ibid

QV. II. *An recte in Deo diſtinguatur voluntas ſigni, & voluntas beneplaciti.* 209

QU. III. *Quænam cadant ſub voluntatem Dei.* 213

QV. IV. *Qualiter ſe habeat voluntas Dei circa ea quæ vult.* 218

QV. V. *An aliqua poßit eſſe cauſa diuinæ voluntatis* 224

QV. VI. *An voluntas Dei ſit cauſa rerum* 226

QV. VII. *Quomodo ſtare poßit libertas arbitrij, cum efficacia diuinæ voluntatis.* 230

QV. VIII *An & qualis ſit amor in Deo.* 235

Decima quarta Diſputatio, de iuſtitia & miſericordia Dei. 237

Digitized by Google

An ſit in Deo iuſtitia tum commutatiua tum diſtributiua. ibid. Qv. I.

An in Deo ſit miſericordia. 241 Qv. II.

An in omnibus Dei operibus ſimul eluceant ipſius Dei miſericordia & iuſtitia. 242 Qv. III.

Decima quinta Diſputatio, De Prouidentia Dei. 245

An prouidentia Deo competat. ibid. Qv. I.

An omnia diuinæ prouidentiæ ſubſint. 247 Qv. II.

An Deus immediatè omnibus prouideat. 250 Qv. III.

An res omnes ſemper aſſequantur finem ad quem ex diuina prouidentia ordinantur. 251 Qv. IV.

Quomodo ſtare poßit diuina prouidentia, cum contingentia & libertate rerum. 253 Qv. V.

Decima ſexta Diſputatio, de Prædeſtinatione. 256

Quid ſit, & an ſit prædeſtinatio. 257 Qv. I.

Quinam ſint effectus prædeſtinationis. 262 Qv. II.

Quænam ſint cauſæ prædeſtinationis. 264 Qv. III.

An prædeſtinatio certa ſit & immutabilis, & quomodo ſtare poßit ipſius immutabilitas cum libertate arbitrii. 280 Qv. IV.

Vtrùm certus ſit prædeſtinatorum numerus 284 Qv. V.

An prædeſtinatis certa ſit prædeſtinatio. 286 Qv. VI.

An prædeſtinatorum numerus augeri vel minui poßit 288. Qv. VII.

Quid ſit liber vitæ, & an aliquis de eo deleri poßit. 291 Qv. VIII

Decima ſeptima Diſputatio de Reprobatione. 293

Quid ſit reprobatio ibid Qv. I.

Quinam ſint effectus reprobationis. 295 Qv. II.

Quænam ſint cauſæ reprobationis. 299 Qv. III.

Digitized by Google

QV. IV. *An reprobatio fixa ſit, & quomodo ſtare poſſit cum libero arbitrio.* 313
QV. V. *Quo ordine ſe habeat diuina præſcictia & volũtas circa ea quæ ſpectant tum ad prædeſtinationem cum ad reprobationem.* 315
Decima octaua Diſputatio, de Potentia Dei. 318
QV. I. *An ſit in Deo potentia.* ibid
QV. II. *An potentia Dei ſit infinita.* 320
QV. III. *An Deus ſit omnipotens.* ibid
QV. IV. *An Deus poſſit facere quæ non facit.* 323
QV. V. *An poſſit Deus facere meliora quàm quæ facit.* 325

Tractatus ſecundus, de Deo vt trino, ſeu de altiſſima Trinitate. 329
Præfatio. ibid
Prima Diſputatio de origine ſeu proceſſione diuinarum perſonarum. 333
QV. I. *Quænam proceſſio in diuinis admittenda ſit.* 334
QV. II. *An aliqua proceſſio in diuinis poſſit dici generatio.* 337
QV. III. *An aliqua proceſſio præter generationem in diuinis admittenda ſit.* 339
QV. IV. *An ſint plures proceſſiones in diuinis quàm duæ.* 346
Secunda Diſputatio de Relationibus diuinis. 348
QV. I. *An in Deo ſint relationes reales.* ibid
QV. II. *An relationes diuinæ ſint idem quod eſſentia diuina.* 352
QV. III. *An relationes diuinæ realiter ab inuicem diſtinguantur.* 355
QV. IV. *An in Deo ſint quatuor relationes.* 357
Tertia Diſputatio, de ratione perſonæ in diuinis. 359

An ratio perſonæ in diuinis ſit admittenda. 360 Qv. I.
An perſona diuina ſit idem quod hypoſtaſis, & hypoſtaſis idem cum ſubſtantia & ſubſiſtentia. 362 Qv. II.
An perſonæ vocabulum ſignificet relationem in diuinis. 365 Qv. III.
Quarta Diſputatio, de pluralitate diuinarum perſonarum in vnitate naturæ. 367
An admittendæ ſint plures perſonæ in diuinis. 368 Qv. I.
An ſint tres perſonæ nec plures nec pauciores in diuinis. Qv. II. 373
An ſingulę tres perſonæ ſint Deus. 378 Qv. III.
An tres perſonæ ſint vnus Deus. 390 Qv. IV.
Quid ſignificat nomen Trinitatis in Diuinis. 392 Qv. V.
Quomodo vtendum ſit aliis quibuſdam terminis ad pluralitatem & vnitatem perſonarum pertinentibus. Qv. VI. 394
Quinta Diſputatio, de notitia diuinarũ perſonarum. 396
An diuinarum perſonarum Trinitas naturali ratione cognoſci poſsit. Qv. I. ibid
An ſint aliquæ notiones in diuinis. 400 Qv. II.
An ſint quinque notiones in diuinis. 403 Qv. III.
Sexta Diſputatio de perſona Patris. 407
An patri competat eſſe principium. ibid Qv. I.
An eſſe patrem ſit proprium diuinæ perſonæ, & quomodo. 410 Qv. II.
An eſſe ingenitum ſit proprium patris. 412 Qv. III.
Septima Diſputatio de perſona Filij. 413
An verbum in diuinis ſit nomen perſonale proprium filij. ibid Qv. I.
An verbum diuinum importet reſpectum ad creaturas Qv. II. 416
An verbum diuinum procedat ex omni cognitione quæ Qv. III.

in Deo eſt. 418

Qu. IIII. *An imago dicatur perſonaliter & propriè de filio.* 423

Octaua Diſputatio, de perſona Spiritus ſancti. 424.

Qv. I. *Quænam ſint nomina perſonaliter propria Spiritus Sancti.* ibid.

Qv. II. *An Spiritus ſanctus procedat ſimul à Patre & Filio.* 430

Qv. III. *An Spiritus ſanctus procedat à patre & filio tanquam ab vno principio.* 437

Nona Diſputatio, de perſonis ad eſſentialia comparatis. 443

Qv. I. *An in diuinis eſſentia ſit idem quod perſona* ibid

Qv. II. *An dicendum ſit tres perſonas eſſe vnius eſſentiæ.* 446

Qv. III. *An nomina eſſentialia prædicentur ſingulariter de tribus perſonis.* 447

Qv. IIII. *An eſſentialia nomina in concreto poßint ſupponere pro perſona.* 449

Qv. V. *An termini eſſentiales in abſtracto poßint ſupponere pro perſona.* 452

Qv. VI. *An perſonalia nomina prædicari poßint de nominibus eſſentialibus.* 453

Qv. VII. *An rectè eſſentialia perſonis approprientur.* 455

Decima Diſputatio, de perſonis ad perſonalia comparatis. 456

Qv. I. *An relatio ſit idem quod perſona.* ibid

Qv. II. *An perſonę conſtituantur & diſtinguantur per relationes.* 458

Qv. III. *Quomodo ſe habent perſonæ diuinæ ad actus notionales.* 462

Qv. IIII. *An actus notionales in diuinis dici poßint eſſe de ali-*

quo; aut ex aliquo. 466

An actus notionales ſint voluntarii. 458 Qv. V.

Vndecima Diſputatio, de Æqualitate diuinarũ perſonarum. 471

An diuinæ perſonę ſint æquales ſecundum perfectionem ibid. Qv. I.

An diuinæ perſonę ſint æquales ſecundum potentiam. 474 Qv. II.

An perſonæ diuinæ ſint æquales ſecundum durationem 475 Qv. III.

An perſonarum ęqualitas aliquem inter ipſas naturæ ordinem patiatur. 478 Qv. IIII.

Duodecima Diſputatio, de miſſione diuinarũ perſonarum. 479

An alicui perſonæ diuinæ conueniat mitti. 479 Qv. I.

An perſona quęlibet à quałibet mitti poßit. 481 Qv. II.

An mißio ſit æterna vel temporalis. 483 Qv. III.

An alia ſit mißio inuiſibilis, alia viſibilis, & quî differant. 484 Qv. IIII.

An poßit vna perſona mitti abſque alterius procedentis miſsione. 486 Qv. V.

Qui differat mißio filii à mißione Spiritus Sancti. 488 Qv. VI.

Tractatus tertius, de Deo vt creatore, ſeu de creatione. 492

Prefatio. ibid.

Prima Diſputatio, de ipſo Creatore. 493

An Deus ſit cauſa efficiens rerum omnium. ibid Qv. I.

An Deus ſit cauſa immediata rerum omnium. 495 Qv. II.

An Deus ſit cauſa exemplaris rerum omnium. 497 Qv. III.

An Deus ſit cauſa finalis rerum omnium. 498 Qv. IIII.

Digitized by

Secunda Diſputatio, de prima productione creaturarum. 500
QV. I. *An prima rerum productio ſit creatio.* 501
QV. II. *An potuerit Deus omnia creare ab æterno.* 505
QV. III. *An ſolius Dei proprium ſit creare.* 508
QV. IIII. *An creare ſit proprium omnium diuinarum perſonarum.* 512
Tertia Diſputatio, de opere ſex dierum. 516
QV. I. *An mundus verè dicatur opus ſex dierum.* ibid
QV. II. *Quale fuerit opus primæ diei.* 518
QV. III. *Quodnam fuerit opus ſecundæ Diei.* 526
QV. IIII. *Quodnam fuerit opus tertiæ diei.* 571
QV. V. *Quodnam fuerit opus quartæ diei.* 533
QV. VI. *Quodnam fuerit opus quintæ diei.* 535
QV. VII. *Quodnam fuerit opus ſextæ diei.* 537
QV. VIII. *Quomodo accipienda ſunt quæ de die ſeptimo dicuntur* 540
quarta Diſputatio, de gubernatione creaturarum. 543
QV. I. *Quid ſit diuina gubernatio, & an ad omnia ſe extendat, & quomodo.* 544
QV. II. *Quinam ſint partes ſeu precipui actus ac effectus diuinæ gubernationis.* 550
QV. III. *Quid ſit conſeruatio, an ad omnia ſe extendat, & quomodo.* 553
QV. IIII. *An Deus immutare poßit quaſlibet creaturas, & quomodo.* 557
QV. V. *Quid ſit concurſus Dei, & an ad omnem agentis creati operationem ſit neceſſarius.* 565

Tractatus quartus, de creatura merè ſpirituali, ſeu de Angelis. 580
Præfatio. ibid.

Prima

Prima Diſputatio: de ſubſtantia & natura Angelorum abſolute ſpectata. 583
An exiſtant Angeli. ibid. Qv. I.
In quonam genere ſubſtantiæ ſint Angeli, & an ſint corporei. 586 Qv. II.
An Angeli ſpecie tantum vel etiam numero inter ſe differant. 592 Qv. III.
Quantus ſit Angelorum numerus. 596 Qv. IIII.
Quinam ſint ordines & hierarchiæ Angelorum. 600 Qv. V.
Quomodo, quãdonã, & vbi producti ſint Angeli. 610 Qv. VI.
Secunda Diſputatio, de ſubſtantia Angelorum in ordine ad corporalia. 613
An Angeli aſſumant corpora. ibid. Qv. I.
An Angeli in aſſumptis corporibus opera vitæ exerceant. 622 Qv. II.
Quomodo poßint Angeli agere in corpora. 626 Qv. III.
Quomodo poßint Angeli in homines agere. 688 Qv. IV.
Quinam Angeli mittantur ad homines. 630 Qv. V.
An ſingulis hominibus ſinguli Angeli cuſtodes deputentur. 632 Qv. VI.
An, & quomodo Angeli ſint in loco. 636 Qv. VII.
An Angelus *poßit eſſe ſimul in pluribus locis, ac ſimul plures Angeli in eodem loco.* 643 Qv. VIII
An Angeli moueantur localiter, & quomodo. 646 Qv. IX.
Tertia Diſputatio, de intellectu ac cognitione Angelorum. 652
Quomodo intellectus Angeli diſtinguatur ab eius eſſentia. 653 Qv. I.
An intellectus Angeli ſit agens & patiens, ſicut intellectus hominis. 655 Qv. II.
An intelligere Angeli ſit eius eſſentia, aut exiſtentia, aut ſaltem ipſamet intelligendi potentia. 657 Qv. III.
An Angelus per ſuam ipſius ſubſtantiam omnia Qv. IV.

cognoſcat. 659

Qv. V. *An Angeli cognoſcant per ſpecies à rebus acceptas.* 661.

Qv. VI. *An ſuperiores Angeli intelligant per ſpecies vniuerſaliores.* 665

Qv. VII. *An Angelus cognoſcat res ſpirituales, & quomodo.* 669

Qv. VIII *An & quomodo Angeli cognoſcant res materiales.* 674.

Qv. IX. *An & quomodo Angeli cognoſcant contingentia tum præſentia cum futura, ac preſertim cordium cogitationes.* 678

Qv. X. *An & quomodo Angeli cognoſcant myſteria gratiæ.* 684

Qv. XI. *An debeat eſſe ſemper aliqua actualis cognitio in Angelis* 691

Qv. XII. *An Angelus poßit multa ſimul cognoſcere.* 692

Qv. XIII *An Angeli componendo, aut diuidendo, aut etiam diſcurrendo intelligant.* 696

Qv. XIV *An intellectui Angelico ſubeſſe poßit falſum.* 698

Qv. XV. *An recte diſtinguatur in Angelis cognitio matutina & veſpertina.* 699

Quarta Diſputatio : de voluntate & amore Angelorum. 701

Qv. I. *An ſit voluntas in Angelis.* 702

Qv. II. *An voluntas Angeli differat tum ab ipſius eſſentia, cum ab intellectu.* 703

Qv. III. *An ſit in Angelo ſicut in homine duplex appetitus, nēpe concupiſcibilis & iraſcibilis.* 704

Qv. IV. *An voluntas Angeli ſit libera,* 706

Qv. V. *Quotuplex ſit amor in Angelis.* 707

Qv. VI. *Quonam amoris genere tum ſe cum alia angeli diligant* 710

Vtrùm Angelus naturaliter Deum plus diligat quàm ſeipſum, & alium Angelum ſicut ſeipſum. 713 Qv. VII.

Quinta diſputatio: de ſtatu bonorum Angelorum quoad gratiam & gloriam. 715

An omnes Angeli fuerint creati in gratia. 716 Qv. I.

An Angeli ſuam beatitudinem meruerint. 719 Qv. II.

Quomodo Angeli ſuam beatitudinem adepti ſint. 721 Qv. III.

An Angeli pro naturæ dignitate gratiam & gloriam fuerint conſecuti. 726 Qv. IIII.

Quiſnam ſit ſtatus Angelorum in gloria. 727 Qv. V.

Sexta Diſputatio: de ſtatu malorum Angelorum quoad culpam & pœnam. 732

An & quomodo Angeli peccare potuerint. ibid. Qv. I.

An & quomodo Angeli actu peccauerint. 737 Qv. II.

Quandonam Angeli peccauerint. 744 Qv. III.

Quinam & quotnam Angeli peccauerint, & an aliquis eorum dux fuerit. 745 Qv. IV.

An intellectus Dęmonum ad omnem veritatis cognitionem ſit obcęcatus. 748 Qv. V.

An & quomodo voluntas dæmonum in malo ſit obſtinata. 749 Qv. VI.

Quomodo, quandonam, & vbi dæmones torqueantur. 754 Qv. VII.

Tractatus quintus: de creatura partim corporea, partim ſpirituali, ſeu de homine &c. 760

Prefatio. ibid

Prima Diſputatio: de iis quæ ad corpus primi hominis in ſtatu innocentiæ pertinent. 761

Quomodo productum ſit corpus Adæ. 762 Qv. I.

Quomodo corpus Euæ productum ſit, 768 Qv. II.

An homo in ſtatu innocentiæ fuiſſet immortalis, & quo- Qv. III.

modo. 775

QV. IV. *An homo in ſtatu innocẽtiæ fuiſſet impaßibilis, & quomodo.* 781

QV. V. *An verè & vbinam fuerit, & vtrùm iam nunc extet paradiſus.* 783

Secunda Diſputatio: de iis quæ ad animam hominis in ſtatu innocentiæ pertinent. 788

QV. I. *Quomodo homo ad imaginem & ſimilitudinem Dei factus dicatur.* ibid

QV. II. *Quænam fuerit primi hominis ſcientia in ſtatu innocentię.* 799

QV. III. *An primus homo in gratia conditus fuerit.* 805

QV. IV. *An iuſtitia originalis à gratia reipſa diſtinguatur, & in qua animæ parte reſideret.* 810

Tertia Diſputatio: de iis quæ ſpectant ad propagationem humanæ naturæ in ſtatu innocentiæ. 815

QV. I. *An per veram generationem propagata fuiſſet humana natura in ſtatu innocentię.* 816

QV. II. *Qualiſnam fuiſſet in ſtatu innocentiæ conditio prolis quoad corpus.* 819

QV. III. *Qualiſnam fuiſſet conditio poſterorum Adami in prædicto ſtatu quoad animam.* 822

Quarta Diſputatio: de primo hominis lapſu 830

QV. I. *Cur Deus hominem tentari permiſerit.* ibid

QV. II. *An conueniens fuerit hominem ab alio, & quidem à dæmone tentari.* 834

QV. III. *Qualis fuerit ſerpens qui Euam decepit.* 835

QV. IV. *Quis modus ac proceſſus tentationis primorum parentum fuerit.* 841

QV. V. *An plura & qualia peccata primi parentes cõmiſerint.* 845.

Digitized by Google

An conuenienter pœna ſerpenti fuerit iniuncta. 853 Qv. VI.
An conuenienter pœna primis parentibus iniuncta ſit. Qv. VII. 858.

APPROBATIO.

NOs in ſacra Theologiæ facultate Doctores, teſtificamur ſedulò perlegiſſe & accuratè recenſuiſſe librum inſcriptum *Summa Theologiæ Tripartita de Deo rebuſque diuinis, ac ſupernaturalibus: auctore Reuerendo P. D. Euſtachio à ſancto Paulo, è congregatione B. Mariæ Fulienſis, ordinis Ciſtercienſis religioſo profeſſo, nuper vero cognominato Aſſeline, prædictæ facultatis doctore:* vbi nihil occurrit nobis orthodoxæ fidei & Eccleſiæ Catholicæ Apoſtolicæ & Romanæ non valde cõſentaneum. Opus adeo digniſſimum quod ad reipub. literariæ vtilitatem typis cõmendetur, & in publicum prodeat. Datum Lutetiæ 24 Aprilis. 1613.

M. COLIN.

A. SOTO.

Digitized by Google

PRIVILEGE DV ROY.

LOVIS par la grace de Dieu Roy de France & de Nauarre, A nos amez & feaux Conſeillers, les gens tenans nos Cours de Parlement de Paris, Tholoſe, Rouën, Bordeaux, Dijon, Aix, Grenoble & Bretagne: Baillifs, Seneſchaux, Preuoſts deſdits lieux, ou leurs Lieutenans & autres nos Iuſticiers & Officiers qu'il appartiendra, Salut. Noſtre bien amé Charles Chaſtelain, marchand Libraire iuré en l'Vniuerſité de Paris, nous a faict dire & remonſtrer qu'il luy a eſté mis en ſes mains vn Liure intitulé; *Summa Theologiæ tripartita De Deo, rebuſque diuinis ac ſupernaturalibus. Authore Fr. Euſtachio à S. Paulo, ex congregatione Fulienſi, Ordinis Ciſtercienſis*: Duquel il nous a requis nos lettres de grace & priuilege pour faire imprimer ou imprimer en tel volume & caracteres qu'il verra eſtre le plus commode, ledit liure tant en Latin qu'en François, ſans qu'autre que luy le puiſſent imprimer, vendre & debiter: mais craignant ledit Chaſtelain que faiſant imprimer ledit liure, quelques Libraires ou autres le facent imprimer en quelque endroict de celuy noſtre Royaume, qui luy cauſeroit vne grande perte & dommage, s'il ne luy eſtoit ſur ce par nous pourueu de remede conuenable, humblement requerant iceluy. Pour ce eſt-il, inclinant liberalement à la requeſte dudit expoſant, & pour aucunement le releuer de ſes fraiz & miſes qu'il luy a conuenu & conuiendra faire; Auons permis & accordé, permettons & accordons audit Chaſtelain ou à ceux qui auront droict de luy, & non autres, qu'il puiſſe imprimer ou faire imprimer ledit liure tant en Latin qu'en François, comme bon luy ſemblera, & en tel volume & caracteres qu'il verra bon eſtre, durant le temps & terme de dix ans prochains & conſecutifs, à compter du iour & datte que ledit liure tant en Latin qu'en François ſera

acheué d'imprimer, faiſant defenſes expreſſes à tous marchands Libraires, Imprimeurs ou autres de quelque eſtat, qualité & condition qu'ils ſoient, d'imprimer, faire imprimer, ny ſuſciter à ce faire aucuns Libraires ny Imprimeurs tant de noſtre Royaume que dehors iceluy, tronquer, alterer ny en extraire aucune choſe, vendre ny debiter en aucune ſorte que ce ſoit ledit liure tant Latin que François, d'autres que ceux que aura faict imprimer ledit Chaſtelain ou autres ayant droict de luy, ſur peine de confiſcation des liures & exemplaires qui ſeront trouuez auoir eſté imprimez & mis en vente contre & au preiudice des preſentes, ſoit en public ou en particulier, & de trois mil liures d'amende applicable vn tiers à nous, vn tiers au denonciateur, & l'autre tiers audit expoſant, ou autres ayant droict de luy, ſans aucune diminution. Et outre voulons que ceux qui ſeront trouuez ſaiſis d'iceux exemplaires contrefaicts, ſoient contraincts de declarer ceux qui les auront imprimez, & de qui ils les auront receuz, ſur les peines ſuſdictes : Que ſi aucuns Libraires de ceſtuy noſtre Royaume, ou eſtrangers traffiquans en iceluy, qui auront contrefait ledit liure tant Latin que François, peuuent eſtre apprehendez par ſaiſie de leurs marchandiſes qu'ils aurōt amenee en noſtredit Royaume. Voulons & nous plaiſt qu'en mettant vn extraict des preſentes à la fin ou au commencement de chacun exemplaire deſdits liures, elles ſoient tenues pour ſuffiſamment ſignifiees & venuës à la cognoiſſance de tous, comme ſi expreſſément & particulierement elles leurs auroient eſté notifiees. Et par ce que de ces preſentes l'on pourra auoir affaire en pluſieurs & diuers lieux, Nous voulons qu'au vidimus d'icelles faict par vn de nos amez & feaux Conſeillers, Notaires & Secretaires, foy ſoit adiouſtée comme au preſent original. Si vous mandons, & à chacun de vous enioignons que de ces preſentes graces, congé, permiſſion, & du cōtenu cy deſſus vous faictes & laiſſiez iouyr ledit Chaſtelain & ceux qui auront droict de luy faire vſer plainement & paiſiblement,

ceſſant & faiſant ceſſer tous troubles & empeſchemens au contraire, & de l'ayder à l'encontre de ceux qui contreuiendront a l'authorité de noſdites lettres, par toutes voyes deuës & accouſtumées par les peines ſuſdites : Et au premier Huiſſier ou Sergent, faire tous exploicts de ſaiſie & arreſts ſur ce requis & neceſſaires pour l'execution de ces preſentes, ſans demander placet, viſa ne pareatis. Car tel eſt noſtre plaiſir, nonobſtant oppoſitions ou appellations quelſconques faictes ou à faire, clameur de Haro, chartre Normande, priſe à partie, & autres lettres à ce contraires, auſquelles nous auons derogé & derogeons par ces preſentes. Donné à Paris, le 14. iour d'Auril, 1613. & de noſtre regne le troiſieſme.

Par le ROY, en ſon Conſeil.

LE LIEPVRE.

Errata ſic corrigito.

Pagina 16. *linea vlt. dele* in. *Pag.*29. *lin. penult.* & *vlt. dele*, poſſe ſimul eſſe concluſiones Theologicas, ſi nempe per alias aſſertiones fidei. *Pag.*34. *l.*27. *pro* tres, *lege* res. *Pag.* 56. *lin* 1. *pro* ſunt, *lege* ſicut. *Pag.*73. *lin. penult. pro* ſe, *lege* ſed. *Pag.* 83. *lin.* 16. *pro* atque, *lege* atqui. *Pag.* 92. *lin.* 29. *lege* in quo. *Pag.*121. *lin.*20. *pro* ſic, *lege* hic. *Pag.* 1?4. *lin.* 25. *lege* probabilibus. *Pag.*173. *l.*31. *pro* quæſtionis, *lege* diſputationis. *Pag.*210. *l.*23. *pro* iudicare, *lege* indicare. *Pag.*213. *l.* 23. *lege* cuiuſque. *Pag.* 229. *lin.* 3. *lege* voluntati eius quis reſiſtit. *Pag.* 329. *l.*5. *lege* 12. diſputationes. *Pag.* 368. *lin.* 16. & *Pag.* 390. *l.* 17. & 19. *pro* Barah, *lege* Bara. *Pag.*406. *lin.* 20. *lege* per ſe. *Pag.* 415. *lin.* 1. *dele* adde. *Pag.*420. *l.*29. *poſt voluntate, adde* in. *Pag.* 450. *lin.* 6. *lege* pro. *Pag.*452. *lin. vlt. lege* attribui. *Pag.* 523. *lin.* 1. *lege* Deum. *Pag.* 533. *lin.* 26. *lege* plantarum. *Pag.* 793. *lin.*28. *pro* cordis, *lege* chordis. *Pag.* 803. *lin.* 14. *pro* &, *lege* ex. *Pag.*807. *l.*11. *poſt* vides, *adde* gratia. *Pag.* 810. *lin.*9. *lege* lumine. *Pag.* 861. *lin.*5. *pro* 41. *lege* 14.

PRÆFATIO IN VNIVERSVM HOC OPVS THEOLOGICVM.

AD LECTOREM.

IGNOSCAS velim (Amice Lector) ſi poſt eximiam illã à Diuo Thoma Aquinate eleganter & eruditè conſcriptam Theologiæ Summã ſimile quid moliri videar: non enim opus iſtud meo auſu, ſed eorum iuſſu, quorum imperium detractare mihi nefas, aggreſſus ſum; quod vt ad ædificationem corporis Chriſti, conſumationem ſanctorum, ac Dei Optimi Maximi gloriam cedat, totis apud ipſum votis mecum efflagites, precor.

Verumenimverò ne noſtri inſtituti quaſi viæ ignarus malè progrediaris, aut in incertum curras, paullulum hîc precor ſiſte gradum, interim dum tibi paucis, tùm huiuſce noſtri inſtituti, cùm ſeruati à nobis per totum hoc opus ordinis rationem exponam.

Digitized by Google

Theologia triplex. Cùm igitur Theologia ſeu ſacra doctrina, quæ fidei ſeu reuelationis lumine illuſtrata circa Deum reſque diuinas verſatur, vulgò triplex in genere conſtituatur, *Scholaſtica.* Scholaſtica nẽpè ſeu argumentatiua (ad quam omnes fidei controuerſiæ pertinent) quæ ex principiis fidei de Deo rebuſque diuinis ratiocinatur ac diſſerit; *Thetica.* Thetica ſeu poſitiua, quę tota in ſacrarum litterarum interpretatione poſita eſt; *Myſtica.* Myſtica ſeu affectiua, quæ ſpeciali diuinæ lucis radio ſupra fidẽ veluti euecta, non tàm rationis diſcurſu, quàm ſimplici mentis intuitu ſummo cum affectu diuina myſteria contemplatur, & ſapit: Nos hîc Scolaſticã *Scholaſtica vnde dicta.* aggredimur, ſic dictam quòd in Doctorum Scholis edoceri ſoleat, vel quòd id pręſtet quod nemo pręſtare poteſt, niſi exquiſitam doctrinã magno & conſtanti labore in Scholis didicerit: vnde factum vt Scholaſtici olim dicerẽtur quicumque eruditione & ingenii laude in Eccleſia excellerent. Nec mirum, quãdoquidem tunc *Eius origo.* temporis Scholarum vſus erat in quibus ſacra doctrina à doctiſſimis quibuſque Theologis publicè docebatur: qualis olim fuit Alexandriæ illa quam Eccleſiaſticam Scholam appellat Euſebius lib. 5. Hiſt. Eccl. c. 10. & 11. cui vel ab Euangeliſtæ Marci temporibus præfuerunt diuinarũ rerum Doctores Philoſophiæ etiam periti ſſimi, vt Pantænus, Clemens Alexandrinus, Origenes, & alij, quos cùm certè arte aliqua & methodo quo res faciliùs perciperentur vſos fuiſſe non ambigem, proculdubio Theologiam quam illi docebãt Scholaſticam fuiſſe arbitror.

Neque verò tantùm apud iſtos Alexandrinæ

Digitized by Google

Scholæ præſides,ſed etiam apud veteres quoſque Sanctæ Eccleſiæ Patres tùm ad inſtruendos & confirmandos gentiles ac ſuorum temporum hęreticos in ipſorum ſcriptis membratim vſurpatam,vix tamen à quoquam illorum ante Damaſcenum à capite ad calces ac ſeruato materiarum ordine exactè pertractatã reperias.

Ipſe enim Sanctus Ioannes Damaſcenus videtur omnium primus præcipua fidei noſtræ myſteria in ordinem doctrinę digeſſiſſe,eáque ſatis accuratè pertractaſſe ſuis quatuor libris de fide orthodoxa. Poſt hũc elapſis aliquot ſeculis, Petrus Lombardus Pariſienſis Epiſcopus vir ſummi iudicii tùm ſingularis doctrinæ ac pietatis ex ſelectis orthodoxorum Patrum ac præſertim Diui Auguſtini ſentẽtiis de omni re Theologica,iiſque in certum doctrinę ordinem digeſtis ac optimè explicatis elegantiſſimun ſimul & cõpendioſum Theologię opus contexuit,quod quatuor ſententiarum libris complexus eſt,vnde & ipſe Magiſtri ſententiarum nomẽ adeptus eſt. Hunc ſequuti antiquiores Scholaſtici Alexander Hallẽſis, Albertus Magnus præceptor Diui Thomæ, Henricus Gandauenſis,viri de Theologia benè meriti,res Theologicas ſeruato materiarũ ordine in ſuis Summis tractauerunt.

Ioannes Damaſcenus.

Petri Lombardi commendatio.

Verùm cùm nemo illorum omnium in vno aliquo opere vel cõmodiùs vel vberiùs Theologicas materias cõplexus ſit quàm noſter Sanctus Thomas in illa ſua Summa nunquam ſatis laudata,idcirco ſicut in illo noſtro Opere Philoſophico quod paucis antehac annis in lucem emiſimus,Ariſtotelem tanquã Philoſophorum

Summa Theologia D. Thomæ

principem ſuſpeximus, quantumque fieri potuit ſequuti ſumus;ita & in hoc opere Theologico Beatum Thomam quaſi Theologorum Scholaſticorum apicem & Coriphæum veneramur: & quantùm fieri poteſt amplectimur, ea tamen animi libertate, vt neque illi, neque cuicũque alteri plus fidei habituri ſimus quàm ipſa fides orthodoxa Eccleſiæ Catholicæ, tùm ipſa recta ratio orthodoxæ fidei ſubiecta permiſerit.

Modus tractãda Scholaſtica non adeo Scholaſticus.

Cæterùm quamuis Theologia quam explicare aggredimur, Scholaſtica ſit, non tamen ipſam adeo ſcholaſticè (vt loquuntur) pertractandam nobis propoſuimus: neque enim id noſtri inſtituti ratio, qua breuitati ſimul & facilitati conſulitur; neque id noſtra ætas poſtulat, cui iam pridem tam lõgæ tamque miris modis implicatæ quæſtionum plerumque ſuperfluarum ambages faſtidium pepererunt.

Modus procedendi in ſingulis quæſtionibus.

Ea autem in tractandis ſingulis quæſtionibus aptiſſima & facillima methodus viſa eſt primùm propoſitæ quæſtionis ſenſum ſi quid obſcuritatis habeat explicare, tùm adhibitis concluſionibus quid de ea tenendum ſit diſtinctè ſtatuere, tandem obiectiones ſi quę ſint notabiles in mediũ adducere, eaſque ſtatim ac propoſitæ ſunt, diluere: quòd vt aliàs in Philoſophica, ita & in hac Theologica Summa Deo dante præſtabimus. Quod ſi qua Philoſophica (quod ſæpenumerò euenire ſolet) ſupponenda ſint aut explicanda, beneuolum Lectorem ad noſtrũ opus Philoſophicum (quod ei qui ſummam hanc fructuosè legere, immò intelligere

voluerit, prorſus neceſſarium eſt) cum bona ipſius venia remittemus: ſicque ſuperfluis aut ad Theologiam minimè pertinentibus quæſtionibus prætermiſſis, Theologicas tantùm, quæ magis neceſſariæ videbuntur quanta fieri poterit breuitate ſimul & facilitate explicabimus.

Ordo materiarum totius operis.

Quod ſpectat ad ordinem materiarum quæ in Theologia tractandæ ſunt, & ſi non abſque probabili ratione Diuus Thomas tradita primùm proceſſione creaturarum à Deo in prima parte ſuæ Summæ, deinde explicato motu rationalis creaturæ in Deum per totam ſecundam partem, tandem in tertia de via tendendi in Deum, nempe Chriſto & Sacramentis ab ipſo inſtitutis diſſeruerit: Nihilominus tamen longè accommodatior ordo nobis viſus eſt quem & Diuus Damaſcenus, & Magiſter ſententiarum, & alij ante Diuum Thomam obſeruarunt, vt poſtquam de Deo vno, trino, & creatore tractatum eſt, ſtatim de eodem vt Saluatore ſeu de Chriſto redemptore diſſeratur tanquam de primo recuperandæ ſalutis authore omniúmque gratiarum ac virtutum, quibus ſalutem conſequimur, limpidiſſimo fonte. Nec immeritò, namque vt priùs ſternenda via eſt, quàm per illam iter habeatur; ſic priùs Theologo exponenda videtur ſalutis via, nempè Chriſtus, quàm motus rationalis creaturæ per illam explicetur. Adde Chriſtum non tàm vt medium quàm vt mediatorem ac ipſorum mediorum authorem in Theologia conſiderandum eſſe: quare cùm non tantùm Sacramenta, ſed quælibet alia recuperandæ ſalutis media, vt lex noua, gratia, virtu-

Ratio cur nonnihil diſcedamus ab ordine quem ſeruauit D. Th. in ſua ſumma.

tes, dona à Chriſto tanquam à capite & fonte oriunda ſint, ſanè ordo tùm naturæ, cùm facilitatis & doctrinæ videtur poſtulare, vt de Chriſto priùs agatur quã de illis omnibus mediis quibus ſalutẽ in Chriſto ipſo conſequimur.

Totius operis methodus explicatur.
1. Pars.

Vt igitur ſeruatum à nobis per totum hoc opus ordinẽ paucis aperiam Summa hæc Theologiæ ſicut & Summa Diui Thomæ erit tripartita, & quidem in prima parte de Deo puro agetur, tùm ſecundùm ſe ſiue quâ vnus, ſiue quâ trinus eſt, cùm in ordine ad creaturas quatenus eſt principiũ creaturarum ipſas procreans, cõſeruans, & gubernans; vbi tùm de creatione cũ de creaturis, Angelis præſertim & homine diſſeretur.

2. Pars.

In ſecunda verò parte de Deo homine ſeu Chriſto Redemptore, vbi de Incarnationis myſterio, ac cæteris quę ad eius conceptionem, vitam, mortem, & glorificationem pertinent, tractabitur. Denique in tertia parte agetur de

3. Pars.

mediis ſupernaturalibus quibus rationalis creatura per Chriſtum iuſtificantem ad Deum glorificantem tanquam ſupernaturalem ſui finem reuertitur. Et quoniam media illa ſunt duplicis generis: alia interna à Deo ſupernaturaliter infuſa, nempe gratia, virtutes, & dona; alia externa à Chriſto ſupernaturaliter inſtituta, videlicet ſacramenta; idcircò tertiam hanc partem in duos tomos diſtinximus, quorum in priori de mediis prioris generis ſeu internis, nempè gratia, donis, & virtutibus: in poſteriori verò de mediis poſterioris generis extrinſecus, nẽpè ſacramentis tùm in genere, cùm in ſpecie diſ-

3. Partis tomi duo.

ſeretur. Adiecimus ad calcem huius tertiæ partis appendicem de quatuor nouiſſimis, Reſurrectione, Extremo iudicio, Inferno, & Paradiſo, vbi nouiſſimè de beato ſtatu vitæ futuræ tractabitur.

Sicque Theologia (vt vides) velut aureus quidam circulus à Deo in Deum per Deum recurrit, dum imprimis Deum in ſe vt vnum & trinum contemplatur: deinde creaturarum ab ipſo vt creatore emanationem: tandem earundem per mediatorem Chriſtum in ipſum vt in finem ſupernaturalem reditum atque regreſſum. *Theologia aureus circulus.*

Cæterum vt eumdem diuiſionis modum in hac teneamus, quẽ in Philoſophiæ Summa ſeruauimus, vnaquæque pars in ſuos tractatus diuidetur; tractatus verò in diſputationes: denique diſputationes in quæſtiones ſubdiuidentur: Generalem autem totius operis partitionẽ in ſubiecto ſchemate facillimè complecti poteris.

Verùm hæc de huius operis ratione, partitione & ordine præfationis loco dicta ſufficiant.

Digitized by Google

QVÆSTIONES PROOEMIALES de ipſa Theologia.

RAtioni valdè conſentaneum videtur, vt antequam ad ſingulas Theologiæ partes accedamus, aut quidquam de rebus Theologicis dicere aggrediamur, nonnulla generatim de ipſa Theologia diligẽter inquiramus. Primùm quid ſit, an verè dicatur ſcientia. Secũdò quodnam ſit eius ſubiectum ſeu obiectum. Tertiò an ſit theoretica, vel practica. Quartò an præſtet aliis ſcientiis. Quintò an ſit ad ſalutem neceſſaria. Sextò quænam ſint ipſius principia, & quomodo illis vtatur.

Quid ſit Theologia, an verè dicatur ſcientia.

QVÆSTIO I.

VT quæſtionis propoſitæ ſenſus intelligatur, quidque de ea tenẽdum ſit diſtinctiùs ſtatuatur, prænotandũ eſt in primis, quod iſta quatuor videlicet, ſacra doctrina, verbum Dei, fides, & Theologia, licèt nonnunquam indiſcriminatim vſurpentur propter ſummam quam habent inter ſe affinitatem, ſi tamen ſecundùm proprias ſignificationes accipiantur, differunt. Namque ſacra doctrina generale nomen eſt quod & verbum Dei & Theologiam ſimul ac fidem ſuo ſignificatu complectitur; Verbum Dei eſt propoſitio de aliquo myſterio, quæ fide

Notandũ. I.

Sacra doctrina.

Verbũ Dei.

Digitized by Google

credēda proponitur per reuelationē, cui dùm homo fide edoctus aſſentitur, rei quoque ſiue myſterio per verbum ſignificato cēſetur aſſentiri; Fides eſt donum Dei humano intellectui diuinitùs infuſum, quô inſtructus homo firmiter aſſentitur verbo Dei. Denique Theologia, quæ (ſi nominis Ethymologiam ſpectes) nihil aliud eſt quàm ſermo de Deo, ſecundùm propriam acceptionem dicitur ſciētia ſtudio parta, in qua per verbum Dei reuelatum & fide creditum aliquid demonſtratur. Ex quo intelligis, (quod ſecundo loco notādum eſt) ſpeciale diſcrimen inter fidem & Theologiam, quòd licèt vtraque in eo conueniat, quòd ſacra doctrina appellatur, quòd diuinæ reuelationi innitatur, quòd vtraq; ſit habit⁹ intellectualis, & ſupernaturalis: differunt tamē, 1. Quòd fides ſit habitus infuſus, Theologia verò acquiſitus. 2. Quòd fides ſoli diuinæ authoritati, Theologiæ etiam rationi innitatur. 3 Quòd fides ſit veluti habitus principiorum, Theologia verò cōcluſionū quas ex eiuſmodi principiis ratiocinādo deducit. Quare vt ſe habent in philoſophicis doctrinis prima principia ad intelligentiam, quæ dicitur habitus principiorum, & intelligentia ad ſcientiam: ita ſe habet verbum Dei ad fidem & fides ad Theologiam. 4. Quòd fides in omnibus fidelibus reperiatur, non item Theologia, vnde Apoſtolus ad Corinth. *Nunquid omnes doctores?* inquit. His poſitis, quid de quæſtione propoſita tenendum ſit duabus ſequentibus propoſitionibus determinabitur.

Fides.

Notandum 2.

Diſcrimen fidei ac Theologiæ.

Prima propoſitio. Theologia verè dicitur &

eſt ſcientia. ita cenſet Diuus Thomas 1. part. queſt. 1. artic. 2. & ante illum Albertus & Hallenſis, imò & omnes ſancti Patres Theologiã vocant ſcientiam: vt Diuus Auguſtinus lib. 14. de Trinit. c. 1. vbi etiam aſſerit ita ab Apoſtolo appellari 1. Corinth. 12. & 13. cap. *Huic ſcientiæ* (inquit) *tribuitur id quo fides ſaluberrima gignitur, nutritur, defenditur, roboratur.* Ratione confirmatur, quia cũ Theologia ſit mentis habitus: non poſſit autem dici opinio aut fides humana, cùm ex principiis infallibiliter veris procedat: non etiam fides ſupernaturalis, vt conſtat ex ſecundo notando ſupra; neque intellectus ſeu habitus principiorum, cùm ex principiis ratiocinãdo procedat; neque etiam ars, cùm non ſit ſaltem adæquatè de ſubiecto factibili; neque prudentia, cùm non verſetur circa agibile ſingulare; reſtat vt verè dicatur tùm ſcientia, cùm ſapientia. Et quidem quòd verè dicatur ſcientia, hinc patet quod ad rationem ſcientiæ in genere ſatis eſt quod per ratiocinationem procedat ex principiis certis & notis ſaltem in ſuperiori ſcientia. Atqui ſacra hæc doctrina procedit ex principiis certiſſimis, cùm ſint de fide, & præterea notiſſimis in ſcientia Beatorum, cui hæc noſtra viatorum ſcientia tanquam inferior ſuperiori ſubalternatur, vt docet ſanctus Thomas ſupra.

Ratio.

Confirmatur.

2. Propoſitio. Theolog. non eſt ſcientia Ariſtotelica. Ratio.

Secunda propoſitio. Theologia non eſt propriè talis ſcientia qualis ab Ariſtotele deſcribitur: ad rationem enim eiuſmodi ſcientiæ Ariſtotelicæ & perfectæ requiritur non tantùm certa & neceſſaria, verum etiam eui-

dens notitia tum principiorum, cùm concluſionum, adeò vt opporteat eum qui ſcit perſpectũ habere rem non poſſe aliter ſe habere; atqui neque principia Theologiæ ſunt perſpecta ſeu euidenter nota Theologo cùm ſint propoſitiones fidei, quæ vt ſic non ſunt euidentes; fides enim, teſte Apoſtolo ad Hebr. 11. eſt argumentum non apparentium; neque etiam concluſiones, cùm non poſſint eſſe perfectiores ſuis principiis ſiue quoad certitudinem ſiue quoad euidentiam, cùm eam omnem, ſi quam habeant, à ſuis principiis mutuentur. Ex quo intelligis, Theologiam, ſi conferatur cum philoſophicis diſciplinis, nonniſi analogicè dici ſcientiam, nempè ob aliquam quam cum illis habet ſimilitudinem, quamuis ab illis toto genere differat.

Verùm aduerſus hanc concluſionem obiicies cùm Caietano, Theologiam licet prout etiam eſt in nobis viatoribus non ſit euidens, nec proinde propriè & perfectè ſcientia, tamen ſecundum ſe eſſe euidentem, ac proindè perfectè ſcientiam, videlicet ſi conſideretur coniuncta cum ſcientia Beatorum, qui propriè eſt habitus principiorum Theologicorum, ſicut ſcientia ſubalternans, ſiue ſuperior eſt habitus euidens principiorum ſcientiæ inferioris ſeu ſubalternatæ. Reſpondemus negando abſolutè Theologiam ſecundùm ſe eſſe euidentem. Nam talis per ſe eſt habitus Theologiæ, qualis eſt per ſe habitus principiorum ipſius: ſed habitus principiorum Theologicorum, videlicet *Obiectio.* *Solutio.* *Theologia noſtra per ſe ineuidēs.*

fides eſt ſecundùm ſe ineuidens, quare & ipſe habitus Theologiæ ſecundùm ſe eſt ineuidens. Quod autem fides non verò ſcientia beatorum ſit per ſe habitus Theologicorum principiorum probatur, quia ille eſt habitus per ſe principiorum alicuius doctrinæ, ſine quo nunquam ex lege Dei ordinaria acquiritur talis doctrina, ſed talis eſt in propoſito habitus fidei reſpectu doctrinę Theologicę: quare nō eſt fingendus alius habitus per ſe principiorum Theologiæ præter ipſum habitum fidei.

Nota. Cæterùm quamuis principia Theologiæ per ſe ignota reducantur ad notitiam ſcientiæ beatificæ tanquàm ſuperioris (vt docet Sanctus Thom.) non tamen eſt illi propriè ſeu perfectè ſubalternata, ſed tantùm impropriè; etenim in propria ſubalternatione neceſſe eſt vt principia ſubalternatæ ſcientię ſint cōcluſiones ſubalternantis, & vt concluſiones ſubalternatæ ſcientię ſint ipſius duntaxat propriæ, non verò ſubalternātis: ſic principia Muſicæ ſunt cōcluſiones Arithmeticæ cui ſubalternatur, nec tamen concluſiones Muſicę ſunt concluſiones Arithmeticæ; at verò Theologia beatorum & noſtra eadem habent principia & eaſdem concluſiones, vt patet. Deinde habitus principiorum ſcientiæ propriè ſubalternatæ non eſt alius quàm ipſa ſcientia ſubalternans; at habitus principiorum Theologiæ non eſt ipſa ſcientia beatorum, ſed alius quidam medius habitus inter illam & hāc noſtram Theologiam, nempè fides. Denique vt quis ſcientiam alteri propriè ſubalternatam perfectè teneat, debet ſimul callere ſubalternan-

Theologia non eſt propriè ſubalternata ſcientia beatorum.

Fides medius quidā habitus inter ſcientiā beatorum & noſtram Theologiā.

Digitized by Google

tem, vt nempè poſſit concluſiones inferioris ſcientiæ vſque in prima notiſſima & indemonſtrabilia principia reſoluere: atqui nunquam poteſt quis in hac vita vtramque ſcientiam callere, vt patet; neque etiam in altera, quia noſtra hæc Theologia non eſt illic permanſura, *cum* enim *venerit quod perfectum eſt*, inquit Apoſtolus, 1. ad Cor. 13. *euacuabitur quod ex parte eſt.*

Verùm obiicies Theologiam non eſſe ſcientiam etiam eo ſenſu quo aſſerimus, quia eſt de pluribus rebus ſingularibus ex ſe contingentibus. *Obiectio.* Reſpondetur nonnulla ſingularia tradi in ſacra doctrina quæ ad Theologiam primò per ſe non pertinent, vt pleraque Hiſtorica quę vel in exemplum vitæ, vel ad commendationem illorum per quos diuina reuelatio nobis facta eſt pertinent; alia verò per ſe ad Theologiam pertinere, vt ſunt myſteria fidei, quantumuis ſingularia ſint & ex ſe contingentia; neque enim abſurdum eſt Theologiam eſſe certam & infallibilem notitiam de rebus ex ſe contingentibus nec neceſſariis. Sicut enim Deus propter infallibilitatem & certitudinem ſuæ cognitionis de non neceſſariis dicitur habere ſcientiam, quod etiam de Beatis propter participationem diuinæ ſcientię dici poteſt; Ita etiam Theologia ob infallibilitatem & certitudinem quam habet ex ſcientia & authoritate diuina quibus innititur, dici poteſt ſcientia, quamuis etiam de rebus nõ neceſſariis habeatur: in ſcientiis quidem naturalibus neceſſitas obiecti exigitur, non verò in aliis vt in fide & Theologia, quia iſta reſoluuntur in primam veritatem quæ non pendet ab

Solutio.

Theologia certa eſt de rebus etiã ex ſe contingentibus notitia.

obiectis cùm potiùs rerum omnium veritas ab ipſa dependeat.

Quodnam ſit obiectum Theologiæ.

QVÆSTIO II.

AD pleniorem propoſitæ quæſtionis intelligentiam notandum eſt 1. illud eſſe propriũ alicuius ſcientiæ ſubiectum ſeu obiectùm, de quo ipſa per ſe primò aliquid conſiderat, quodque ſolet ſubiici in primariis concluſionibus ſeu per ſe primò intentis ab ipſa ſcientia, & ad quas ceteræ concluſiones ſcientiæ referuntur. Notãdũ ſecundò quod aliàs docuimus 3. p. Log. tract. 3. d. 1. q. 5. in eiuſmodi proprio ſcientiæ ſubiecto duo conſiderari; vnum inſtar materiæ, quæ eſt ipſa res, quæ non tantùm in vna ſcientia, ſed etiam in pluribus ſcientiis conſiderari poteſt; alterum inſtar formæ, quæ eſt ratio formalis ſecundùm quam conſideratur eiuſmodi res in tali ſcientia & non in alia.

Notãdum 1.

Notãdum 2.

Notandum eſt 3. rationem formalẽ ſubiecti alicuius ſcientiæ eſſe duplicẽ, vnam (*quæ*) alterã (*ſub qua*): illa eſt quæ per ſe primò reſpicitur à ſcientia in ſuo materiali obiecto ſecundùm habitudinem ipſius ſcientiæ ad illud: hæc verò eſt veluti conditio ſub qua obiectum formale *quod* conſideratur à ſcientia, & ſine qua nõ poſſet à tali ſcientia conſiderari. Exempli gratia. Obiectũ formale *quod* Phyſiologię, eſt corpus naturale vt naturale; itaut materiale ſit corpus ipſum naturale quod poteſt etiam à Medico conſiderari, ratio verò formalis *quæ* talis obiecti ſit naturale vt ſic, ſeu ipſa naturæ ratio, quę primò per ſe cõſideratur à ſolo Phyſico & ſecũ-

Notãdum 3.

Ratio formalis in aliquo ſciẽtia ſubiecto duplex.

dùm quam cætera conſiderantur ab ipſo; Denique ratio formalis ſub qua talis obiecti dici poteſt lumen naturale prout tale ſubiectum abſtrahit à materia ſingulari tãtùm; vel (vt exactiùs loquamur) ſcibilitas per tale lumen. Sicuti ipſum lumen naturale in genere provt abſtrahit ſubiectum à materia ſingulari ſiue ab ipſa tantùm abſtrahat ſiue etiam ab alia, nempè ſenſibili aut intelligibili: vel ſi mauis ſcibilitas per tale lumen dici poteſt, ratio formalis ſub qua omnes Philoſophicæ ſcientiæ ſua obiecta conſiderant: in quo diſtinguntur à Theologica ſcientia, quæ per lumen diuinę reuelationis ſuũ obiectum formale quod, nempè Deum vt Deus eſt, conſiderat. His præſuppoſitis ad quæſtionem propoſitam duplici propoſitione ſatisfacimus.

Lumẽ naturale vel ſcibilitas per lumen naturale.

Lumẽ ſupernaturale vel ſcibilitas per lumen ſupernaturale.

Sit igitur prima propoſitio. Subiectum proprium ſeu obiectum formale Theologiæ eſt Deus, vt affirmat D. Thomas 1.p.q.1.a.7. & quidem vt Deus eſt ſecundùm rationem Deitatis abſolutè, non ſecundùm aliquam ſpecialem rationem cuiuſuis attributi, itaut obiectum materialę ſit Dèus, qui etiam à Metaphyſico conſiderari poteſt: formale verò vt Deus ſeu ratio ipſa deitatis. Fũdamẽtũ huius aſſertionis allatũ à D.Th. ſupra eſt, quod ſic ſe habeat ſubiectum ad ſcientiã ſicut obiectũ ad potentiã vel habitũ; illud autẽ propriè aſſignatur obiectũ alicuius potẽtię vel habitus ſub cuius ratione omnia referuntur ad potentiã vel habitũ; ſicut homo & lapis referuntur ad viſum inquantũ ſunt colorata, vnde coloratum eſt propriũ obiectũ viſus,

1. Propoſitio. Obiectũ Theologia Deus vt Deus.

Fundamẽtum ſeu ratio principalis.

atque omnia pertractantur in ſacra doctrina ſub ratione Dei; vel quia ſunt ipſe Deus, vel quia habent ordinem ad Deum vt ad principium & finem, vt patet ex ſupradictis in generali præfatione. Deinde vt argumentatur idem D. Th. ſupra, idem eſt ſubiectum principiorum & totius ſcientiæ cùm tota ſcientia virtute cōtineatur in principiis. Atqui articuli fidei quę ſunt principia huius ſcientiæ, ſunt de Dęo. Denique ex 1. notando, proprium ſcientiæ cuiuſlibet ſubiectum illud eſt de quo per ſe primò ſcientia aliquid cōſiderat, quódque eſt ſubiectum primariarum concluſionum talis ſcientię: atqui Deus vt Deus eſt tale ſubiectum in Theologia, de quo per ſe primò demōſtratur quod ſit primum Ens, Simplex, Infinitus, Redemptor, Glorificator, &c.

Alia ratio.

3. ratio.

Obiectio. Verùm aduerſus hanc aſſertionem obiicies, ſubiectum proprium totale & adæquatum cuiuſpiam ſcientiæ debere eſſe vniuerſale, & præterea habere principia, partes & proprietates, vti etiam loco citato noſtræ Dialecticę docuimus; atqui Deus eſt vnus, cuius nulla poſſunt eſſe principia, cùm nihil Deo natura priùs concipi poſſit; nullæ item partes, cùm ſit vnus omnimodè indiuiſibilis; denique nullæ proprietates, cùm omnia in Deo ſint ipſa eius eſſentia. Reſpondeo ſupradictas conditiones eſſe quidem neceſſarias in obiectis totalibus philoſophicarum diſciplinarum, de quibus tantùm loquitur Ariſtot. in libris Poſt. & nos cum ipſo loco citato, non verò in obiecto Sacræ Theologię quod cùm in natura ſua ſingulare ſit, omninò intel-

Solutio.

lectuale

lectuale ac ſibi ſemper ſimile, non eſt neceſſe quod conſideretur utvniuerſale, neque neceſſe eſt quòd habeat principia generationis aut compoſitionis; ſed ſatis eſt quod in Theologia ſint aliqua principia cognitionis, quibus etiam à priori ſecundùm noſtrum concipiendi modum aliqua de Deo demonſtrentur. Vbi nota principia illa dici à priori non reſpectu Dei, ſed reſpectu eorum, quæ per ipſa de Deo demonſtrantur: Neque etiam neceſſe eſt, vt ea quę tractantur in ſacra doctrina præter Deum, ſint ipſius partes, aut ſpecies, aut accidentia, ſed ſatis eſt (vt loquitur D. Tho.) quod ſint aliqualiter ordinata ad ipſum, nempè, vt effectus ad principium, vel finem; & licèt in Deo non ſint proprietates propriè dictæ, quæ nempe ab ipſius natura, ſeu eſſentia formaliter differant, dantur tamen attributa, quę de ipſo inſtar proprietatum in Theologia demonſtrantur.

Quænam eſſe poſſunt principia obiecti Theologici.

Poſterior propoſitio. Obiectum Theologiæ ſecundùm rationem formalem ſub qua, dici poteſt Ens diuinitùs reuelabile, vt loquitur S. Thomas, 1. par. q. 1. art. 3. ad 3. vel vt diſtinctiùs loquitur idem Sanctus Doctor, art. 1. ad ſecundum: Ens cognoſcibile lumine diuinæ reuelationis. Verùm hæ deſcriptiones obiecti formalis, tam obiecto fidei, quàm obiecto Theologicæ ſcientiæ quatenus ambæ ſimul per ſacram doctrinam intelliguntur, conueniunt. Quare ſi magis exactè loqui velimus, proprium obiectum Theologię quatenus à fide diſtinguitur ſecundùm rationem formalem ſub qua, erit *Ens ſcibile ex reuelatis*, hoc eſt, id quod ſciri po-

Secunda propoſitio Obiectum Theolog. dici poteſt etiam Ens diuinitùs reuelabile.

Ens ſcibile ex reuelatis.

teſt ex principiis per reuelationem cognitis: obiectum verò fidei erit Ens cognoſcibile per reuelationem, ſeu id quod cognoſci poteſt immediatè beneficio diuinæ reuelationis. Ex quo intelligis reuelationem, etſi pertineat ad rationem formalem obiecti tum fidei cùm Theologiæ, non tantùm propriè eſſe ipſam formalem rationem obiecti fidei aut Theologiæ, ſed cognoſcibilitatem per reuelationem quæ ſolum ſimplicem aſſenſum importat eſſe rationem formalem ſub qua obiecti fidei; ſcibilitatem verò ex reuelatis quæ aliquem rationis diſcurſum neceſſariò importat eſſe rationem formalem obiecti Theologiæ, ſicut ratio formalis ſub qua color videtur non eſt lumen, ſed viſibilitas; & tamē quemadmodum lumen eſt ratio vt viſus percipiat colores: ſic reuelatio ſeu ipſum lumen reuelationis eſt ratio obiectiuè attingendi res per fidem aut Theologiam. Cæterùm nota cùm ratio hæc formalis obiecti Theologiæ non tantùm obiecto ipſius principali nempè Deo, ſed etiam aliis quæ in ordine ad Deum tractantur in Theologia conueniat, hinc fit vt obiectum Theologiæ ſecundùm hanc rationem non tantùm Deus ipſe, ſed in genere Ens omne reuelabile diuinitùs eſſe dicatur. Nihilominus tamen ſi abſolutè loquendum ſit, Deus vt Deus erit ſubiectum formale Theologiæ quatenùs poteſt ſecundùm legem ordinariam in hac vita per diſcurſum ex reuelatis deductum cognoſci.

Reuelatio nō eſt ipſa formalis ratio obiecti Theolog.

[C]orollariū Ex hac autem noſtra poſteriori propoſitione

Digitized by Google

facile eſt intelligere quomodo Theologia dicatur vna genere ſcientia, ſicut & Phyſica, non verò plures vt ſunt Mathematicæ, ſiue vnus ſit ſimplex habitus, ſiue collectio multorum habituum circa multas eaſque diuerſas concluſiones quæ faciunt vnam ſpecie ſcientiam vnitate ordinis ſeu collectionis. Quòd igitur vna ſit in ſuo genere ſcientia & non multiplex, ita colligit Sãctus Th. 1. p. q. 1. art. 3. eſt, inquit, vnitas potentiæ & habitus conſideranda ſecundùm obiectum non quidem materialiter, ſed ſecundùm rationem formalem obiecti: quia igitur ſacra doctrina conſiderat aliqua ſecundùm quod ſunt diuinitùs reuelata, omnia quæcumque ſunt diuinitùs reuelabilia communicant in vna ratione formali obiecti huius ſcientię, & ideò comprehenduntur ſicut ſub ſcientia vna; & quoniam Theologia eſt ſuperior habitus quam cęteræ omnes ſcientiæ, ac proindè obiectum ſuum ſub vniuerſaliore ratione conſiderat, idcircò non mirum eſt ſi vna exiſtens ſe extendat ad ea quæ in diuerſis ſcientiis ſub ſpecialiori ratione tractantur; ſicut ſenſus communis, cùm ſit vna potentia, ſe extendit ad omnia obiecta quinque ſenſuum; in quæ ſanè diuinæ ſcientię ſimilitudinem refert, quæ vno latiſſimo ſimul & ſimpliciſſimo ambitu omnia complectitur.

ex præc. propoſitione, theologiam eſſe vnam.

An Theologia ſit Theoretica vel Practica.

QVÆSTIO III.

Supponendum primò. SVpponendum eſt hîc imprimis philoſophis notum diſcrimen inter ſcientias theoreticas & practicas, quòd illarum finis ſit veritas, harum verò opus; quare in illis ſcimus vt ſciamus, in his verò ſcimus vt operemur: vtrùm verò diſcrimẽ illud eſſentiale ſit an accidẽtale, nõ multũ intereſt, quãuis probabiliùs exiſtimauerim accidentale eſſe eo quòd differentię illę, nẽpè theoreticum & practicum, ex ſcientiarum obiectis deſumantur, non vt obiecta ſint formaliter, ſed potiùs ut ſunt res, nempe quod eorum, quę à nobis ſciri poſſunt, alia ſint à nobis operabilia, alia verò tantùm ſpeculabilia; *Supponendum ſecundò.* ſupponimus etiam alium eſſe finem ſcientis, aliud verò ſcientię proprium, vt notunt Philoſophi: & prętereà certum eſſe finem diſcentis, ſeu ſcientis Theologiam debere eſſe praxim diligendi Deum & proximum, vitamque benè ac ſanctè inſtituendi. His pręſuppoſitis

1. propoſitio. Sit prima propoſitio:

Ratio prima. Theologia ſimul eſt theoretica & practica: tùm quia Theologia propter ſui excellentiam eminenter continet omnes inferiores ſcientias quarum alię theoreticæ ſunt, aliæ practicæ; *Secunda.* tùm quia tractat de omnibus quæ per diuinam reuelationem cognoſci poſſunt: atqui eorum multa ſunt ſpeculatiua, vt quæ de Deo, & Chriſto diſſerentur, in 1. & 2. par. noſtræ Summę,

Digitized by Google

multa item practica, vt ea quæ de gratia, virtutibus, donis & ſacramentorum vſu dicentur in tertia. Quare Theologia, ſaltem ſub iſta ratione partim erit theoretica, partim practica.

Secunda propoſitio: Theologia magis eſt ſpeculatiua quàm practica. Ratio Diui Thom. eſt quia (inquit) principaliùs agit de rebus diuinis quàm de actibus humanis: de quibus agit, ſecundùm quòd per eos ordinatur homo ad perfectam Dei cognitionem in qua æterna Beatitudo conſiſtit: adde quòd ex ſupradictis præcipuum ac finale ſubiectum Theologiæ eſt Deus: vt Deus eſt, quod non eſt aliquid operabile, Ergo Theologia magis dicenda eſt ſpeculatiua, quàm practica. Ex quo intelligis Theologiam in eo differre à ſcientiis practicis, quòd non agat per ſe primò de ſuo obiecto operabili, ſed tantùm ſecundariò & minùs principaliter, cùm tamen ſcientiæ practicæ de ſuo operabili ſubiecto per ſe primò differant.

Secunda propoſitio. *Ratio prima.* *Secunda.* *Corollariũ.*

An Theologia præſtet aliis ſcientiis.

QVÆSTIO IV.

CVM ſcientiarum aliæ theoreticæ, aliæ practicæ, noſtra verò Theologia partim theoretica ſit, partim practica, ex præcedenti quæſtione conſiderandum eſt, an Theologia, qua parte theoretica eſt, alias theoreticas ſcientias, & qua parte practica eſt, practicas dignitate ſuperet.

Theologia noſtra partim theoretica eſt, partim practica.

Sit igitur prima propoſitio. Theologia qua

Prima propoſitio.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE REGIA

parte ſpeculatiua eſt, alias ſcientias ſpeculatiuas dignitate ſuperat, quia ſcientiæ cuiuſpiam ſpeculatiuę præſtantia duabus rebus continetur, certitudine ſcilicet, & obiecti nobilitate, ex Ariſtotele lib. 1. de an. c. 1. ſed ratione vtriuſque Theologia præſtat omnibus ſcientiis ſpeculatiuis: ratione quidem certitudinis, quia aliæ ſcientiæ certitudinem habent ex naturali lumine rationis humanæ, quæ poteſt errare, hæc autem certitudinem habet ex lumine diuinæ ſcientiæ, quæ decipi non poteſt: ratione verò nobilitatis obiecti, ſeu materiæ ſubiectæ, quia aliæ ſcientiæ ſunt de iis quæ rationi ſubſunt, ſeu, quæ ratione comprehendi poſſunt: at verò hæc de iis quæ rationem, ſeu humanæ intelligentiæ captum ſua ſublimitate longè ſuperant, vt de Deo quatenus eſt author non ſolùm naturæ, ſed etiam gratiæ & gloriæ, quod eſt obiectum omnium præſtantiſſimum.

Ratio.

Theologia certitudine præſtat.

Etiam obiecti nobilitate.

Obiicies alias ſcientias videri certiores Theologia, eo quòd non modò quis de illorum veritate non formidet, ſed ne quidem formidare poſſit, cùm adeò euidentia ſint illorum principia, vt nemo de iis dubitare poſſit: At verò multi, nempe infideles omnes de veritate Theologicarum propoſitionum dubitant, immò fieri poteſt, vt qui nunc Theologiam callet, eiuſque veritati aſſentitur, de illa aliquando dubitet, aut etiam falſam exiſtimet, ſi nempe fidem abiiciat. Verùm reſpondemus cum D. Thoma, hîc ar. 5. ad primum nihil prohibere quin id quod eſt ſecundùm naturam certius, quoad nos ſit minùs certum propter imbecil-

Obiectio.

Solutio. Cur Theologica veritas quibuſdam dubia, aut falſa videatur.

litatem noſtri intellectus, qui ſe habet ad manifeſtiſſima naturæ, ſicut ad lumen ſolis oculus noctuæ, vt ait Philoſophus in 2. Met. quò fit, vt veritates Theologiæ natura ſua certiſſimæ, infidelibus quibuſuis omninò incertæ imò prorſus falſæ videantur: quod autē fideles ac Theologi de veritate propoſitionum Theologicarū dubitare poſſint abiiciendo fidem, nō oritur ex incertitudine fidei aut Theologiæ, ſed ex illorū habituum ineuidentia, quæ cauſa eſt, cur non reddant intellectum in aſſentiendo perpetuò infallibilem, ſicut reddunt habitus aliarum ſciētiarum; quo fit, vt poſſit fidelis cùm voluerit illas abiicere, ac proindè de rebus theologicis dubitare: at verò quandiu manent in aliquo habitus illi ſupernaturales, omnem formidandi potentiam remouent, cùm ſit impoſſibile aliquem habitu fidei ac Theologia præditus dubitare ſeu vereri, ne ſint vera quæ tradunt Fides & Theologia; nam eo ipſo quod dubitaret habitus illos amitteret. Inſtabis forſan, ſaltem in iis ratiocinationibus theologicis (vbi altera præmiſſarum eſt philoſophica, ſeu nota tantùm lumine naturali) aſſenſum concluſionum non fore certiorem eo aſſenſu, quem philoſophicis concluſionibus probemus, præſertim cùm concluſio ſequatur deteriorem partem ſui antecedentis, ſicque non poſſit eſſe concluſio certior propoſitione illa philoſophicâ, quæ eſt pars antecedentis debilior. Reſpondeo prædictum illum aſſenſum theologicum fore ſemper certiorem quouis aſſenſu philoſophico, non tamen euidentio-

Inſtantia notabilis.

Solutio notanda.

rem, vnde & fatemur concluſionem illam ex altera præmiſſarum ſolo naturali lumine deductam non poſſe eſſe euidentiorem quàm ſit vlla præmiſſarum, & ſic aliquo modo ſequi deteriorem partem ſui antecedentis, aſſerimus tamen certiorem eſſe ea præmiſſa, quæ eſt tantùm naturalis eò quòd prædictæ concluſionis certitudo magis principaliter pendeat à certitudine theologicæ præmiſſæ, quæ, quia eſt ſuperioris & nobilioris ordinis, quàm Philoſophia, idcircò efficaciùs influit in effectum, ſeu concluſionem quàm philoſophica præmiſſa; quo fit, vt quamuis altera præmiſſarum ſit naturalis, altera ſupernaturalis, concluſio tamen ſit ſupernaturalis, ſeu theologica, non verò Philoſophica.

Secunda propoſitio. Secunda propoſitio. Theologia quatenus practica eſt, alias ſcientias practicas dignitate ſuperat. *Ratio.* Probatur, quia inter ſcientias practicas ea cenſeri debet nobiliſſima, cuius finis ad nullum alium finem, ad ipſum verò cæterarum fines referuntur; finis autem huius doctrinæ quatenus practica eſt, ſeu quatenus practicè diſſerit de actionibus humanis & ceteris, eſt beatitudo æterna, quæ eſt finis vltimus ad quem ordinantur omnes alij fines ſcientiarum practicarum, ipſe verò ad nullum alium; eſt igitur Theologia omnium practicarum ſcientiarum nobiliſſima.

Tertia propoſitio. Tertia propoſitio ex duabus præcedentibus colligitur, nempè Theologiam multo potiori iure, quàm cæteras ſcientias, ſapientiæ titulo inſigniri: *Ratio prima.* quod confirmatur hac ratione D. Th.

Digitized by Google

hîc ar.6.cùm(inquit) Sapientis ſit ordinare, & iudicare,iudicium autem omne per altiorem cauſam de inferioribus haberi ſoleat, ille ſapiens dicitur in vnoquoque genere qui conſiderat cauſam altiſſimam illius generis,vt docet Ariſtoteles 1. Met.c.2.& 6. Ethi. c.7. Ille igitur qui conſiderat cauſam ſimpliciter altiſſimam totius vniuerſi, nempe Deum, omnium maximè Sapiens cenſendus eſt: atqui Theologia Deum contemplatur quatenus eſt altiſſima cauſa,non tantùm quantum ad illud quod eſt per creaturas cognoſcibile, quod Philoſophi cognouerunt; ſed etiam quantùm ad id quod notum eſt ipſi ſoli de ſeipſo, & aliis per reuelationem communicatum.Quare ſacra doctrina, ſeu Theologia, præſertim quatenus habitum fidei complectiturr,verè ſumma eſt Sapiẽtia,de qua Apoſt.1.ad Cor.2.*Sapientiam* (inquit) *loquimur inter perfectos*: Adde præcipuas conditiones quas Ariſtoteles 1. Metaph.deſiderat in habitu ſcientifico, vt dici poſſit ſapientia in iſto inſigniter reperiri.

Theologia altiſſimam cauſam conſiderat.

Secunda.

An Theologia ſit ad ſalutem neceſſaria.

QVÆSTIO V.

NEmini Chriſtiano dubium eſſe poteſt, ſacram doctrinam quatenùs fidem ac Theologiæ principia ſuo ſignificatu complectitur, prorſus neceſſariam eſſe ad ſalutem, & rectè probat ſanctus Tho.hîc q.1.a.1. Quia cùm finis ad quem homines ordinantur debeat eſſe illis præcognitus, vt ad ipſum ſuas intentiones & actiones dirigãt; non poſſit autem eiuſmodi

Sacra fidei doctrina omnibus neceſſaria.

Ratio.

finis humana ratione comprehendi, cùm ſit ſupernaturalis, iuxta illud Iſaiæ 64. *Oculus non vidit Deus, abſque te, quæ præparaſti diligentibus te*: ſicut nec media tali fini congrua, cùm etiam ſint ſupernaturalia, neceſſaria fuit ad ſalutem hominũ (pręter Philoſophicas ſcientias, quæ humana ratione comparantur) ſacra quędam doctrina diuina reuelatione parta, per quam illa omnia hominibus innoteſcerent: Verùm dubitatio eſſe poſſet de ſacra doctrina, quatenus pro ſolo theologico habitu, ab habitu fidei distincto accipitur. Cui dubitationi ſequentibus propoſitionibus ſatisfiet.

Senſus quæſtionis.

Prima propoſitio.

Prima propoſitio. Etſi nemini in particulari Theologia ad ſalutem ſit neceſſaria, eſt tamen in Eccleſia vniuerſim loquendo abſolutè neceſſaria, id eſt, quamuis non ſit neceſſe hunc, aut illum eſſe Theologum, vt ſalutem cõſequatur, tamen neceſſe eſt, ad hominum ſalutem aliquos eſſe in Eccleſia Doctores, ſeu Theologos: quod non obſcurè ſignificat Apoſtolus, cùm ſcribit ad Epheſ. c. 4. *Dediſſe Chriſtum Eccleſiæ ſuæ Doctores, idque ad conſummationem ſanctorum*, id eſt ad ſalutem fidelium, *donec omnes occurramus in virum perfectum*, id eſt, vſque in finem ſæculi: & ſanè ipſe fidei & gratiæ author Chriſtus, & poſt ipſum eius diſcipuli ac ſancti Eccleſiæ Patres, argumentationibus ex principiis fidei, & ex ratione ductis, tanquam neceſſariis ad perſuadendam hominibus viam ſalutis vti ſolebant. Denique idẽ ratio poſtulat: ſi enim fides ad ſalutem eſt neceſſaria, vt verè eſt, certè hoc ipſo neceſſarium erit fidem in animis hominum gi-

Probatur authoritate.

Ratione.

gni, nutriri, defendi, & roborari, hoc eſt, ita hominibus exponi, & perſuaderi, vt eam libenter amplectantur, & in ea conſtanter perſeuerent. Quod cùm abundè ſatis præſtet ſola Theologia, erit proculdubio fidei tuendę, ac propagandæ imprimis neceſſaria.

Secunda propoſitio.

Secunda propoſitio. Theologia, prout nunc tractatur à ſcholaſticis Theologis, nempe propoſitis ordine certis quæſtionibus, & argumentis in vtramque partem ex diſſerendi arte, & ex principiis Philoſophicarum ſcientiarum ductis breuiter ac ſubtiliter, abſque ornamentis dicendi, non eſt quidem ad ſalutem hominum ſimpliciter neceſſaria, eſt tamen longè vtiliſſima. Quòd non ſit abſolutè neceſſaria, ſatis conſtat, quia nempe homines in Eccleſia ſaluabantur, ac fides Chriſtiana ſatis benè conſeruabatur, cùm tractaretur Theologia more Patrū. Quod tamen ſit vtiliſſima probatur ex ipſa ratione, & modo quem ſcholaſtici tenent in diſputando; conſiſtit enim in methodo, ordine, diſtinctione quæſtionum, & argumentorum in forma diſſerendi, quam recta ars præſcribit in perſpicaci quadam, & exacta cognitione rerum ipſarum, de quibus aliquid fides affirmat, aut negat, comparata præſidio aliarum artium, & ſcientiarum, item in explicatione eorum, quæ aut ex eiſdem rebus fidei benè perſpectis conſequuntur, aut non conſequuntur, aut eis repugnant, ac denique in ſimplicitate quadam ſermonis, & verborum quibus vnaquæque res tractatur; at nihil prorſus eſt in hac omni ſcholaſtica diſputandi ratione,

Theol. Scholaſtica non eſt abſolutè neceſſaria.

Eſt tamen vtiliſſima.

Digitized by Google

quòd non per ſe accõmodatiſſimum ſit ad res ipſas fidei meliùs intelligendas & perſuadendas, & ab aduerſariorum inſultibus propugnandas, qui eſt finis atque ſcopus omnis Theologiæ: non eſt igitur negandum, quia modus ille ſcolaſticus tractandi Theologiam Eccleſiæ ſit vtiliſſimus.

Veritates Theologicæ lumine naturali cognoſcibiles.

Cæterùm, quia duæ præcedentes concluſiones ſunt tantùm de Theologia quoad veritates ſupernaturales de Deo ad quas humana ratio nequaquam poteſt attingere, præter quas ſunt aliæ veritates de Deo naturales, ut Deum ſapientem eſſe, æternum, omnipotentem, & cætera quæ de Deo humana ratione inueſtigari poſſunt, quid de neceſſitate Theologiæ tenendum ſit, quoad eiuſmodi veritatem ſequenti propoſitione ſtatuemus.

Tertia propoſitio.

Tertia igitur propoſitio ſit, Theologia ſeu doctrina reuelata, quoad eiuſmodi veritates, eſt neceſſaria vt meliùs, commodiùs, & certiùs cognoſcantur; quia, inquit D. Th. veritas de Deo, per ſolam rationem inueſtigata à paucis, & per longum tempus, & cùm admiſtione multorum errorum homini proueniret: non tamen abſolutè, & ſimpliciter eſt neceſſarium, vt veritates illæ quouis modo habeantur; neque enim adeò multæ ſunt, aut obſcuræ, vt ad eas percipiendas non ſufficiat naturale lumen intellectus.

Quænam ſint principia Theologiæ, & quomodo illis vtatur.

QVÆSTIO VI.

VTraque pars propoſitę quæſtionis non-niſi ex multarum explicatione difficultatum plenè declarari poteſt, quæ ſunt octo præcipuæ: Prima an aſſertiones fidei ſint principia Theologiæ: ſecunda, quinam ſint loci, vnde educuntur principia, ſeu argumenta Theologica: tertia, quotuplex ſit ſacræ Scripturæ ſenſus: quarta, an ex quouis literali ſenſu Theologus argumentari poſſit: quinta, an ex quouis ſpirituali ſenſu argumentari liceat: ſexta, an Theologia poſſit probare ſua principia: ſeptima, an ſaltem demonſtrari poſſit Theologiæ principia eſſe poſſibilia, aut euidenter credibilia: Octaua, an Theologia poſſit euidenter ſoluere argumenta fidei contraria. *Difficultates 8. circa propoſitā quæſt.*

Quod ſpectat ad primam difficultatem; appellamus hîc principia Theologiæ pronunciata quædam vera & certa, ex quibus adhibito diſcurſu colliguntur concluſiones theologicæ; quòd autem eiuſmodi ſint aſſertiones fidei ex eo facilè probatur, quòd fides ſe habeat ad Theologiam, ſicut habitus principiorum ad habitum concluſionum, vt ſuprà docuimus. Quare propoſitiones fidei erũt principia theologicarum propoſitionum: Vbi nota eaſdem aſſertiones fidei poſſe ſimul eſſe concluſiones theologicas, ſi nempe per alias aſſertiones fidei *Prima difficultas.* *Aſſertiones fidei ſunt principia Theologiæ.* *Nota.*

poſſe ſimul eſſe concluſiones theologicas, ſi, nempe per alias aſſertiones fidei comprobentur: vt ſi probes cum Apoſtolo futurum eſſe, vt omnes reſurgamus, quia Chriſtus Primitiæ dormientium reſurrexit; aut ſi probes duas eſſe in Chriſto voluntates (quod ab Eccleſia iampridem definitum fuit) quia duæ ſunt in ipſo naturæ.

Secunda difficultas.

Quod ſpectat ad ſecundam difficultatem; reſpondeo ſeptem pręcipuos locos eſſe, ac veluti ſedes argumentorum theologicorum; primus eſt ſacræ Scripturæ, ſecũdus traditionum Apoſtolicarum, tertius ex Conciliorum œcumenicorum, quartus ſummorum Pontificum, quintus Doctorum eccleſiaſticorum, ſeu Sanctorũ Patrum conſentientium, ſextus communis conſenſus fidelium, vbi de eo conſtiterit. ſeptimus veritatis naturaliter certæ, & euidentis, cùm ad eam fidei veritas adhibetur ex aliquo locorum (quos enumerauimus) deprompta: quòd ſi quibuſdam aliis locis vtatur Theologia, non illis vtitur tanquam propriis & neceſſariis, ſed tanquam extraneis, & probabiliter concludentibus, vt docet ſanctus Thom. hîc q. 1. ar. 8. Vbi aduerte quatuor genera ratiocinationum in Theologia reperiri poſſe: primum, quod procedit ex principio vtroque merè naturali; & huius concluſio nõ eſt propriè Theologica, nec gignit habitum ſcientiæ Theologicæ: ſecundum quod procedit ex vtroque principio de fide; & huius concluſio eſt propriè Theologica, gignitque habitum Theologiæ: tertium quod procedit ex altero principio de

Loci 7. Theologicarum argumentorum.

Nota quatuor genera ratiocinationum in Theologia.

fide,& altero naturali certo,& euidenti; & huius concluſio eſt etiam Theologica propriè, gignitque etiam habitum theologicum: quartum quod procedit ex altero principio fidei,& altero naturali incerto;& huius concluſio non eſt theologica propriè,nec gignit propriè habitum theologicum, ſed tantùm opinionem. Si obiicias locos omnes ſuprà allatos excepto vltimo eſſe tantum ab authoritate, argumentum autē ab authoritate eſſe infirmiſſimum, vt docent communi conſenſu Dialectici. Reſpondeo, licèt locus ab authoritate, quæ fundatur ſuper humana ratione ſit infirmiſſimus, locum tamē ab authoritate quæ fundatur ſuper diuina reuelatione eſſe efficaciſſimum; eſt autem maximè proprium huius ſcientiæ vti argumentis ab authoritate, quia eius principia nonniſi per diuinam reuelationem habentur.

Obiectio.

Solutio.

Argumentū ab authoritate diuina firmiſſimū.

Quod ſpectat ad tertiam difficultatem, ſciendum eſt, quod ſenſus ſcripturæ tripliciter dici poteſt, nempe vel rei veritas per Scripturam ſignificata, vel conceptus qui in intellectu diuino reſpondet ſacræ Scripturæ, quique etiam per ſacram Scripturam ſignificatur, vel denique conceptus noſter verus,& conformis conceptui diuino ac ſignificatæ rei veritati.

Tertia difficultas.

Senſus ſcripturæ eſt ſignificata veritas, eaque triplex.

Porrò ſenſus ſcripturæ ita generatim ſumptus diuiditur in literalem & ſpiritualem. Literalis qui & hiſtoricus, dicitur is quem voces ipſæ proximè ſignificant: Spiritualis verò quem indicant res ſignificatæ per voces. Habet enim hoc proprium ſacra Scriptura (in quo diſtinguitur ab aliis) quod in ipſa non tan-

Sēſus Scripturæ in genere duplex.

Sacra Scripturæ ſingularis proprietas.

tùm voces, ſed etiam res ſignificatæ per voces aliquid ſignificent. Cuius rei cauſa eſt, quòd Deus qui eſt author ſacrę ſcripturæ poſſit accōmodare non ſolùm voces & ſcripta ad aliquid ſignificandum (quod & homines facere ſolent) ſed etiam res geſtas ad aliquid aliud vlteriùs ſignificandum, quod hominibus in humanis diſciplinis denegatum eſt. Cùm enim curſus rerum omnium diuinæ prouidētiæ ſubſit, & non humanæ; fit vt ſolus Deus poſſit ſua prouidentia ita diſponere & accommodare res vt ſecundùm curſum quem ex ipſius prouidentia ſunt habituræ, non ſolùm aſſimilentur aliis rebus futuris, ſed etiam ex inſtituto & præordinatione ipſius eas res quarum ſimilitudinem gerunt, ſignificent, quorum vtrumque ad ſenſum ſpiritualem eſt neceſſarium: ſunt autē illi duo ſenſus inter ſe ſubordinati, ita vt ſenſus ſpiritualis innitatur litterali, eumque ſupponat.

Quòd ſit admittendus ille duplex ſenſus probatur.

Quod igitur illi ſenſus in genere à Spiritu ſancto intenti in ſacris literis reperiantur, ita vt præter litteralem de quo fermè apud omnes conſtat ſpiritualis admittendus ſit, probatur primò ex ipſa ſacra ſcriptura. nam imprimis illud Oſeæ 11. *Ex Ægypto vocaui filium meum:* quod literaliter dictum eſt de populo Iſraelitico Mathæi 2. accommodatur ſpiritualiter ad Chriſtum paruulum. Et illud Exod. 12. *Os non comminuetis ex eo*, quod ad literam dicitur de Agno paſchali, ſignificatur ab Euangeliſta Ioanne 19. cap. dictum fuiſſe ſpiritualiter de Chriſto. Mitto alia ſancti Euangelii loca, in quibus vterque ſenſus ab ipſo Chriſto ſatis apertè declaratur

Probatur primò.

Digitized by Google

ratur. Apoſtolus verò 1. Corinth. 10. cùm dixiſſet patres omnes ſub nube fuiſſe, ſubiungit: *Omnia in figuris contingebant illis.* Et ad Galatas 4. *Abraham* (inquit) *habuit duos filios, vnum de libera, & alterum de ancilla, quæ ſunt per allegoriam dicta.* Hæc enim ſunt duo teſtamenta, quo nihil apertius dici potuit ad confirmandum ſenſum allegoricum, ſeu ſpiritualem. Secundò, idem confirmatur authoritate Patrum, quorum alij ſpiritualem ſenſum animæ, literalem carni; alij ſpiritualem diuinitati, literalem humanitati Chriſti; alij ſpiritualem grano, literalem paleis; alij illum nucleo, hunc verò cortici compararunt. Tertiò, rationi congruum eſſe videtur admittendum eſſe illum ſenſum, eo quòd multa narrantur in ſacris literis, quæ ſi ad literam acciperentur, non tantùm vilia & indigna, nec tantùm ridicula & inania, ſed iniqua planè, & morum honeſtati contraria viderentur, vt quæ habentur in Cantico Canticorum, & cæteris. Quare præter literalem neceſſariò ſpiritualis admittendus eſt. *Secundò.* *Tertiò.*

Quod ſpectat ad quartam difficultatem, quæ eſt de ſenſu literali, notandum eſt primò, ſenſum literalem eſſe duplicem; alterum proprium, quem voces in propria ſignificatione efficiunt; alterum figuratum, ſeu metaphoricum, quem voces in figurata, ſeu tranſlatitia ſignificatione reddunt; eſt enim metaphora tranſlatio nominis ad aliquid impropriè ſignificandum, in quo reperitur aliqua conditio eius rei, quæ propriè illo nomine ſignificatur: quò fit cùm variæ proprietates, ſiue *Quarta difficultas.* *Nota primò.* *Literalis ſenſus duplex.* *Proprius.* *Metaphoricus.*

conditiones vnius rei poſſint in variis rebus reperiri, vt idem nomen quod propriè rem vnam ſignificat, transferri poſſit ad ſignificandas varias res metaphoricè: ſic Chriſtus Apoc. 5. dicitur Leo propter fortitudinem; & diabolus 1. Petri, cap. 5. nominatur Leo propter ferocitatem. Vbi obiter aduerte vocis figuratæ ſenſum literalem non eſſe figuram, ſed id quod eſt figuratum ex D. Tho. hîc art. 10. ad tertium.

Nota ſecundò. Metaphora in ſacris litteris valde vtiles.

Notandum eſt ſecundò, licèt eiuſmodi metaphoræ non ſint ſimpliciter neceſſariæ, eſſe tamen valdè vtiles multis rationibus.

Primò.

Primùm, quia ſic ſacra Scriptura conuenienter admodùm diuina, & ſpiritualia ſub ſimilitudine corporalium adumbrat: ſiquidem naturæ hominis conſentaneum eſt admodùm, vt per ſenſibilia quaſi manu ducatur ad intelligibilia, cùm omnis humana cognitio ducatur à ſenſibus,

Secundò.

Deinde ipſa occultatio rerum diuinarum ac myſteriorum, quæ fit per figuras, ſeu metaphoras, vtilis eſt ad excitandos ſimul, & exercendos: imò etiam recreandos ſtudioſorum animos, ne videlicet myſteria nimiùm nuda & aperta nobis ipſis vileſcant, aut faſtidium pariant:

Tertiò.

Denique ſic occultantur diuina myſteria, ne infidelium, aut prophanorum hominum irriſionibus pateant. Cur autem ſacræ literæ, tres diuinas adumbrent, ſub figuris vilium corporum magis quàm nobilium, lege apud Diuũ Dionyſium, l. de cæleſti Hierarch. cap. 2. & S. Tho. 1. part. quæſt. 1. art. 9. ad tertium. Sunt autem præter metaphoras, & allegorias alij Tropi in ſacris litteris, vt ironia, antiphraſis, hyperbolæ, &c.

Notandum eſt tertiò ex Diuo Thoma hîc art. 10. vnum eumdemque Scripturæ Sacræ locum poſſe habere plures ſenſus, etiam litterales: ratio eſt, quòd ſenſus litteralis ſit is, quem author intendit maximè ſignificare per verba; atqui Deus, qui eſt author ſacræ Scripturæ, poteſt per eadem verba velle ſignificare plures ſenſus; quo fit vt eiuſdem loci variæ interpretationes literales à variis Patribus nonnumquam afferantur. Vbi ſunt duo obiter animaduertenda, primum eſt, non facilè admittendos eſſe plures ſenſus literales, niſi fortè ex conſenſu plurium Patrum; alterum eſt inter plures ſenſus litterales eum pro indubitato habendum eſſe, quem magis verba propriè ſumpta præ ſe ferunt: Adde etiam illud ſacræ Scripturæ voces, non abſque aliqua neceſſitate metaphoricè accipiendas eſſe. *Nota tertiò.* *Duo notanda. primum.* *Secundum.*

Vt igitur ad id reſpondeamus, quod in quarta hac difficultate præcipuè quærebatur, vtrum ex quouis litterali ſenſu, argumenta Theologica, ſeu principia argumentationum theologicarum peti poſſint; conſtat quidem ex litterali proprio peti poſſe, aſſerimus etiam ex metaphorico, ſi modò de illo conſtet. Exẽpli gratia, probari poteſt Deum intelligentem eſſe ex iis locis, vbi Dei perſpicacitas in intelligendo figuratè ſignificatur nomine oculorum, aut viſionis diuinæ, quoniam de eo ſenſu conſtat apud omnes. *Propoſita difficultatis quartæ reſolutio.*

Quod ſpectat ad quintam difficultatem, notandum eſt primò, ſpiritualem ſenſum eſſe triplicem: nempe Allegoricum, Mo- *Quinta difficultas. Notãdum primò.*

ralem, ſeu tropologicum, & Anagogicum. Allegoricus maximè eſt, cùm ea, quæ geſta ſunt in veteri teſtamento ſignificant ea quæ gerenda fuerunt in nouo. *Moralis*, *ſeu tropologicus*, cùm ea, quæ geſta ſunt ſiue in nouo, ſiue in veteri teſtamento indicant ea quæ nos agere debeamus. Anagogicus, cùm ea quæ accidunt in eccleſia militanti, circa caput ipſius, id eſt, Chriſtum, vel circa ipſius membra ſignificant ea, quæ futura ſunt in Eccleſia triumphante, vt colligitur ex Diuo Thoma, 1. par. quæſt. 1. art. 11.

Spiritualis ſenſus triplex.

Allegoricus.

Moralis.

Anagogicus.

Senſus ſacræ Scripturæ quadripartitus.

Quamuis nonnulli paulò aliter quadripartitam diuiſionem ſenſus ſacræ Scripturæ in literalem, moralem, allegoricum, & anagogicum colligant, quod quidquid in ſacris literis continetur, vel ad fidem, vel ad mores, vel ad ſtatum militantis eccleſiæ, vel ad ſtatum triumphantis pertineat: ad fidem ſpectat literalis, ad mores moralis, ad ſtatum præſentis eccleſiæ allegoricus, ad ſtatum triumphantis anagogicus: Porrò iſti quatuor ſenſus hoc vulgari diſticho exprimuntur.

Littera geſta docet; quid credas allegoria
Moralis quid agas, quid ſperes anagogia.

Notandū ſecundò.

Vbi videas triplicem ſenſum ſpiritualem ad tres Theologicas virtutes referri. Notandum ſecundò ſenſum allegoricum, apud Theologos dupliciter accipi; vel in genere pro quouis ſenſu ſpirituali; vel in ſpecie pro eo tantùm ſenſu ſpirituali, qui diſtinguitur à tro-

pologico, & anagogico, idemque de aliis, tropologico nempe & allegorico dici poteſt.

Notandum eſt tertiò, licèt non ſit neceſſe quemlibet ſacræ Scripturæ locum hos omnes ſenſus habere, cùm ſatis ſit, ſi habeat ſaltem literalem, eumque vel proprium, vel metaphoricum; nihilominùs tamen poſſe fieri, vt omnes illi ſenſus in eodem ſacræ Scripturæ loco contineantur: imò nonnunquam in eodem vocabulo: exempli gratia (*Hieruſalem*) litteraliter Iudeæ ciuitatem denotat, allegoricè eccleſiam ſub noua lege conſtitutam, moraliter animam Chriſtianam, anagogicè Eccleſiam triumphantem. Notandum quartò, licèt frequentior ſit in veteri teſtamento ſpiritualis ſenſus, quàm in nouo; nihilominùs tamen in nouo etiam ſenſum ſpiritualem contineri, tum tropologicum, idque ſæpiſſimè, cùm interdum allegoricum, licèt rariùs: poſſunt etiam nonnulla ad ſenſum anagogicum traduci.

Notandũ tertiò.

Plures ſẽſus ſub eadem littera.

Ad propoſitam igitur difficultatem reſpondemus, nihil obeſſe quominùs ex ſenſu ſpirituali certum argumentationis theologicæ principium duci poſſit, modò de illo certò conſtet eſſe verum ſenſum; verùm quia difficile eſt diſcernere, an ſpiritualis ſenſus ſit intentus à ſpiritu ſancto, ac proindè an ſit verus, cùm multo faciliùs literalis ſenſus deprehendi poſſit, nempe ex ipſa vocum ſignificatione. Hinc Sanctus Thomas, art. 10. ad primum, ait ex ſolo literali ſenſu trahi poſſe argumentum Theologicum,

Propoſitæ difficultatis ſanctæ reſolutio.

non autem ex his quæ ſecundùm allegoriam dicuntur: quod intelligendum eſt vt plurimùm.

Sexta difficultas. *Notãdum Principia theolog. duplicia.*

Quod ſpectat ad ſextam difficultatem, an videlicet Theologia poſſit probare ſua principia: notandum eſt duo eſſe genera principiorum in Theologia, quædam enim ſunt omnium prima, & maximè immediata, quibus primò aſſentimur per fidem, vt Deum eſſe Trinum, Verbum eſſe incarnatum; alia verò ſecundaria, & mediata, quibus licèt per fidem aſſentiamur, ex aliis tamen tanquam natura prioribus, & cauſis ratiocinatione theologica colligi poſſunt. Hoc poſito,

Explicatur diffic. triplici propoſitione.

Prima propoſitio.

Sit prima propoſitio. Theologia non poteſt prima, & immediata fidei principia demonſtratiuè probare, neque à priori tanquam per altius principium, eo quòd ſint abſolutè prima; neque à poſteriori tamquam per aliud notius principium, quia principia mediata Theologię, non ſunt notiora nobis, imò ſæpè minimè nota, quàm principia immediata. v. g. non eſt notius nobis Chriſtum habere duas voluntates, quàm duas naturas; licèt illud ex iſto Theologica ratiocinatione colligatur.

Secunda propoſitio.

Secunda propoſitio. Licèt eiuſmodi principia prima non poſſint ex aliis probari ſimpliciter & ſecundùm ſe, vt verè docet ſanctus Thomas 1. part. quæſt. 1. art. 8. & pręcedenti propoſitione oſtendimus; nihil tamen obſtat, quominùs ſecundùm quid, & ad hominem ſeu ex conceſſis probari poſſint, ex eodem Diuo Tho. ibidem, vt ſi aliquis quædam alia, licèt poſte-

riora, & mediata fidei principia admitteret, ex quibus iſta prima concedere neceſſariò cogeretur; vt ſi quis vltrò concederet duas eſſe in Chriſto voluntates, ex eo cogeretur admittere duas in Chriſto naturas.

Tertia propoſitio.

Tertia propoſitio. Principia mediata per alia priora conceſſa, tanquam a priori demonſtrari poſſunt; quòd & ipſe Apoſtolus præſtitit primo Corinth. 16. cùm ex reſurrectione Chriſti probauit communem reſurrectionem; licèt enim vterque ſit articulus fidei, vnus tamen eſt altero natura prior, ex quo proinde alter Theologicè, tanquam a priori demonſtrari poteſt.

Septima difficultas explicatur duplici propoſitione.

Quod ſpectat ad ſeptimam difficultatem, an videlicet Theologus poſſit demonſtrare Theologiæ principia eſſe poſſibilia; quid de ea tenẽdum ſit duplici propoſitione determinauimus.

Prior propoſitio. Non poteſt euidenter demonſtrari (niſi fortè ex conceſſis) prima principia fidei noſtrę eſſe poſſibilia, vt poſſibile eſſe Deum eſſe trinum, Verbum eſſe incarnatum, &c. tum quia illa omnia naturę vires longè ſuperant, tùm quia nullum medium excogitari poteſt ab humano intellectu, quo, illa demonſtrentur non repugnare.

Prima propoſitio.

Poſterior propoſitio. Oſtendi poteſt principia Theologiæ eſſe euidenter credibilia ſeu ſecundùm rectam rationem credenda; hoc enim efficiunt motiua fidei, vt Deo dante docebimus in priori tomo tertiæ partis, vbi de fide: Hîc tantùm obiter aduerte illum habitum quo oſtenduntur res fidei eſſe euidenter credibiles, non eſſe habitum Theologicum, ſed habitum fidei humanæ certæ & moraliter euidentis, qui in teſtimonia humana & ſenſibilia reſoluitur.

Octaua difficultas.

Explicatur triplici reſpõſo: primo.

Quod ſpectat ad octauam difficultatem, an videlicet Theologia poſſit euidenter ſoluere argumenta fidei cõtraria. Reſpõdetur primò non poſſe ſolui argumẽta contra fidem oſtendendo poſitiuè articulos fidei eſſe poſſibiles, aut non

eſſe impoſſibiles; vt in præcedenti difficultate dictũ eſt. Secũdo, nõ poſſe ſolui omnia oſtendẽdo defectũ in materia vel forma argumenti; licèt nonnulla hoc modo ſolui poſſint, ſunt enim quædã quæ non peccant niſi cõtra fidem. Sicut igitur fides demõſtrari non poteſt, ſic nec defectus ille poteſt euidenter argui. Tertiò reſpõdetur omnia euidenter ſolui poſſe, oſtendẽdo non quod falſum contineant, ſed quòd intellectum non conuincant, & ſanè ita videtur ſentire D. Th. loco ſuprà citato; poteſt enim Theologus, cùm propoſitio fidei cõtraria profertur in mediũ, quam non poteſt euidenter oſtendedere falſam, aliqua opponere quibus euidenter oſtendat ſe prudẽter facere quod illã falſam eſſe exiſtimet, ac proinde vt talem neget; vt ſi dicat ſibi contrarium conſtare per lumen altius ac diuinius, quam ſit naturale lumẽ, illudque ſufficienter ſibi teſtatum communibus Chriſtianæ fidei motiuis, à quo proindè propter quamcũque rationem ſecundùm communes naturæ leges veroſimilem diſſentire prudenter non debeat. Quo loco animaduertendum eſt aliud eſſe reſpondere ſimpliciter ad argumentum, aliud verò redarguere argumentantẽ: namque vt primũ fiat euidenter, non eſt neceſſe euidenter oſtẽdere falſitatem propoſitionis aſſumptæ in argumẽto, ſed ſatis eſt euidentem rationem reddere cur is qui reſpondet argumento non moueatur; vt autem quis alterum præſtet, neceſſe eſt vt euidenter oſtendat falſitatem aſſumptæ propoſitionis, quod vltrò fatemur in propoſito Theologum non poſſe præſtare. Sed hæc de ratione, ſubiecto, qualitate & principiis Theologiæ ſatis, nũc ad res ipſas Theologicas, duce & auſpice Chriſto domino, quamprimùm accedamus.

Secundo.

Tertio.

Nota. Aliud eſt argumento reſpondere, aliud argumentantem redarguere.

PRIMA PARS SVMMÆ THEOLOGICÆ.

DE DEO INCREATO *Tum ſecundùm ſe, tum vt eſt principium creaturarum.*

In quinque generales Tractatus diuiſa.

Tractatus primus. De Deo vt vno, vbi de Attributis diuinis.

Tractatus ſecundus. De Deo vt Trino, ſeu de Altiſſima Trinitate.

Tractatus tertius. De Deo vt Creatore, vbi de Creatione & rerum creatarum conſeruatione & gubernatione, vbi etiam de Creatura merè corporea ſeu Opere 6. dierum.

Tractatus quartus. De Creatura pure ſpirituali, ſeu de Angelis.

Tractatus quintus. de Creatura partim corporea, partim ſpirituali, ſeu de homine quoad ſtatum innocentiæ ac eius lapſum.

Digitized by Google

IN PRIMAM HANC THEOLOGICÆ SVMMÆ PARTEM.

PRÆFATIO.

CONſtat quidem ex generali præfatione totius operis primam hanc Summę Theologicę partem verſari circa Deũ purum ſeu increatum ; ſicut ſecundam, circa Deum hominem ſeu incarnatum, nempe Chriſtum redemptorem ; & tertiam , circa media quibus per Chriſtum ad Deum vt rerum omnium finem regredimur. Cùm igitur Deus increatus, vt ſic, tribus modis in hac prima parte generatim cõſiderari poſſit. Primò quidem, vt eſſentia vnus. Secundò, vt perſonis trinus. Tertiò, vt auctor creaturarum, & quidem ex hac Dei vt Creatoris conſideratione ſequatur creaturarum conſideratio, ac præſertim creaturæ rationalis, Angeli nempe, & hominis, de quibus ex inſtituto agit Theologus, hinc exiſtunt quinque omninò tractatus generales huius primæ partis.

Deus conſiderari poteſt dupliciter, n. vel vt increatus, vel vt incarnatus.

Dei increati cõſideratio triplex.

Quinquẽ tractatus huius 1. partis.

Primus de Deo vno, ſeu de Attributis diuinis. Secundus de Deo Trino, ſeu de altiſſima Trinitate. Tertius de Deo Creatore, vbi de Creatione, & rerum creatarum conſeruatione & gubernatione, vbi etiam de creatura merè corporea ſeu opere ſex dierum. Quartus de creatura merè ſpirituali ſeu de Angelis. Quintus de creatura partim ſpirituali partim corporea, ſeu de homine præſertim quoad primum ſtatum innocentiæ, & eius lapſum.

TRACTATVS PRIMVS, DE DEO VT VNO

SEV DE ATTRIBVTIS *diuinis.*

In 18. Diſputationes diuiſus.

PErmulta in hoc tractatu occurrunt accuratè diſquirenda; nempe omnia illa diuina attributa quæ Deo vt vnus eſt competunt, quæque vel ad ipſius exiſtentiam, vel ad ipſius eſſentiam, ſeu (vt alii loquuntur) eſſendi modum, vel ad eiuſdem operationem pertinere concipiuntur: vnde rectè D. Tho. ait in Prologo quæſtionis 2. primæ partis, *Tria de Deo & vno quæri poſſe An ſit, quomodo ſit, & quomodo operetur.* *Tria de Deo vno quæri poſſunt.*

Quare prima diſputatio huius tractatus erit de ipſa Dei exiſtentia, ſequentes verò nouē de iis quæ ad eius eſſentiam ſeu eſſendi modū pertinent. Itaque ſecūda diſputatio erit de ſimplicitate Dei. Tertia de perfectione Dei. Quarta de bonitate Dei. Quinta de infinitate & vbiquitate Dei. Sexta de immutabilitate Dei. Septima de Æternitate Dei. Octaua de vnitate Dei. *Circa exiſtētiā diſp. vnica.* *Circa eſſentiam diſput. 9.*

Digitized by Google

Nona de veritate Dei ſeu ipſius cognoſcibilitate. Decima de diuinis nominibus. Quæ verò ſequuntur octo Diſputationes, magis videntur pertinere ad operationem Dei tùm, immanentem, intellectus nempè & voluntatis; cùm tranſeuntem, nempe virtutis executiuæ Dei. Ad operationem intellectus duæ pertinent, nempe vndecima de ipſo intellectu & ſcientia Dei, & duodecima de Idæis & vita Dei. Duæ itidem ad operationem voluntatis, nempe decima tertia de ipſa voluntate, Dei ac primo eius actu, ſcilicèt amore, & decima quarta de iuſtitia & miſericordia Dei. At verò ad operationem vtriuſque ſimul intellectus nempe & voluntatis pertinent tres ſequentes, nempe decimaquinta de prouidentia Dei. Decima ſexta de prædeſtinatione, vbi de libro vitæ. Decimaſeptima de reprobatione. Denique ad operationem tranſeuntem pertinet vltima, nempe decimaoctaua de potentia Dei; quem ordinem intueri potes in ſubiecta tabula.

Circa operationem diſp. 8.

TABVLA SPECIALEM huius Primi Tractatus in 18. diſputationes partitionem indicans.

Quæ de DEO *vt vno quæri poſſunt, pertinent ad ipſius*

- *Exiſtentiam, circa quam eſt vnica, eaque*
  - 1. *Diſputatio de Exiſtentia Dei.*
- *Eſſentiam ſeu eſſendi modum, circa quam ſunt 9 diſputationes.*
  - 2. *de Simplicitate Dei.*
  - 3. *de Perfectione Dei.*
  - 4. *de Bonitate Dei.*
  - 5. *de Infinitate Dei.*
  - 6. *de Immutabilitate Dei.*
  - 7. *de Aeternitate Dei.*
  - 8. *de Vnitate Dei.*
  - 9. *de Veritate Dei.*
  - 10. *de Diuinis Nominibus.*
- *Operationem*
  - *Immanentem, eamque vel*
    - *Intellectus circa quam ſunt 2. diſp.*
      - 11. *de Intellectu & Sientia Dei*
      - 12 *de Idæis & vita Dei*
    - *Voluntatis, circa quam ſunt 2. diſp.*
      - 13. *de voluntate & Amore Dei.*
      - 14. *de Iuſtitia & Miſericordia Dei.*
    - *Vtriuſque, circa quam ſunt 3. diſp.*
      - 15. *de Prouidentia.*
      - 16 *de Prædeſtinatione.*
      - 17. *de Reprobatione.*
  - *Tranſeuntem, circa quam vnica eſt diſp.*
    - 18. *de Potentia Dei.*

Digitized by Google

PRIMA DISPVTATIO.

De exiſtentia Dei.

ETſi de proximè ſequentibus quæſtionibus iampridē diſſeruerimus in quarta parte noſtræ Metaphyſ. Diſp.3.q.1.2.& 3.quatenus ad Metaphyſicum pertinent ;quia tamen ſub alia conſideratione ad Theologum,& quidem maxime propriè ſpectant;idcircò non pigebit hîc eadem repetere, ac paulò pleniùs explicare.

An Deum eſſe, ſit per ſe notum.

QVÆSTIO I.

Notãdum primò. Quid ſit eſſe per ſe notum.

NOtandum eſt imprimis illud per ſe notū in genere appellari, quod non eſt in ſuo genere per aliud natura prius notum, ſeu quod non poteſt à priori demōſtrari: Sic enim propoſitio per ſe nota dicitur, cuius prædicatum includitur in ratione ſubiecti, vt hæc propoſitio, Homo eſt animal. Præterea notandum eſt aliquid per ſe notum dici dupliciter; vno modo ſecundùm ſe tantùm, & non quoad nos; altero modo ſecundùm ſe & quoad nos. Propoſitio igitur cuius prædicatum eſt quidem de ratione ſubiecti, nec tamen quid ipſius ſit ſubiectum aut prædicatum omnibus innoteſcit, dicitur priori

Notãdum ſecundò. Per ſe notum dupliciter dicitur.

priori modo nota; quia licèt ex parte ſui non requirat vllum priorem aſſenſum vt ipſi aſſentiamur, ex parte tamen noſtræ imbecillitatis requirit; ea verò propoſitio cuius non tantùm prædicatum eſt de ratione ſubiecti, ſed etiam quid ſit ſubiectum & prædicatum nobis per ſe ſufficienter innoteſcit, dicitur poſteriori modo nota; quia nempe neque ex parte ſui neque ex parte noſtri vllum priorem aſſenſum requirit, ſed ſtatim ac proponitur illi abſque vlla difficultate aſſentimur.

His poſitis ad propoſitam quæſtionem reſpondemus duplici propoſitione. Prior propoſitio; propoſitio iſta (Deus eſt) quantum in ſe eſt, ſeu ſecundùm ſe, eſt per ſe nota; quia prędicatum eſt idem cum ſubiecto, eſt enim eſſentiale Deo eſſe, iuxta illud Exod. 3. *Ego ſum qui ſum*, & patebit ex ſequentibus. Confirmatur, quia ſi cui perſpectum ſit quid ſit Deus, item quid ſit eſſe, illicò manifeſtum eidem erit Deum eſſe, cùm Deus natura ſua ſit ens neceſſarium ſeu neceſſariò imo eſeſſentialitèr exiſtens.

Poſterior propoſitio. Prædicta propoſitio (Deus eſt) non eſt per ſe nota quoad nos, ideoque indiget demonſtrari ex his quę ſunt nobis notiora, licèt natura minus nota. Probatur, quia vt propoſitio per ſe dicatur etiam nota quoad nos, neceſſe eſt vt ſubiectum eiuſmodi propoſitionis ſimul ac prædicatum ſit omnibus per ſe notum: at verò Deus ipſe non eſt aliquid omnibus per ſe notum.

Verùm aduerſus hanc poſteriorem concluſionem obiicies ex omni conſenſu ſanctorum Patrum, omnibus hominibus naturaliter inſitam eſſe Dei notitiam, vnde ait Auguſt. tractatu 106 in Ioannem. *Hæc eſt virtus veræ diuinitatis vt creaturæ rationali iam ratione vtenti non omninò ac penitus poſſit abſcondi.* Idem aſſerit Hieronymus in pſalmum 95. & alii, idque conformiter ſacris litteris; vt ad Rom. 1. vbi ſcribit Apoſtolus *quod notum eſt Dei manifeſtum eſſe in illis*: nempe hominibus gentilibus.

Notitia Dei hominibus naturaliter inſita.

Reſpondemus, etſi non ſit per ſe notum omnibus quod Deus ſit, poſſe tamen verè dici naturaliter inſitam omnibus Dei notitiam: tum quia omnibus naturaliter inſita eſt notitia quędam confuſa ſummi boni, nempe eſſe aliquid quod poſſit hominem fœlicem reddere: quod cùm re ipſa ſit Deus, ſic omnes norunt Deum ſaltem vniuerſim & in confuſo, quæ tamen notitia non ſatis eſt vt per ſe notum dicatur omnibus Deum eſſe; tum quia poteſt hæc Dei notitia naturaliter per diſcurſum non admodùm difficilem comparari; tum quia cùm ſit id à multis longe retro ante ſæculis hominibus perſuaſum, nẽpe Deum eſſe, fit vt ex inueterata illa conſuetudine quaſi à natura id facilè homines ſibi perſuadeant, non tam ob euidentiam propoſitæ veritatis, quàm propter authoritatem publicæ fidei.

Digitized by Google

An ratione naturali demonſtrari poſſit Deum eſſe.

QVÆSTIO II.

PRÆSVPPONIMVS hîc quod aliàs ex inſtituto docuimus tertia parte Dialect. tract. 3. diſp. 1. q. 1. nempè duplicem eſſe demonſtrationem, vnam à priori quę eſt per cauſam, & dicitur demonſtratio propter quid: aliam a poſteriori, quæ eſt per effectum, & dicitur demonſtratio quia: quo poſito, *Demõſtratio duplex.*

Sit prima propoſitio. Deum eſſe à priori demonſtrari non poteſt: quia ipſum eſſe diuinum eſt, & primum omnium attributorum diuinorum, ac veluti reliquorum fundamentum, cuius proinde nulla cauſa aut ratio à priori etiam pro noſtro intelligendi modo afferri poteſt. *Prima propoſitio. Probatur.*

Si obiicias exiſtentiam Dei poſſe probari à priori per eius eſſentiam. Occurro, nec illud quidem poſſe dici, tum quia eſſe Dei eſt ipſa eius eſſentia, tum quia eſſe cuiuſque rei non ſolet nec debet demonſtrari per ipſius quidditatem, cùm priùs quæri ſoleat an ſit res, quàm quid ſit: tum quia ipſa Dei quidditas non eſt ſatis nobis nota, vt ex ipſa tanquam ex principio notiori in alterius notitiam traducamur; quò ſpectat illud Diui Dionyſii cap. 7. de diu. nominib. *Veraciter* (inquit) *dicemus nos non Deum ex ipſius natura cognoſcere;* *Obiectio: Solutio:*

Digitized by Google

ignota eſt enim, omnemque ſuperat rationem, ac ſenſum.

Secunda propoſitio. Secunda propoſitio. Deum eſſe, à poſteriori ita euidenter demonſtrari poteſt, vt planè ſint inexcuſabiles qui Deum ſic per effectus agnitũ non vt Deum glorificauerunt. *Inuiſibilia enim Dei* (inquit Apoſt. ad Rom. 1.) *per ea quæ facta ſunt intellecta conſpiciuntur ſempiterna quoque eius virtus & diuinitas*, quod nec Platonem latuit. nam in Sympoſio ſcribit ex pulchritudine rerum creatarum, pulchritudinem quandam admirandam diuinæ naturę de repente conſpici. *Probatur primo authoritate.* Ratione verò confirmatur hęc aſſertio. Quia vt inquit ſanctus Th. hîc q. 2. art. 2. ex quolibet effectu nobis magis noto poteſt euidẽter probari propriã cauſam eius eſſe; quia cùm effectus dependeant à cauſa, poſito effectu neceſſe eſt cauſam exiſtere: atqui effectus Dei ſunt nobis notiſſimi: ergo Deum eſſe, demonſtrabile eſt à poſteriori ſeu per effectus. *Secundo Ratione.* Vbi notandum eſt quod licèt eiuſmodi effectus infinitè diſtent à perfectione diuina, nihilominus tamen ſufficientes ſunt vt euidentiſſimè per eos probetur quod ſit Deus, non tamen quid ſit: ad demonſtrationem autem quod ſit pręſupponitur tantùm quid nominis, non quid rei, vt aliàs docuimus 3. part. noſtræ Dial. vbi de prænotionibus demonſtrationum. *Nota.*

Quibus rationibus euidenter demonſtretur Deum eſſe.

QVÆSTIO III.

PERMVLTÆ ſunt eiuſmodi rationes quas apud ſanctos Patres legere poteris qui eas aduerſus infideles fuſe explicarunt: verùm hę omnes rationes facilè reuocari poſſunt ad eas quinque præcipuas quas in medium protulit ſanctus Doctor hîc q. 2. art. 3. Quarũ prima ducitur ex motu. Certum eſt multa in hoc mundo motui ſiue mutationi eſſe obnoxia: atqui nihil à ſeipſo mouetur, ſed ab alio, ex Ariſt. 7. & 8. Phyſ. ſaltem in eo genere mutationis in quo locum habet vera actio & paſſio, vti explicauimus 1. part. Phyſic. tract. 3. diſp. 4. quæſt. 8. Quod enim mouet, in eo genere motus eſt actu tale, & quod mouetur, eſt in potentia tale; nihil autem eſt ſimul actu & potentia in ordine ad idem; omnis autem motus eius quod mouetur ab alio, debet neceſſariò prouenire ab aliquo primo mouente immobili, quod ipſum mediatè ſaltem moueat; nam omne agens ſecundum ſeu intermedium non mouet niſi in virtute ſuperioris agentis, ac proindè non mouet niſi ab ipſo moueatur. Ne igitur admittatur proceſſus in infinitum (hoc enim poſito tolleretur omnis motus) deueniendum eſt ad aliquod primum mouens immotum

5. Rationes præcipuæ quibus probatur Deũ eſſe.

Prima Ex motu.

nec in vllis omninò cauſis, vt in præcedenti via oſtenſum eſt, deueniendum eſt ad aliquod ens primò & per ſe neceſſarium, & ſic ſemper habebitur intentum, illud enim eſſe Deum omnes intelligunt. Quarta ex gradibus perfectionum qui in rebus reperiuntur: inuenitur enim in rebus aliquid magis & minus bonum, & verum, & nobile, & ſic de aliis eiuſmodi: Sed magis & minus dicuntur de diuerſis, vt accedunt propiùs vel longiùs ad aliquid quod eſt maximè tale: eſt igitur aliquid quod eſt optimum, perfectiſſimum, & nobiliſſimum, & ex conſequenti maximè ens: nam quæ ſunt maximè bona, perfecta, &c. ſunt maximè entia, ex Ariſtot. 2. Metaphyſicor. text. 3. Porrò quod eſt maximum in vnoquoque genere, eſt cauſa & menſura aliorum in illo genere, vt ignis omnium calidorum; ergo eſt aliquod ens perfectiſſimum quod ſimul eſt omnium entium, atque adeò omnis perfectionis prima cauſa & menſura. Quinta ex rerum gubernatione & progreſſu ducitur in hunc modum. Res omnes naturales etiam rationis expertes, non caſu & fortuitò, ſed intentione & ordinatè operantur propter finem, quod ex eo patet quod ſemper vel frequentiùs agunt eodem modo, ſine errore: at vero quæ ratione carent non tendunt in finem niſi directa aliquo cognoſcente & intelligente,

Quarta ex variis gradibus perfectionum.

Quinta ex rerum gubernatione.

ſunt ſagitta à ſagittante: eſt igitur in rerum natura aliquod perfectiſſimum intelligens à quo res omnes naturales in ſuos fines diriguntur, quem dicunt omnes Deum, & quidem hanc demonſtrationem inſinuat Ariſtot. 12. Metaphyſ. t. 52.

Notandũ. Cæterùm licèt his rationibus per ſe non probetur perfectè quid ſit Deus, probatur tamen ſufficienter quod ſit. Vt enim quæſtioni an ſit abunde ſatisfiat, non eſt neceſſe probari conceptus omnes diſtinctos rei cuiuſpiam, hoc enim pertinet ad quæſtionem quid ſit, ſed ſatis eſt probari veritatem illorum conceptuum quos imperfectè & confuſè ſolemus in mente formare audito rei nomine. Quamobrem rationes eiuſmodi quę ſcilicèt probant eſſe aliquod primum mouens, efficiens, gubernans, &c. etſi non probent quid & quale ſit, ſcilicèt ſimpliciſſimum, immateriale, infinitum, &c. ſatis tamen probant Deum eſſe.

SECVNDA DISPVTATIO.

De ſimplicitate Dei.

Facilius eſt de Deo noſſe quid nõ ſit, quàm quid ſit ex D. Dionyſ.

HACTENVS, an ſit Deus, expoſuimus; ſequitur vt de ipſo, quid ſit, ſeu potius quomodo ſit explicemus. Verùm, quia de Deo perfectiùs ſcire poſſumus quid non ſit, quàm quid

ſit, vel quomodo non ſit, quàm quomodo ſit, meritò quæſtionem hanc generalem explicare aggredimur per ea attributa, quibus remouentur à Deo ea quæ ipſi nequaquàm conueniunt, cuiuſmodi imprimis eſt ſimplicitas per quam remouetur ab ipſo omnis compoſitio; eſt enim ſimplicitas carentia quædam compoſitionis. Et quia multiplex eſt compoſitionis genus, idcircò plures de ea quæſtiones explicandæ ſunt. *l. de diu. nom. c. 1. l. de myſt. Theol. c. 2.* *Quid ſit ſimplicitas.*

An Deus careat compoſitione ſubſtantiali ex materia & forma.

QVÆSTIO I.

SATIS conſtat ex præcedenti diſputatione Deum eſſe ſubſtantiam, cùm illic oſtenſum ſit ipſum eſſe cauſam primam omnium ſubſtantiarum per ſe, & ex ſe ſubſiſtentem. At verò quæri poteſt, an ſit ſimplex ſubſtantia, ita vt careat omni compoſitione, præſertim ſubſtantiali; ſiue ex materia & forma, ſiue ex ſuppoſito & natura, ſiue ex eſſentia & exiſtentia, ſiue ex genere & differentia: & quidem de prima ſpecie compoſitionis ſubſtantialis hîc quæritur, quod fermè idem eſt ac ſi quæratur, an Deus ſit corpus vel non, ſeu an ſit ſubſtantia corporea vel incorporea. *Senſus quæſt. exponitur.* *Compoſitio ſubſtantialis multiplex.*

Cui quæſtioni reſpondemus Deum nequaquam compoſitum eſſe ex materia & forma, proindéque non eſſe ſubſtantiam corpoream, ſeu corpus. Probatur primò ex iis ſacræ Scri- *Quæſtionis reſolutio. Probatur primo authoritate.*

pturæ locis in quibus Deus ſignificatur abſolutiſſimo modo perfectus; vt cùm dicitur ſolus bonus, ſolus ſanctus, ſolus iuſtus, ſolus potens, ſolus fortis ſolus immortalis, & neminem eſſe illi ſimilem; atqui ſi Deus eſſet compoſitus ex materia & forma, non eſſet eo modo perfectus, quia omnis compoſitio coniuncta eſt cùm aliqua imperfectione: quare Deus dicendus eſt expers omnis compoſitionis ex materia & forma, proindéque omninò incorporeus; quod etiam apertè aſſeritur à D. Ioanne c. 4. *Spiritus eſt Deus*, atqui ſpiritus non eſt corpus; vnde liquet aſſertionem hanc eſſe de fide vt definitum eſt in Concilio Lateranenſi ſub Innocentio Tertio.

Secundò, ratione triplici. Prima. Secundò probatur triplici ratione. Prima: quod eſt purus actus debet eſſe expers omnis prorſus potentiæ paſſiuæ, ac proinde materiæ quæ eſt potentia paſſiua ad formam recipiendam, atqui Deus eſt purus actus, ſeu id in quo nihil poteſt eſſe potentiæ ad aliquid perfectionis recipiendum, cùm ſit Ens primum & ex ſe, vt conſtat ex diſput. præcedenti: quod enim eſt tale nihil poteſt recipere, tum quia nullam habet cauſam à qua poſſit quidquam recipere, tùm quia habet per ſuam eſſentiam quidquid concipi poteſt perfectionis. Concludendum igitur eſt nihil eſſe materiæ in Deo, proindéque ipſum non componi ex materia & forma. *Secunda.* Secunda: quod conſtat materia, eſt bonum per participationem, nempè inquantum ipſius materia participat formam; atqui Deus non eſt quid bonum per participationem, quia ipſe eſt

bonum quid per eſſentiam, cùm eo nihil ſit prius; bonum autem per eſſentiam ſit prius bono per participationem; quod autem Deo nihil ſit prius, patet, quia eſt ens omnium primũ, & ex ſe, ex præcedenti diſputatione. Tertia: quod per ſe primò, & per eſſentiam, ac proinde ſecundùm ſe totum eſt forma, non eſt compoſitum ex materia & forma, vt patet; atqui Deus eſt per ſe primò & per eſſentiam forma, quia cùm vnumquodque agens agat per formam, ſicut ſe habebit aliquid ad hoc quod eſt eſſe agens, ita ſe habebit ad hoc quod eſt eſſe formam; atqui Deus eſt agens primò per ſe & per eſſentiam, id eſt, abſolutè & ex omni parte actiuum quid, cùm non ſit vlla ratio cur ex vna parte ſit magis aut minùs perfectus quàm ex alia; non eſt igitur Deus compoſitus ex materia & forma, cùm ſit per ſe forma non quidem informans (vt ſomniarunt quidam Philoſophi qui Deum eſſe mundi animam voluerunt) ſed aſſiſtens, id eſt, omnia conſeruans, mouens, & gubernans. *Tertia.*

Cæterùm, quia ſacra Scriptura ſolet nobis tradere ſpiritualia & diuina ſub ſimilitudinibus corporalium (vti ſuprà docuimus q. 6. procemiali) non mirum videri debet, ſi pleraque Deo tribuat quæ nonniſi ſubſtantiis corporeis propriè competunt *Nonnullis obiectionibus tacitè occurritur.*

An Deus careat compoſitione ſubſtantiali ex natura & ſuppoſito.

QVÆSTIO II.

VT propoſitæ quæſtionis ſenſus intelligatur, notandum eſt ſuppoſitum, ſeu hypoſtaſin propriè dictam, dupliciter accipi poſſe: primò abſtractè pro ſubſiſtentia, ſiue pro eo modo qui in rebus creatis naturæ ſingulari, tamquam vltimus actus quo redditur ſubſtantialiter incommunicabilis, aduenire intelligitur; ſecundò concretè pro eo toto quod ex natura, & eiuſmodi perſonali ſubſiſtentia conſtitui concipitur, quomodo ſuppoſitum, ſeu hypoſtaſis idem eſt, ac indiuiduum ſubſtantiale completum. Cùm igitur quęrimus hîc vtrum Deus ſit compoſitus ex natura & ſuppoſito, ſuppoſitum accipimus abſtractè non concretè.

Notādum primò. Hypoſtaſis duplex acceptio.

Notandum ſecundò ex hac quæſtione propoſita pendere aliam, vtrùm videlicèt Deus, qui eſt inſtar ſuppoſiti in priori acceptione ſit ſua eſſentia, quod quęrit ſanctus Tho. hîc, q. 3. ar. 3. neque enim de eo in quo eſt compoſitio ex natura & ſuppoſito, ſeu ex eſſentia & ſubſiſtentia dici poteſt quod ipſum ſit ſua eſſentia; exempli gratia, propriè dici nō poteſt, quod homo ſit ſua humanitas, ſicut nec dici poteſt, quod ſit ſua bonitas. Tertiò, repetenda ſunt hîc quæ aliàs docuimus in ſecunda parte Metaph. poſteriori diſp. vbi de ſubſiſtētia & hypoſt.

Notandū ſecundo.

Notandū tertio.

His poſitis reſpondemus ad quæſtionem propoſitam in Deo, non eſſe compoſitionem ex

Quæſtionis reſolutio.

Digitized by Google

natura, ſeu eſſentia, & ſubſiſtentia, ſeu hypoſtaſi propriè dicta. Ratio eſt, quia vbi eſt compoſitio, ibi eſt rerum ex quibus aliquid componitur diſtinctio; ſi igitur in Deo eſſet aliqua compoſitio ex natura & ſubſiſtentia, eſſet quoque in Deo naturæ & ſuppoſiti diſtinctio; quod impoſſibile eſt; ſi enim in Deo diſtingueretur ſubſiſtentia à natura; ſequeretur Deum per eſſentiam non eſſe abſolutè perfectum, quia in eo eſſet aliquid perfectionis, quod non eſſet de ipſius eſſentia, nempè ſubſiſtentia ſeu hypoſtaſis. *Ratio.*

Ex quo ſequitur Deum, qui vt ſic eſt inſtar ſuppoſiti, verè eſſe ſuam ipſius eſſentiam, ac proinde ſuam diuinitatem, bonitatem, &c. contra errorem Gilberti Porretani Epiſcopi Pictauienſis, quem optimè refutat noſter S. Bernardus ſerm. 80. in Cant. quemque iam in Concilio Rhemenſi, ſub Eugenio Tertio, vbi error ille damnatus eſt fortiter proſtrauerat, ita vt coactus fuerit ſuum ipſe errorem agnoſcere ſimul & abiicere; aiebat enim non planè idem in Deo ſignificari nominibus abſtractis & concretis, ſed aliud eſſe Deum & deitatem, verum & veritatem; ſicque in Deo reperire diuinitatem qua Deus ſit, non quæ ſit Deus, ſic quoque in ipſo eſſe bonitatem qua Deus ſit bonus, non quæ ſit ipſe Deus, &c. *Error Gilberti Porretani.* *Damnantur in Cōcilio Rhemenſi.*

Quod igitur Deus ſit ſua eſſentia, ſua Deitas, ſua Iuſtitia, ſua bonitas, &c. probatur ex ſacris litteris quæ ita loquuntur Ioannis 14. *Ego ſum via, veritas & vita*. Et prim. Ioan. 5. *Hic eſt verus Deus, & vita æterna*, ita quoque loquuntur ſancti Pattres Irenęus lib. 2. cap. 18. in hæreſ. *Deus*, inquit *Deum eſſe ſuam eſſentiam, bonitatem comprobatur.* *Primo authoritate.*

vita eſt, & incorruptela, & veritas &c. Cyrillus Alexandrinus lib. 1. Theſauri cap. 8 Nō eſt aliud natura Dei, aliud ipſe Deus, ſimplex enim atque incompoſitus eſt. Denique idem hac ſolidiſſima ſimul ac ſubtiliſſima ratione noſtri Patris Bernardi loco citato probatur: quia ſi diuinitas ſeu Deitas non habet in ſe perfectionem qua ſit ipſa Deus in concreto, erit igitur ipſa aliquid quod non eſt Deus, & ſic aliquid inferius Deo, ac proinde creatura, cùm nihil quod non ſit Deus poſſit eſſe maius, vel æquale Deo: hoc autem aſſerere nemo ſine blaſphemia poteſt.

Secundò ratione.

Notandū. Porrò nota hîc vocabulo Dei ſignificari quidem ſupremum ens, primum, abſolutum, ex ſe ſubſiſtens, atque adeò perfectiſſimum, non tamen quòd ſit vnum aliquod ſuppoſitum, ſed vnum quiddam identificans ſibi tria ſuppoſita reſpectiua, quibus ſubſiſtit indiuiduè ſimul & incommunicabiliter, quod non eſt minùs quã ſi eſſet vnum ſuppoſitum.

An Deus careat compoſitione ex eſſentia & exiſtentia.

QVÆSTIO III.

Senſus quæſtionis. CONSTAT quidē in creaturis illarum eſſe, ſiue exiſtentiam, ab eſſentia diſtingui, non quidem realiter, nec propriè formaliter, ſed à natura rei tanquam modum à re, vti docuimus 2. part. Metaph. diſp. 2. q. 5. Hîc verò quæri pollet quomodo in Deo differant, & an ex ip-

Digitized by Google

ſis tamquam ex rebus diſtinctis reperiatur compoſitio in Deo.

Sit igitur hæc noſtra concluſio. In Deo exiſtentiam eſſe planè idem cum eſſentia, non tantùm realiter, ſed etiam quidditatiuè, ita vt eſſe Dei ſit de ipſius eſſentia, imò ſit ipſa eius eſſentia, & ipſe Deus, vt alias docuimus in 4. p. metaph. d. 3. q. 3. Idem etiam inſinuaueramus in ſecunda part. eiuſdem Metaph. diſp. 2. q. 1. & 4. proindeque nullam in Deo compoſitionem eſſe ex eſſentia & exiſtentia. Probatur primùm ex illo teſtimonio diuino Exodi tertio, *Ego ſum qui ſum.* quo dicto voluit ſignificare Deus, ſe eſſe modo quodam peculiari qui creaturis non conueniat, hoc eſt per ſuam ipſius eſſentiam, itavt eſſe ſit ipſi eſſentiale, quod creaturis non competit. Repete ſi placet ea quæ locis citatis noſtræ Metaphyſicæ docuimus. Secundò ex communi conſenſu ſanctorum Patrum, qui cùm vno ore Deum eſſe ex ſeipſo profitentur, nihil aliud ſibi volunt quàm Deum non accepiſſe ſuum eſſe ab alio, ſed habere illud per ſuam eſſentiam quatenus eſt ens primùm ſimpliciter. Tertiò probari poteſt ex duplici ratione quam attulimus in 4. p. Metaph. d. 3. q. 3. Prior eſt ſi eſſe Dei diſtingueretur ab ipſius eſſentia; vel illud eſſe ab ipſa eſſentia tamquam à cauſſa flueret, vel aliunde, ſcilicet à cauſa quadam extrinſeca; at neutrum dici poteſt, non prius, quia repugnat eſſentiam eſſe cauſam ſuę ipſius exiſtentiæ, ſic enim eſſet antequam eſſet; eſſet quidem ex hypotheſi quod exiſtentiam cauſaret, aut ſaltem cauſare poſſet, nec tamen adhuc eſſet, cùm

Aſſertio tenenda.

Probatur authoritate.

Primo.

Secundo.

Ratione duplici confirmatur.

Prima.

Digitized by Google

nondum exiſtentiam haberet:non etiam poſterius dici poteſt, quia daretur aliquod agens prius Deo quod ipſi tribueret eſſe; hoc autem implicat,cùm Deus,vt ſic,ſit primum agens, & prima cauſa.

Secunda. Poſterior ratio eſt, ſi eſſe diſtingueretur ab eſſentia Dei,ipſa eius eſſentia eſſet in potentia ad ipſum eſſe;at in Deo nihil eſt potentiæ, vt ſuprà probauimus, cùm ſit actus puriſſimus. Cùm igitur in Deo eſſentia non diſtinguatur ab eſſe,ſequitur euidentiſſimè nullam in Deo eſſe compoſitionem ex eſſentia & eſſe, cùm nulla concipi poſſit ex iis rebus compoſitio quarum nulla eſt diſtinctio.

Obiectio. Obiicies forſan: Poſſumus ſcire de Deo an ſit,non verò quid ſit,ex ſupradictis,quia diſtinguitur quidditas, ſeu eſſentia Dei ab ipſius eſſe, *Solutio.* ſeu exiſtentia. Verùm occurrimus, hoc argumentum rectè quidem concludere, ſi ſcire an ſit,eſſet noſſe quid ſit exiſtentia rei, ſicut ſcire quid ſit,eſt noſſe quid ſit rei eſſentia; At verò non ita eſt,nam ſcire an ſit, eſt tantùm noſſe, exiſtentiam rei cuipiam conuenire.

An Deus careat compoſitione ſubſtantiali ex genere & differentia.

QVÆSTIO IV.

Deũ nulla in categoria reponi oſtenditur. Ad explicandam propoſitam quæſtionem ſupponendum eſt quod aliàs docuimus in prima par. Dialect. tract. 3. diſp. prima, quæſt. 3. & adhuc expreſſiùs ibidem diſpũta. 2. q. 3. Deum in

in nulla Categoria propriè reponi, ac proinde non eſſe propriè in aliquo genere. Itaque rationes quibus hoc probauimus hîc non repetam; tantùm hoc addam, noſtram hanc aſſertionem videri non tantùm rationi, ſed etiam fidei valdè conformem: ſi enim Deus eſſet in aliquo genere, vix poſſet in eo negari aliquod genus compoſitionis, nempè illud quod eſt ex gradu generico & differentia; at verò Eccleſia capit. firmiter, de ſumma Trinitate & fide Catholica, definiuit Deum eſſe omninò ſimplicem: adde Sanctos Patres eidem aſſertioni apertiſſimè ſuffragari, dum aiunt Deum eſſe ſupra omnem ſubſtantiam, & Ens; imò ſupra id omne quod cogitari poteſt. Et ſanè eo ſenſu docet Sanctus Auguſtinus lib. 7. de Trin. cap. 5. Deum nonniſi abuſiuè dici ſubſtantiam, quia ſcilicet non eſt ipſe talis ſubſtantia quales alię res ſunt quę includuntur in ſubſtantiæ genere, quod ante Auguſtinum aſſeruerat ſanctus Dionyſius cap. 1. de Diu. nomin. vbi propterea dicit, Deum eſſe ſupra ſubſtantiam.

Deum non conſtare ex genere & differentia

Cùm igitur ex iis conſtet Deum non eſſe in aliquo genere, proindeque in eo non eſſe gradum aliquem genericum diſtinctum à differentia, facile eſt concludere in eo non eſſe compoſitionem ex genere & differentia, vti aliàs docuimus 4. par. Metaph. tract. 3. quæſt. 4. confirmaturque hac duplici ratione: Prior eſt D. Tho. 1. par. q. 3. ar. 5. Si Deus conſtitueretur ex genere & differentia, cùm differentia ſe habeat ad genus, ſicut actus ad potentiam, ſequeretur eſſe aliquid potentiæ in Deo, quod impoſſibile eſt

Probatur duplici ratione: prima.

ex ſupradictis. Poſterior eſt: ſi Deus genere differentiaque conſtaret, cùm genus ſit extra præciſum conceptum differentiarum, & è contra differentię extra præciſam rationem generis, quod in diuina eſſentia eſſet genus, non eſſet infinitę perfectionis, quia differentiam, quæ perfectio quædam eſt, non contineret, idemque de differentia reſpectu generis dici poſſet; iam verò ſi genus & differentia ex quibus conſtaret eſſentia diuina eſſent aliquid finitum, cum ex finitis non poſſit fieri infinitum, ſequeretur ipſam diuinam eſſentiam non fore infinitam.

An Deus careat omni compoſitione accidentali.

QVÆSTIO V.

Senſus quæſt.

IDEM eſt ac ſi quæratur an Deus careat omni accidente, ſeu an aliqua ſint in Deo accidentia. Et quidem peculiaris difficultas eſſe poſſet de quantitate. Non deerunt enim forſan aliqui qui licèt materiam ex qua Deus conſtet non admittant, tamen aliquam in eo eſſe quantitatis dimenſionem ſibi perſuadeant, cuius beneficio Deum eſſe figuræ corporeæ comminiſcantur, vt inter Iudęos Saducei, & quidam hæretici, qui quia Deum humanæ eſſe figuræ contendebant *Antropomorphitæ* dicti ſunt, vel ipſum vndequaque formaliter extenſum, ſicque vbique præſentem eſſe imaginentur.

Deum ca-

Verùm, cùm in prima par. noſtræ Phyſ. tract.

Digitized by Google

primo diſp.2.q.4.oſtenderimus præcipuam materiæ proprietatem eſſe quantitatem ipſi coæuam, nec abſque miraculo ab ipſa ſeparabilem, inde ſequitur apertè, quòd ſi Deus careat materia, quantitate quoque careat: Deum autem materiæ ſicut & omnis potentiæ paſſiuæ expertem eſſe, ſupra oſtenſum eſt: Adde quod id quod formaliter extenſum eſt, ſeu quantitate præditum, non poteſt cenſeri omnimodè perfectum, imò eſſe imperfectum ſecundùm partes ex quibus componitur, quarum vnaquæque minus quiddam eſt, & imperfectius quàm ipſum totum; Deus autem cùm ſit ens omninò primum, & ex ſe, erit quoque abſolutiſſime & ſummè perfectus, vt patebit ex ſequentibus. Alias rationes lege apud D. Thomam 1. part. q. 3. art. primo. Quod ſpectat ad alia accidentia, generalis eſt hæc noſtra aſſertio, nullum planè in Deo accidens eſſe poſſe. Probatur hac euidenti ratione. Illud quod per eſſentiam ſuam abſolutiſſimè perfectum eſt, non eſt capax vllius accidentis, non enim additur accidens ad eſſentiam niſi quia ipſi eſſentię aliquid deeſt in genere entis; ſed Deus per eſſentiam ſuam eſt abſolutiſſimè perfectus, cùm ſit per eſſentiam ſuam ens primum, & ex ſe ſubſiſtens, ac proinde nulla cauſa eſſe poterit quæ ipſius eſſentiæ perfectionem limitauerit, vt ei aliquid perfectionis deeſſet: ergo Deus non eſt capax vllius perfectionis accidentalis: Adde quod ſubiectum ad accidens ſe habet vt paſſiua potentia ad actum, atqui Deus nihil potentiæ paſſiuæ habere poteſt, quare non poteſt eſſe ſubiectum

rere quantitate probatur. Primò.

Secundò.

Deũ quolibet alio accidente carere probatur. Primò.

Secundò.

vllius accidentis. Denique id ſacrę litteræ non obſcurè innuunt, primùm cùm ea quæ in creaturis accidentia ſunt, ſoli Deo attribuunt, quia nempè ſoli Deo conueniunt per ipſius eſſentiã: deinde cùm ea quæ in creaturis accidentia ſunt etiam in abſtracto ſignificata, affirmant Deum eſſe ipſum, aut Deum eſſe illa: denique Deum eſſe omninò immutabilem profitentur.

An inter attributa diuina ſit aliqua diſtinctio, ac proinde ex ipſis aliqua compoſitio.

QVÆSTIO VI.

D. Thom. ſententia probabilior opinione Scoti.

GRAVIS diſceptatio eſt inter Theologos quomodo attributa diuina inter ſe diſtinguãtur. Scotus in primum ſent. diſt. 8. q. 4. exiſtimat illa inter ſe diſtingui à natura rei ante omnẽ operationem intellectus. At rectiùs (vt opinor) ſanctus Thomas in prima par. ſuę Summæ q. 13. art. 4. & 12. imò potior ac ſanior pars Theologorum ſentit omnia eiuſmodi attributa eſſe vnum & idem realiter & eſſentialiter in Deo, nec niſi ratione inter ſe diſtingui, prout illa à nobis diuerſis conceptibus exprimuntur, ac diuerſis nominibus ſignificantur. Quamuis hæc diſtinctio diuinorum attributorum inter ſe nõ careat aliquo fundamento à parte rei, vnde appellatur diſtinctio rationis ratiocinatę, non rationis ratiocinantis. fundamentum autem quo nititur hæc diſtinctio rationis, eſt diſtinctio virtualis eorumdem attributorum à parte rei: nam

Diuinorũ attributorũ diſtinctio non niſi rationis.

Quodnam ſit fundamentum diſtinctionis aſſignanda inter diuina attributa.

Digitized by Google

etſi omnes perfectiones, ſeu attributa Dei reipſa ſint vnum & idem ſimpliciſſimum Ens, attamen dici poſſunt diſtingui virtualiter, quatenus illud vnum ſimpliciſſimum eſt adeò perfectum, vt & poſſit terminare diuerſos conceptus noſtros, & ob ſuam infinitatem ſufficiat ad omnia ad quæ ſufficere poſſent perfectiones diſtinctæ & variæ, ſi actu in Deo reperirentur. Sicque diſtinctio illa rationis diuinorum attributorum oritur partim ex eminenti perfectione naturæ diuinæ, partim ex imperfectione noſtri intellectus, qui non valet vnico conceptu perfectionem illam diuinam vti eſt ipſa percipere, non autem ex vlla diſtinctione actuali quæ ſit à parte rei in ipſo Deo. *Nota.*

Probatur autem hæc noſtra imò communis omnium Theologorum ſententia, primùm authoritate ſanctorum Patrum, qui omnes ita ſentiunt. Ita D. Dionyſius c. 13. de diuinis nominibus, *Vnum*, inquit, *Deus eſt, quia omnia vnicè eſt ſecundùm vnicam eminentiam dignitatis.* Sanctus Baſilius Ep. ad Euſtachium medicum. *Quæcumque*, inquit, *nomina protuleris, vnum eſt perpetuo quod ſignificatur.* & ſanct. Auguſt. lib. 6. de Trin. c. 4. *Deo*, inquit, *hoc eſt eſſe, quod eſt eſſe fortem, aut iuſtum eſſe, aut ſapientem eſſe; & ſi quid de illa ſimplici multiplicitate & multiplici ſimplicitate dixeris quo ſubſtantia eius ſignificetur.* Probatur ſecundò ratione: Tùm quia ſi attributa diuina à parte rei diſtinguerentur, quodlibet ex iis careret perfectione alterius, ac proindè nullum attributum diuinum eſſet omnimodè infinitum, quod diuinæ perfectionis eminentiæ repugnat; tùm quia *Prædicta D. Tho. & noſtra ſententia probatur. Primùm Authoritate. Secundò ratione duplici. Prima. Secũda.*

admittere diſtinctionem à natura rei actualem, eſt admittere diſtinctionem aliquo modo realem, præter eam quæ inter perſonas & relationes diuinas à Theologis admittitur, quod durum eſt in Theologia.

Prima obiectio. Verùm, obiicies primò. Plus diſtinguuntur ſapientia & bonitas in Deo, quàm ſapiens & ſapientia; ſed hæc ratione diſtinguuntur; ergo illa pluſquam ratione. *Solutio.* Reſpondemus, diſtinctionem rationis habere aliquam latitudinem, ſicque dicimus iſta omnia diſtingui ratione in Deo ſecundùm magis & minus; nam ſapiens & ſapientia non expreſsè diuerſis conceptibus formaliter diſtinguuntur, ſed tantùm diuerſis modis concipiendi, nempè in concreto vel abſtracto; at verò ſapientia & bonitas diuerſis conceptibus formaliter diſtinguuntur.

Secunda Obiectio. Obiicies ſecundò. Deus à parte rei non intelligi voluntate, neque vult intellectu, ſicut nec Pater producit filium voluntate, nec Spiritum Sanctum intellectu, ſed filium intellectu, & Spiritum Sanctum voluntate; ergo à parte rei ſeu à natura rei intellectus & voluntas in Deo diſtinguuntur. *Solutio.* Reſpondeo; concedendo ſimpliciter antecedens, & negando conſequentiam: nam etſi non poſſit Deus propriè dici intelligere, aut Pater filium producere voluntate; nec item dici poſſit Deus velle, aut Pater Spiritum ſanctum producere intellectu; poteſt tamen verè dici Deus intelligere, & Pater filium producere intellectu, qui eſt idem realiter & formaliter, ſeu ex natura rei cum voluntate; ſimiliterque dici poteſt Deus velle, & pater ac fi-

lius Spiritum ſanctum producere voluntate, quæ eſt idem ex natura rei, ſeu realiter & formaliter cum intellectu: ad hoc enim vt aliqua operatio vni tribuatur, & non alteri, non eſt neceſſaria diſtinctio eorum actualis in Deo, ſed ſatis eſt virtualis: & ratio eſt, quia illa diſtinctio virtualis fundata eſt in infinitate Dei qua æquiualet diuina illa res vnica, & ſimpliciſſima, diſtinctis rebus etiam vt diſtinctæ ſunt. *Notandũ.*

Quod autem dicimus hîc de diuinis attributis inter ſe comparatis, dici etiam poteſt de iiſdem attributis cum diuina eſſentia comparatis: eſt enim vtrobique eadem vnitatis ac diſtinctionis ratio, niſi quod cùm diſtinctio rationis & virtualis quandam latitudinem habeat, minor videatur eſſe ea diſtinctio inter eſſentiam ac diuina attributa, quàm inter ipſa diuina attributa; cùm non aliter inter ſe identificentur quàm quia ſingula ſunt vnum & idem cum eſſentia diuina; exceptis diuinis relationibus ac perſonalibus proprietatibus, quæ quia ſunt aliquid reſpectiuum, ideoque importent oppoſitionem relatiuam, proindeque realem diſtinctionem, licèt ſint vnum & idem cum eſſentia diuina, inter ſe tamen realiter diſtinguuntur, vt ſuo loco dicetur vbi de Trinitate. *Quomodo diuina attributa diſtinguantur ab eſſentia. Diſtinctio rationis ac virtualis latitudinẽ quandam habet.*

An Deus ſit omninò ſimplex.

QVÆSTIO VII.

DEVM eſſe omninò ſimplicem facile eſt admodum ex prædictis colligere; quod enim caret omni genere compoſitionis, eſt *Simplicitas Dei probatur. Primò.*

omninò ſimplex, ſed Deus caret omni genere compoſitionis, tum ſubſtantialis, tum accidentalis, vt ex prædictis conſtat; ergo Deus eſt omninò ſimplex. Idem probari poteſt iis rationibus, quibus euidenter oſtendit ſanctus Thomas Deum non eſſe compoſitum hîc q.3. art. 7. Vt quod Deus ſit ens omnimodè primum, omne autem compoſitum ſit ſaltem natura poſterius ſuis partibus; item quòd Deus ſit actus purus, omnis potentiæ expers; in compoſito verò vna pars ſit potentia reſpectu alterius, aut ſaltem omnes ſint in potentia reſpectu compoſiti. Cùm igitur Deus non poſſit eſſe compoſitus, ſequitur quòd ſit omninò ſimplex.

Secundò.

Tertiò.

Porrò licèt ſimplicitas præciſe ſumpta dicat ſolam negationem compoſitionis, ſi tamen conſideretur ratione ſui fundamenti, eſt perfectio ſimpliciter ſimplex quæ excludit magnam imperfectionem in Deo, nempè compoſitionem, ac proindè ponenda eſt formaliter in Deo, ſicut verè de ipſo formaliter prædicatur. Eſt autem adeò proprium Deo eſſe omninò ſimplicem, vt id nulli creaturæ poſſit conuenire; neque enim vlla creatura eſſe poteſt in qua non ſit compoſitio aliqua eſſentiæ & exiſtentiæ, naturæ & ſuppoſiti, generis & differentiæ, vt intelligere eſt ex iis quæ docuimus in ſecunda parte noſtræ Metaph. poſteriori diſputatione per totam.

Nota. Simplicitas eſt perfectio ſimpliciter ſimplex.

Nulla creatura compoſitionis expers.

An Deus poſsit in aliorum compoſitionem venire.

QVÆSTIO VIII.

ITA eſſe arbitrati ſunt qui Deum animam mundi eſſe finxerunt, itē qui hominū animas diuinæ ſubſtantiæ particulas eſſe cōmenti ſunt. Itē qui Deum rerum omnium eſſentiā opinati ſunt, itemque alii qui longè abſurdiùs dixerunt Deum eſſe materiam primam. Aduerſus hæc omnia humanæ cogitationis figmenta aſſertio certiſſima eſt, fieri non poſſe vti Deus vel tamquam principium ſiue formale, ſiue materiale, vel vllo alio tali modo propriè aliquid componat. Probatur iis rationibus quibus hîc vtitur ſanctus Thomas quæſt.3. art. 8. Primò, Deus eſt prima cauſa efficiens ex ſupradictis, ſed efficiens non coincidit cum forma rei factæ ſecundùm numerum, neque cum materia rei factæ ſecundùm ſpeciem, quia efficiens eſt in actu, materia verò in potentia; Ergo Deus neque eſt forma, neque materia rerum à ſe creatarum, & conſequenter nullius rei alterius, cùm nihil præter Deum ſit quod non ab ipſo ſit. Secundò, Deus eſt cauſa per ſe primò agens, at verò id quod in alterius compoſitionem venit non agit per ſe primò, ſed ipſum compoſitum: neque enim propriè manus agere dicitur, ſe homo per manum, ſicut & ignis per calorem calefacit. Tertiò nulla pars cōpoſiti dici poteſt Ens

Erorres varii.

Aſſertio tenenda.

Probatur primò.

Secundò.

Tertiò.

Digitized by Google

primum;non quidem materia , quia eſt valdè imperfecta:id autem quod eſt ens primum,eſt ens ex ſe ac proinde abſolutè perfectum;neque etiam forma , quia forma componens eſt participata ac effecta, atque ita poſterior ſuâ cauſâ.

Obiectio. Obiicies,Verbum diuinum,qui eſt Deus,venire in compoſitionẽ cum natura humana ad conſtituendum totum Chriſtum. Reſpondemus noſtram aſſertionem eſſe intelligendã de *Solutio.* ſubſtantiali compoſitione propriè dicta,in qua illa quæ in compoſitionem veniunt habent rationem partium eſſentialium,& ex qua reſultat aliquid ſimpliciter perfectius quàm illa quæ in eius compoſitionem veniunt ſeorſim ſumpta; certum autem eſt compoſitionem illam quæ in Chriſto reperitur, ex verbo diuino & naturâ humanâ non eſſe eiuſmodi, cùm verbum diuinum in Chriſto non ſe habeat vt pars, ſed vt terminus naturam humanam hypoſtaticè terminans , & adhuc totus Chriſtus non ſit aliquid perfectius quàm verbum diuinum ſeorſim conſideratum. Verùm iſta accuratius diſcutiantur in ſecunda parte huius Summæ,vbi de myſterio incarnationis.

Digitized by Google

TERTIA DISPVTATIO.

DE PERFECTIONE DEI.

QVONIAM ex eo quod Deus ſit ens ſimpliciſſimum, expers omnis potentialitatis, facilè colligitur eundem eſſe ſummè actu, ſeu perfectiſſimum; idcirco explicata eius ſimplicitate ſequitur vt de ipſius perfectione deinceps diſſeramus.

An Deus ſit perfectus.

QVÆSTIO I.

AD intelligentiam propoſitæ quæſtionis notandum eſt, primò perfectum appellari ex D.Tho. hîc q.4.art.1.id cui nihil deeſt ſecundùm modum ſuę perfectionis, ſeu cui nihil deeſt eorũ quæ naturę ſuę cõuenientia ſunt; ex quo rectè infert S. Tho. ſecundùm hoc, aliquid dici perfectum ſecundùm quod eſt actu, ita vt perfectio ſit idem quod actus ſeu actualitas entis, ex D.Th. Repeti poſſunt hoc loco quæ de perfecto generaliſſimè, ſeu tranſcendaliter ſumpto docuimus in 3.par.Metaph.d.1.q.2. & d.2.q.12. Secundò notandum eſt ea quæ naturę conuenientia ſunt ab effectu quòd naturam perficiant, & faciant eam magis actu, ſaltem ſecundùm noſtrum concipiendi modum, per- *Notandũ primò.* *Quid ſit perfectio ex D.Th.* *Notandũ. ſecundo*

Digitized by Google

Perfectiones eſſentiales. fectiones appellari, eaſque eſſe aut internas ſeu eſſentiales quæ ad rei eſſentiam pertinent, aut exter nas ſeu accidentales quæ ad rei conſeruationem, operationem, ornatum &c. conducunt; *Accidentales.* quarum quædam ſunt naturales quæ conue- *Naturales* niunt rei ſecundùm ſtatum ipſius naturalem; quędam ſupernaturales quæ conueniunt rei *Supernaturales.* ſecundùm quod ordinatur à Deo ad finem ſupernaturalem. Tertiò notandum eſt inter per- *Notandũ tertio.* fecta quæ habent omnia ſuæ naturæ conueniētia illud altero perfectius cenſendum eſſe, quod natura ſua plures perfectiones deſiderat, ſiue illas formaliter ſiue eminenter contineat.

Aſſertio tenenda probatur. His præſuppoſitis, aſſerimus Deũ eſſe perfectiſſimum: probatur primo; Eo enim aliquid perfectius eſt quò eſt magis actu: Sed Deus eſt maximè actu, omnemque actum poſſibilem continet; cùm enim ſit ens ex ſe, non poſſet reddi ratio cur aliquis actus ſeu perfectio illi deeſſet. Secundò; ipſum eſſe per ſe ſeu ex ſe eſt per- *Secundo.* fectiſſimum omnium, cùm ipſum eſſe in genere, ad omnia comparetur vt actus, & per ipſum formaliter omnia ſint actu, vnde ipſum eſſe dicitur actualitas omnium rerum, etiam ipſarum formarum; atqui Deus eſt ipſum eſſe per ſe, & ex ſe, id eſt, per ſuam eſſentiam, & non ex vi vllius cauſæ: ergo Deus eſt omnium perfectiſſimus.

An in Deo *ſint rerum omnium perfectiones, & quomodo.*

Qvæstio II.

Propositæ quæſtioni duabus ſequentibus propoſitionibus ſatisfiet.

Sit igitur prior propoſitio. In Deo ſunt rerum omnium perfectiones. Probatur primò authoritate ſacræ Scripturæ Exodi 33. *Oſtendam tibi omne bonum* (id eſt) omnem perfectionem, & Pſal. 49. *pulchritudo agri mecum eſt*, id eſt, in me vniuerſi tota perfectio reperitur. Rom. 11. *ex ipſo & in ipſo ſunt omnia.* Secundò ex communi cōſenſu ſanctorum Patrum inter quos D. Dionyſius c. 5. de diuinis nominib. *Cuncta* inquit, *continet* Deus *ſecundùm ſuperexpenſam ſimplicem infinitatem.* Tertiò ratione hac D. Thom. hîc q. 4. art. 2. Quidquid perfectionis eſt in effectu, debet in cauſa reperiri vel ſecundùm eandem rationem, vt in agente vniuoco, vel eminentiori quodam modo, vt in agente ęquiuoco; omnis enim effectus præexiſtit in cauſa agente non deteriori modo, vt in cauſa materiali, ſed nobiliori, idque vel ſimpliciter vt in cauſa æquiuoca, vel ſecundùm quid, ſeu ſecundùm rationem ipſam formalem cauſæ efficientis; atqui Deus eſt prima cauſa effectiua & quidem æquiuoca rerum omnium, vt conſtat ex quęſt. 3. 1. diſp. Ergo quidquid perfectionis eſt in rebus omnibus, illud ipſum in Deo ſecundùm modum eminētiorem reperitur. Obiicies forſan; perfe-

Prima propoſitio.

Probatur primò authoritate ſcripturæ.

Secundò conſenſu Patrum.

Tertio. Ratione D. Tho.

Obiectio.

ctiones rerum eſſe multas ac diuerſas, proindeque non poſſe omnes in Deo reperiri, in quo eſt vnicus ſimpliciſſimus actus. Reſpondemus omnes illas perfectiones quæ in creaturis plures ac diuerſæ ſunt, in Deo eſſe vnum & idem abſque vllo ſimplicitatis illius diſpendio; itaque ſicut lumen cùm ſit vna ſimplex qualitas, verè tamen continet eminenter plures qualitates elementares; ita diuina natura cùm ſit vnicus ſimpliciſſimus & puriſſimus actus, verè tamen & modo quodam eminentiſſimo omnes omnium rerum perfectiones eminenter continet. Repete hîc quæ ſupra docuimus q. 6. præcedentis diſputationis.

Solutio.

Secunda propoſitio.

Poſterior propoſitio. Non omnes rerum omnium perfectiones eodem modo ſunt in Deo: aliæ enim (nempe quæ dicuntur perfectiones ſimpliciter ſimplices) ſunt formaliter in Deo, aliæ verò nempè quę dicuntur perfectiones ſecundùm quid, ſunt in ipſo tantùm eminenter. Quod vt faciliùs intelligatur notandum eſt perfectiones eſſe duplicis generis: quędã dicũtur ſimpliciter ſimplices, aliæ verò dicuntur ſecundùm quid. Perfectio ſimpliciter ſimplex deſcribitur quam melius eſt eſſe in vnoquoque ente vt ens eſt generatim ſumpto, quàm non eſſe vel (vt noſtri loquũtur) quę in vnoquoque melior eſt ipſa quã non ipſa. Dico in ente generatim ſũpto, vel in vnoquoq; vt ens eſt, nõ verò in ente ſpeciatim ſumpto vel vt tale eſt: nam, exempli gratia, licèt melius ſit enti ſapere, intelligere, &c. quàm non ſapere aut non intelligere, quæ ſunt perfectiones ſimpliciter ſim-

Notãdum.

Perfectio ſimpliciter

plices, non tamen id melius eſſet lapidi vt lapidi. Perfectio verò ſecundùm quid dici poteſt quam non eſt abſolutè melius eſſe in ente quam non eſſe: neque enim melius eſt abſolutè enti eſſe lapidem, quàm non eſſe lapidem. Ex quo intelligis diſcrimen eſſe inter perfectiones ſimpliciter ſimplices, & perfectiones ſecundùm quid, quod illę ſecundùm aliquam ſui rationem formalem ſunt compatibiles cum aliqua maiori perfectione, verbi gratia, Bonitas, Veritas, Sapientia creata ſecundùm rationem formalem bonitatis, veritatis, & ſapientię in genere ſunt compatibiles cum eſſe diuino, quę eſt perfectio multò maior; At verò iſtæ ſecundùm ſuam rationem formalem ſunt incompatibiles cum aliqua maiori perfectione eſſentiali, vt eſſe lapidem, eſſe hominem, &c. ſunt incompatibilia cum eſſe diuino.

Notandũ diſcrimen inter perfectiones ſimpliciter ſimplices, & perfectiones ſecundùm quid.

Aſſerimus igitur perfectiones ſimpliciter ſimplices ſecundùm aliquam propriam ſui rationem eſſe in Deo formaliter, perfectiones verò ſecundùm quid nullomodo eſſe formaliter in Deo, ſed tantùm eminenter; dico ſecundùm aliquam ſui rationem; neque enim perfectio creata ſecundùm rationem eſſe creati eſt cõpatibilis cùm eſſe diuino, neque hoc ipſum intelligimus, ſed tantùm ſapientiam, verbi gratia, ſecundùm rationem ſapientię, bonitatem ſecundùm rationẽ bonitatis, eſſe in Deo formaliter. Sciendũ autem hîc eſt quid ſit perfectionem aliquam formaliter eſſe in Deo, & quid ſit eſſe eminenter Perfectionem aliquam eſſe

Cõcluſio ex prædictis.

Notãdum Quid ſit perfectionẽ aliquam eſſe in Deo formaliter ac in ipſo eminẽter.

formaliter in Deo, nihil eſt aliud quàm perfectionem eſſe in Deo correſpondentem tali perfectioni creatæ, aptam eodem conceptu concipi, & eodem nomine ſignificari quo apta eſt concipi & ſignificari eiuſmodi perfectio creaturę; eodem (inquam) conceptu, non quidem proprio & vltimato, ſed cõmuni aliquo qui formaliter etiam per nomen talis perfectionis creatæ ſoleat ſignificari. Perfectionem verò aliquam eſſe in Deo ſolùm eminenter, eſt perfectionem eſſe in Deo correſpondentem tali perfectioni creatæ non aptam eodem conceptu concipi aut eodem nomine ſignificari, ſed eam eſſe qua poſſit Deus & eam perfectionem creatam facere, & ſolus etiam efficere quidquid ipſa præſtat effectiuè. Vbi nota quod licèt in rebus creatis cauſę quædam vniuerſales & æquiuocæ res alias eminenter & virtute dicantur continere, quia illas poſſunt producere, non tamẽ ſolę poſſunt efficere quidquid res ab ipſis productæ effectiuè præſtant.

Nota.

Quæſtio.

Si quæras vtrùm creaturæ iure dici poſſint ſimiles Deo, eo quòd illarum perfectiones in ipſo ſint. Reſpondeo cum D. Thom. hîc q. 3. art. 4. quod licèt creaturę non poſſint dici ſimiles Deo ſecundùm conuenientiam aliquam vniuocam: ſiquidem nullæ earum perfectiones ſunt in Deo formaliter ſecundùm adæquatam ipſarum rationem, vt paulò ante docuimus; poſſunt tamen dici ſimiles Deo ſecundùm conuenientiam quandam analogicam; ſicut enim Deus continet ſuas perfectiones modo qui conuenit

Reſponſio.

Creaturæ dici poſſũt Deo ſimiles.

conuenit Enti per eſſentiam,& ex ſe; ita etiam creaturas ſuas modo qui conuenit enti per participationem & ab alio: neque tamen propterea dicimus Deum eſſe ſimilem creaturæ, ſic enim ſignificaremus creaturam ſaltem aliqua ratione eſſe æqualem Deo, aut etiam maiorem ipſo.

QVARTA DISPVTATIO.

DE BONITATE DEI.

QVIA vnumquodque ſecũdùm quod perfectum eſt dicitur bonum,vt dicit Sãctus Doctor hîc quæſt. 4. & vnumquodque eſt appetibile ſecũdùm quod eſt perfectum,ex eod. quæſt.5.art.1.rectus ordo poſtulat vt poſtquam de perfectione Dei egimus, deinceps de ipſius bonitate diſputemus.

An & quomodo Deus dicatur bonus.

QVÆSTIO I.

SVpponenda ſunt hîc ea quæ de bono in communi ex inſtituto docuimus in noſtra Summa Philoſophica, nempe in 1.tract. 1. par. Ethicæ,diſput. 1.& in 3.tract.Metaph.diſput.2. quæſt. 10. & ſequ. Et præterea duo hîc obiter prænotanda; primũ eſt circa ſecundã aſſertionem quæſt. 11. loco citato Metaph. licèt appetibilitas quaſi proprietas naſcatur ex rei conuenientia, eam tamen poſſe dici etiam aliquo modo rationem formalem boni, nempe rationem formalem ſub qua; ſicut intelligibilitas eſt ratio formalis ſub qua obiecti intellectus. *Notandum primo.*

Et quidem videtur ſanctus Thomas ſub ea præſertim ratione de bono in communi hîc diſſeruiſſe, q. 5.
Secundò. Alterum notandum eſt circa aſſertionem tertiam eiuſdem quæſtionis citatæ; quod licet verum ſit conuenientiam illam, in qua dicimus primariam rationem bonitatis tranſcendalitatis poſitam eſſe, ſumi poſſe in ordine ad Deum, ſeu ad ipſius Dei appetitum, cùm eius bonitas ſit omnis bonitatis creatæ menſura; & ipſe appetitus diuinus ſit omnis appetitionis regula: nihilominus tamen hîc non improbabile ducimus relationem illam conuenientiæ quam formaliter includit bonum tranſcendentale, quod eſt ens in genere, ſumi poſſe in ordine ad ſeipſum; nam ipſa etiam entis entitas eſt verè conueniens enti cuius eſt entitas, ac proinde ab ipſo appetibili ſaltem appetitu naturali; ſicque meritò ratio formalis boni tranſcendentalis dici poterit poſita in reſpectu quodam rationis eiuſdem ad ſeipſum.

Aſſertio tenenda probatur. His præmiſſis: quòd Deus non tantùm verè ſit bonus, ſed etiam ſummè bonus, probatur euidentiſſimis rationibus. Primò illud verum
Primò. & ſummum bonum eſt quod verè & ſummè appetibile eſt, vt patet ex ipſa boni ratione: atqui Deus eſt ens verè & ſummè appetibile; vnumquodque enim appetibile eſt ſecundùm quod eſt perfectum, ex D. Th. ſupra: Deus autem eſt ens perfectiſſimum ex præcedenti diſputatione. ergo Deus eſt verè & ſummè bonus.
Secundò Bonum dicitur ens quatenus vel
Secundò. ſibi vel alteri conueniens eſt: ſed Deus eſt ens

Digitized by Google

conuenientiſſimum tum ſibi, cùm ſit ens per ſe & ex ſe perfectiſſimum ex prædictis, tum etiã alteri cuilibet Enti, cum ſit finis ſupremus ac vltimus rerum omnium, cumque à quolibet ente participetur ſecundùm modum naturæ ſuæ competentiſſimum; eſt igitur Deus Ens verè ac ſummè bonum. Tertiò, omnes rerum creatarum perfectiones ſunt quædam ipſarum bonitates, vt colligere eſt ex Diuo Thoma hîc q. 6. a. 2. atqui omnes illæ perfectiones ſunt in Deo modo quodam eminentiſſimo ex quæſt 2. præcedentis diſputationis: ergo Deus eſt præſtantiſſimum ac ſummum bonum. Denique id à quo omne bonum & nonniſi bonum eſt, illud ſummum bonum eſt: atque omnia bona ſunt à Deo, Gen. 1. *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona*, nec niſi bonum ab ipſo eſt; omnia enim in põdere, numero & menſura poſuit. Sap. 11. id eſt, omnia fecit bona, vt colligere eſt ex D. August. qui libro de natura boni cap. 1 docet rationem boni poſitam eſſe in modo, ſpecie, & ordine, quique hęc tria reducit ad alia tria prædicta, nempe numerum, pondus, & menſurã lib. 4. de Geneſi ad litteram cap. 3. *Menſura enim*, inquit, *omnem rei modum præfigit, & numerus omni rei ſpeciem præbet, & pondus omnem rem ad quietem & ſtabilitatem trahit.*

Tertio.

Quarto

Modus, ſpecies, ordo.

Digitized by Google

An ſoli Deo competat eſſe bonum per eſſentiam.

QVÆSTIO 2.

Bonum per eſſentiam dici poteſt quatuor modis.

Conſtat quidem creaturas omnes verè dici & eſſe bonas, iuxta illud Geneſ. 10. *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona.* Dubitatur autē an etiam dici poſſint bonæ per eſsētiam, ſicuti Deus: Verùm quia aliquid dici poteſt bonum eſſe per eſſentiā quatuor modis, idcirco totidē aſſertionibus propoſitæ quæſtioni ſatisfiet.

Prima aſſertio.

Prima aſſertio. Si bonum per eſſentiā intelligatur id quod opponitur bono per participationē ſeu dependentiam ab alio, ſoli Deo cōuenit eſſe bonum per eſſentiā. Probatur: quia bonū

Probatur.

ſequitur ens, & eo modo aliquid eſt bonum quo eſt Ens: atqui ſolus Deus eſt Ens ex ſe, ac omninò independens: Ergo ſolus Deus eſt ens bonum per eſſentiam hoc ſenſu, id eſt à ſeipſo, & non per participationem.

Secunda

Secunda aſſertio. Si cùm dicitur aliquid eſſe bonum per eſſentiam, intelligatur eſſe bonum per eſſentiam omni genere bonitatis, quòd in ipſo reperiri aut concipi poteſt, adhuc ſoli Deo competit eſſe bonum per eſſentiam. Probatur præclarâ hac ratione Diu. Tho. q. 6. art. 3 Naturæ

Probatur.

ſeu eſſentiæ cuiuſque triplex eſt perfectio ſeu bonitas: prima conſiſtit in ipſo eſſe rei, ſecūda in potentiis ſeu facultatibus operatiuis, tertia in aſſequutione proprii finis: atqui hæc triplex

perfectio nulli creato enti competit ſecundùm ſuam eſſentiam, ſed ſoli Deo, cuius ſolius eſſentia eſt ſuum eſſe, & cui ſoli nulla aduenire poſſunt accidentia, cùm omnia illi ſint eſſentialia, quique ſolus ad nihil ordinatur ſicut ad finem., cùm ſit ipſe vltimus rerum omnium finis.

Tertia aſſertio. Si bonum per eſſentiam intelligatur bonum actu per eſſentiam, ſeu quod eſt bonum bonitate per eſſentiam exiſtente, ſolus Deus eſt bonus per eſſentiam: nam vt ſolus Deus eſt ens actu, ſeu exiſtens per eſſen tiam, ſic in ſolo Deo omnis perfectio ſeu bonitas verè eſt actu, ſeu exiſtit per eſſentiam. *Tertia aſſertio* *probatur.*

Quarta aſſertio. Si aliquid eſſe bonum per eſſentiam, intelligas aliquid eſſe bonum eſſentialiter, ſeu habere eſſentiam bonam, non ſoli Deo competit eſſe bonum per eſſentiam, ſed etiã cuilibet enti creato. Probatur primò, quia omnis creatura in quãtùm creatura, verè dicitur bona Gen. 1. Prou. 3. & 1. ad Tim. 4. ſed omnis creatura eſt etiam ſecundùm eſſentiã ſuã creatura, ergo eſt etiam bona. Deinde, eadem realitate aliquid bonum eſt, qua eſt ens, ſed unum quodque ſuæ eſſentiæ realitate eſt ens, ergo & bonum. Denique, aliquid poteſt dici melius altero non tantùm ſecundùm rationem exiſtentiæ aut accidentium, vel finis, ſed etiam potiſſimùm ſecundùm perfectionem eſſentiæ; ſic enim verè dicimus hominẽ eſſe quid perfectius animantibus brutis etiam ſecundùm præciſam ſuæ naturæ rationem. *Quarta aſſertio.* *probatur primò.* *Secundò.* *Tertiò.*

An omnia ſint bona bonitate diuina
QVÆSTIO 3.

Aſſertio tenenda. CVm ſolus Deus ſit per eſſentiam, hoc eſt ex ſe primò independenter & actu bonus ex præcedenti quæſtione, imò ſit prima rerum omnium ac proindè omnis perfectionis & bonitatis cauſa, ex prima diſputatione huius partis; ita vt vnumquodque ſit ens & bonum inquantum participat ipſum per modum cuiuſdam aſſimilationis: ſequitur quod vnumquodque ab ipſo primo bono dici poteſt bonum tamquam à primo principio exemplari, effectiuo, & finali omnis bonitatis, ac proinde dici poſſit quoque aliquo modo bonum bonitate diuina; nihilominus tamen magis propriè loquendo vnumquodque dicitur bonum bonitate propria in ipſo formaliter exiſtente ac ipſum denominante, quatenus eſt ſimilitudo quædam diuinæ bonitatis, ſicque creatura in genere dupliciter denominatur bona extrinſecè quidem à bonitate diuina; intrinſecè verò à bonitate propria. *Creatura 2 citer dicitur bona*

Dubitatio. Si quæras hîc, vtrùm bonitas creata ſimul coniuncta cum diuina bonitate faciat aliquod maius bonum quàm ſit ſola bonitas diuina. *Reſponſio.* Reſpondetur, licèt bonitates illę ſimul ſumptæ ſint plures bonitates vel plura bona quàm ſit ſola bonitas increata, non tamen faciunt maius bonum intenſiuè; tum quia finitum infinito additum non facit maius, tum quia id quod bonũ creatum cõcipitur addere ad increatum,

Digitized by Google

id ipſum totum in ipſo increato eminenter ſaltem continetur: quare ſic ſe habet bonum creatum ad increatum, ſicut punctus ad lineam, qui ipſi additus nullam facit maiorem extenſionem: Adde quod vt fieret ex his bonis maius bonum, deberet aliquo modo fieri vnum ex illis; quod fieri non poteſt, cùm Deus propter eminentiam naturæ ſuæ in nullius rei compoſitionem venire poſſit.

QVINTA DISPVTATIO DE INFINITATE DEI.

EXplicata Dei perfectione ac ipſius bonitate quæ ex perfectione intelligitur, ſequitur vt de eiuſdem infinitate diſſeramus. Et quoniam tribuitur Deo quod ſit vbique & in omnibus rebus ex eo quod ſit infinitus, idcirco in hac ipſa diſputatione de ipſius præſentia vbique tractabimus.

An Deus ſit Infinitus.

QVÆSTIO I.

DE infinito in genere nonnihil diximus 1. par. phyſ. tract. 3. diſp. 1. q. 5. & ſequent. Deumque eſſe infinitum non ſemel inſinuauimus, vt in prima par. Dial. tract. 3. diſ. 1. q 3: 1. phyſ. tract. 3. diſ. 4. q. 10. poſtrema par. Meph. tr. 4. ſub finem. An verò ita ſe res habeat hic ex inſtituto quæritur. Vbi nota primò quæſtionem hîc non inſtitui de infinitudine molis, cum ex præcedentibus conſtet Deum eſſe ſpiritum, ac omnis corporeæ molis expertem, *Notand. 1.*

ſed de infinitudine virtutis ſeu eſſentialis perfectionis, an videlicet Deus ſit ſecundùm eſſentiam infinitus. Secundò aduerte infinitum ſecundùm eſſentiam hîc intelligi, id cuius eſſentia nullo ſuæ perfectionis termino ſeu limite finitur; terminus autem entitatiuæ perfectionis in genere, dici poteſt quilibet entis gradus ab alio quouis entis gradu ſeu perfectione preſciſus: Hoc poſito,

Notandum ſecundo.

Aſſertio tenenda.

Aſſerimus Deum eſſe perfectione ſeu ſecundum eſſentiam infinitum; illudque non tantùm fide conſtare, ſed etiam euidenti ratione probari poſſe contendimus. Aperta quidem ſunt ſacræ Scripturæ teſtimonia, vt illud pſalmi 143. *Magnus Dominus & laudabilis nimis, & magnitudinis eius non eſt finis.* Et illud Baruc 3. *Magnus eſt, & finem non habet.* Rationes etiam ad id probandum validiſſimæ ſuppetunt, præter eas quæ ſumi poſſunt ex infinita Dei poteſtate & operatione, de quibus ſuo loco dicemus. Prima igitur ratio ſit hæc quam inſinuat D. Th. 1. p. q. 7. ar. 1. Nullum ens poteſt eſſe finitum & limitatum, niſi limitationis eius cauſa aliqua ſit, quę non potuerit aut noluerit maiorem perfectionem effectui tribuere: Atqui nulla eiuſmodi cauſa eſt aut ratio cur ens primum quod ex ſe ſolo & independenter ab alio eſt, ad certos perfectionis limites coarctetur. Secunda, Deus eſt ens perfectiſſimum non tantùm inter ea quæ actu exiſtunt, ſed etiam inter ea quæ poſſibilia ſunt, itaut illo ente abſolutè primo nihil poſſit eſſe perfectius; Atqui nihil repugnat quouis ente finito dari aliud nobilius; neceſſe igitur

Authoritas

Ratio prima.

Secunda.

Digitized by Google

eſt primum illud ens eſſe perfectione ſeu ſecundùm eſſentiam infinitum. Neque eſt quod dicas infinitum habere rationem imperfecti, vt docet Ariſtoteles in Phyſ. loquitur enim de infinito ſecundùm materiam, non verò de infinito ſecundùm formam, cuiuſmodi eſt Deus, vt præclarè explicat ſanctus Thomas loco citato. Et licèt infinitas formaliter dicat negationē, quæ videtur eſſe quædam imperfectio; quia tamen fundamentaliter importat ſummam perfectionem, cùm huius infinitatis fundamētum ſit plenitudo quædam & copia perfectionum omnium quæ continentur in latitudine totius entis, idcircò Deo iure & meritò attribuitur. *Obiectioni tacitæ occurritur.* *Infinitas Dei ſummam importat perfectionem.*

Verùm aduerſus noſtram aſſertionem poſſet aliquis iſtud obiicere: Si Deus eſſet ſummè ſeu infinitè perfectus, omnes creaturæ cùm ſint finitæ diſtarent infinitè ab ipſo, ac proinde omnes æqualiter ab ipſo in ſua perfectione diſtarēt, quod abſurdiſſimum eſt; conſtat enim v.g. Angelos multò minùs in ſua perfectione naturali diſtare à Deo quàm cæteras creaturas. Cui reſpondetur, maiorem vel minorem perfectionem creaturarum non eſſe petendam, ſi exactè loqui velimus, ex maiori vel minori acceſſu ad Deum vel receſſu ab ipſo, ſed potius ex maiori vel minori perfectione ab ipſo deriuata, ſiue ex intrinſeca ſua perfectione, per quam Deo magis vel minùs aſſimilantur. Poſſet ſecundò aliquis obiicere: ſi daretur corpus infinitum magnitudine, excluderet alia omnia ſuæ molis immenſitate; ergo ſi detur ens perfectione ſeu virtute infinitum, neceſſe erit vt infinita ſuæ *Obiectio.* *Solutio.* *Obiectio.*

Solutio. virtutis operatione abſorbeat omne quod eſt imperfectum. Reſpondetur, non parem eſſe vtriuſque rationem; quia nempe infinitum mole neceſſario deberet occupare omnem locum; at verò infinitum virtute, illudque liberum, cuiuſmodi eſt Deus, non operatur ſecundùm infinitudinem ſuæ virtutis: ac proinde licèt poſſit omne malum ac imperfectum exterminare, nihilominus tamen multa imperfecta & etiam mala tolerat, vt ſic manifeſtiùs oſtendat diuitias ſuæ ſapientiæ, bonitatis & patientiæ, iuxta illud ad Rom. 11. *Suſtinens vaſa iræ apta in interitum, vt oſtendat abundantes diuitias in vaſe miſericordiæ.*

An aliquid præter Deum poſsit eſſe infinitum.

QVÆSTIO II.

Senſus quæſt. proponitur. NIhil eorum quæ videntur eſſe actu & categorematicè infinitum ſiue ſecundùm eſſentiam ſiue ſecundùm accidens ſatis conſtat experientia, nec obſcurè id ſignificat Sapiens cùm ſcribit Sap. 2. *Deum omnia in numero, pondere, & menſura diſpoſuiſſe* id eſt, rebus omnibus certos perfectionis limites præſcripſiſſe. an verò aliquid eſſe poſſit verè & categorematicè infinitum ſiue ſecundùm eſſentiam, ſiue ſecundùm accidens meritò quæri poteſt.

Sit igitur prima propoſitio. Nihil creatum poteſt eſſe infinitum actu & ſimpliciter ſecundum eſſentiam. Probatur, quia infinitum ſecundùm eſſentiam, nullam entis perfectionem excludit, vt ex prædictis conſtat: at verò creatura

Prima propoſitio. Ratio prima.

Digitized by Google

ſecundum eſſentiam vt ſic, excludit eſſe à ſe quę eſt ſumma Entis perfectio: ergo repugnat creaturam eſſe infinitam perfectione ſeu ſecundùm eſſentiam. Adde quod ad hoc vt aliquid ſit infinitum perfectione ſeu ſecũdùm eſſentiam, neceſſe eſt vt omnes omnium rerum perfectiones complectatur; ſed hoc fieri nõ poteſt; nam non poteſt fieri vt aliquid creatum contineat perfectiones quæ ſunt in Deo; aut enim illas formaliter contineret, & ſic eſſet quid æquale Deo; aut eminenter, & ſic eſſet quid nobilius Deo, quorum neutrum poſſibile eſt.

Obiectio. Si obiicias, licèt omnes creaturæ ſigillatim ſpectatæ finitæ ſint, totam tamen illarum omnium etiam poſſibilium collectionem videri infinitam, quia nihil maius aut melius à Deo creari poſſe videtur. *Solutio.* Reſpondeo eiuſmodi poſſibilium omnium perfectionum collectionẽ propriè & categorematicè neque finitam eſſe neque infinitam, cùm nihil ſit actu diſtinctum; ſed eſſe infinitam potentia tantùm & ſincathegorematicè, quia nulla poteſt aſſignari ſuprema ſeu vltima pars iſtius collectionis, vndè etiam nullus eſt internus iſtiuſmodi collectionis terminus, ſed tantùm externus, videlicet Deus, ad cuius perfectionem nuſquam poteſt attingere ſupradicta creaturarum collectio: licèt non ſit diffitendum illam eſſe longè nobiliorem quacunque creatura ſeorſim acceptâ.

Secunda propoſitio. Secunda propoſitio. Nihil repugnat aliquid eſſentiali perfectione dici infinitum ſecundùm quid, & in aliquo genere quo nihil maius aut melius eſſe poteſt ſecundùm eſſentiam in illo genere; ſic homo dici poteſt infinitum

ſecundùm quid in genere animalis; eſt enim præſtantiſſima ipſius ſpecies, ad cuius perfectionem aliæ ſub eodem genere, licèt in infinitum multiplicatæ nequaquam accedere poſſunt; idem de lumine gloriæ dici poteſt, quod quouis alio lumine intellectuali creato longè præſtantius eſt, continetque eminenter omnia lumina intellectualia tum angelorum tum hominum, quæ ſyncategorematicè dici poſſunt infinita; idemque de humanitate Christi, & dignitate Matris ipſius dici poteſt.

Lumen gloriæ, humanitas Chriſti, & dignitas matris eius, quodammodo infinita.

Tertia propoſitio.

Tertia propoſitio. Non poteſt dari infinitum actu & categorematicè in rebus creatis ſecundùm accidens, hoc eſt, neque ſecundùm magnitudinem, neque ſecundùm multitudinem, vt hîc docet ſanctus Thomas art. 3. & 4. & nos iam docuimus 1. par. Phyſ. Tr. 3. diſp. 1. qu. 7. an verò infinitum duratione ſeu ſecundùm motum eſſe poſſit. lege in 2. part. Phyſ. Tr. 1. diſp. 1. quæſt. 3. vbi quæritur, an mundus potuerit eſſe ab æterno.

Rationes exinde repeti poſſunt.

An Deus ſit in omnibus rebus.

QVÆSTIO III.

Senſus quæſt. exponitur.

Sensvs propoſitæ queſtionis eſt, Vtrùm Deus ſit in quolibet ente creato, non quidem vt pars in toto, aut accidens in ſubiecto; nam conſtat ex diſput. de Simplicitate ipſius, hoc fieri non poſſe; ſed vt agens adeſt ei in quod agit.

Aſſertio tenenda.

Aſſertio igitur de fide tenenda eſt, Deum nempè præſentem ſemper adeſſe rebus omni-

bus, earumque ſubſtantias intimè penetrare, iuxta illud Hieremiæ 23. *Cælum & terram impleo.* & illud Actorum 17. *Non longè eſt ab vnoquoque noſtrum*; Et in hoc quoque conſentiunt omnes Sancti Patres, inter quos D. Dionyſius, c. 9. de diuinis nominibus, ait Deum penetrare omnia. Auguſtinus epiſt. 57. ad Dardanum; *Deus* (inquit) *vbique præſens eſt, & vbique totus.* & Beatus Bernardus lib. 5. de Conſider. cap. 6. *Suo* (inquit) *ſublimi atque incomprehenſibili modo ſicut omnia in ipſo, ſic ipſe in omnibus eſt.* Ratione verò idem probatur: Rebus omnibus adeſſe poſſe, idque intimè perfectio quędam eſt. Cùm igitur Deus ſit infinitæ perfectionis, vt ex pręcedentibus quęſtionibus conſtat, non videtur vlla ratio cur iſta perfectio ipſi denegetur. Confirmatur, quia ratio cur in rebus creatis aliquid ita vni rei adeſt, vt aliis ſimul adeſſe non poſſit, eſt quia non habet maiorem extenſionem, ſive molis, ſive perfectionis aut virtutis, quàm illa quæ ipſi ſatis eſt, vt ſit huic rei pręſens & non aliis: atqui in Deo iſta ratio non habet locum, cùm ſit ille ſimpliciter infinitus & immenſus, ergo eſt pręſens omnibus planè rebus, idque intimè, quia ſicut non eſt ratio cur ab vlla re abſit, ſic neque etiam vlla eſt ratio cur ab vlla ipſius parte vel tantillum diſtet.

Auctoritas Sacræ Scripturæ.

SS. Patrũ.

Ratio prima.

Secundò probatur hac D. Thom. ratione, quam licèt (vt ingenuè dicam quod ſentio) non omninò neceſſariam eſſe exiſtimem, eſt tamen valdè probabilis. Omne agens (inquit) coniungi debet ei in quod immediatè agit.

Secundò.

Digitized by Google

men illis intimè eſſe vnita, ſed tantùm coniun- cta ſeu præſentia eſſe per contactum virtutis aut ſuppoſiti: notandū tamen bonam fore con- *Notandum* ſequutionē ex eo quòd Deus vt agēs primum & perfectiſſimū agat in rebus omnibus, illaſque in ſuo eſſe tueatur, dico vt agens primū & per- fectiſſimum, quia Deus, vt agens primū & per- fectiſſimū, vt ſic, infinitā perfectionem continet ſecūdùm quam neceſſe eſt omnibus rebus præ- ſentem eſſe, vt in prima ratione oſtendimus.

Cæterùm nota quod nonnulla dicuntur in ſa- *Nota.* cris litteris diſtare vel elongari à Deo metapho- ricὼs propter diſſimilitudinē naturæ, gratię, vel gloriæ, ſicut & ipſe longè ſupra omnia eſſe dici- tur propter excellentiam ſuæ naturę.

An & quomodo Deus ſit vbique.

QVÆSTIO IIII.

DEVM eſſe vbique non eſt planè idem ac *Aſſertio* eſſe in omnibus rebus, aut etiam in omni- *tenenda.* bus locis vt res ſunt; hoc enim præcedenti quæ- ſtione determinatum eſt, ſed eſſe in omnibus *Authoritas.* locis vt loca ſunt.

Deum igitur eſſe verè & ſubſtantialiter vbiq; ſeu in omnibus locis non tantùm fides & ſacræ litterę, vt colligere eſt ex locis præcedenti quæ- ſtione allatis, ſed etiam communis conſenſus Patrum teſtatur, inter quos Diuus Bernardus lib. 5. de conſider. cap. 6. *Quæris, ſi in ipſo, om- nia, ipſe vbi? nihilo non minus inuenio. Quis capiat locus? quæris vbi non ſit? ne hoc quidem dixerim, quia* *Ratio.* *nullus ſine Deo locus.* Poteſt etiam idem ſuaderi eadem ratione qua præcedenti quæſtione

probauimus Deum eſſe in omnibus rebus ex ipſius infinitate & immenſitate. Adde quod vnum ex altero ſequitur; cùm enim nullus ſit in vniuerſo locus vacuus, ſed omninò ſit aliqua re oppletus, ſi Deus ſit intimè in omnibus rebus, ſequitur quòd ſit in omni vero & reali loco vniuerſi. Quod verò ſpectat ad modum quo Deus eſſe vbique concipitur, id nonniſi multis propoſitionibus explicari poteſt.

Modus quo Deus eſt vbique explicatur ſequentibus propoſitionibus.

Prima propoſitio.

Prima ſit. Conſtat Deum duobus modis poſſe dici eſſe vbique: primò quatenùs dat eſſe omni loco, eiuſque vim locatiuam conſeruat: Secundò quatenùs eſt in omni re locata, dans illi eſſe, ſicque omnem locum replet, nec tamen adeò occupat quin aliquod corpus in eo eſſe poſſit.

Secunda propoſitio.

Secunda. Conſtat etiam Deum eſſe ita totum in vno loco, vt ſit totus in omni alio, quia non eſt totus in loco totalitate quantitatis, vt loquitur ſanctus Doctor hîc q. 8. a. 2. ad tertium; ſed totalitate eſſentiæ quæ ex ſe non cõmenſuratur totalitati loci.

Tertia propoſitio.

Tertia. Poteſt Deus dici eſſe in loco per contactum quemdam virtualem, ſecundùm quem concipimus nihil eſſe medium inter Dei ſubſtantiam & locorum quãtitatem; neque etiam inter eius operationem ſeu potiùs virtutem operandi qua tùm locum cùm rem locatam conſeruat, & res ipſas conſeruatas.

Quarta propoſitio.

Quarta, prima, eaque formalis maximè ratio ſecundùm quam dicitur Deus eſſe alicubi, non eſt ille virtualis contactus ſeu actio, ſecundùm quam immediatè ibi operatur, ſed relatio

relatio quæ per cōparationē ad ſpatium in quo aliquid eſt antecedit omnem operationem diuinam: ſi quidem priùs intelligendum eſt Deū eſſe pręſentem alicui ſpatio in quo immediatè operatur, quàm eum ibidem ſit operari; ad actionem enim immediatam ratione ſpatii, id eſt qua agens nullo ſpatio intercepto operatur, cuiuſmodi eſt operatio Dei in re qualibet, præſupponitur pręſentia tamquam conditio ad id neceſſariò requiſita.

Quinta propoſitio

Quinta. Ex infinitate & immenſitate ſuę eſſentię ante omnem actionem, ſeu antequam quidquam ad extra operetur habet eſſe vbique, hoc eſt, in omni parte ſpatii non ſolū eius quod occupat mundus, ſed etiam infiniti quod eſt extra mundum: vbi nota Deum poſſe dici extra mundum eſſe duobus modis; primò vt in loco reali vero & poſitiuo; ſecundò vt in ſeipſo, ita vt concipiatur extra mundum in ſpatiis illis imaginariis verè habere ſuam entitatem realem non ſecus ac lapis ſi ibi poneretur: priori igitur modo negamus Deum eſſe extra mundum, at poſteriori aſſerimus; idque conformiter cōmuni loquendi modo ſacræ Scripturæ & SS. Patrū, vnde Iob. 11. *Excelſior cælo eſt.* 22. *Nonne cogitas quod* Deus *cælo excelſior eſt, & ſuper ſtellarū verticem ſublimetur?* & 3. Reg. 8. *ſi cæli cælorum te capere non poſſunt:* & inter cæteros Patres ſanctus Dionyſ. cap. 19. de diuinis nominibus, Deus (inquit) *extrinſecus ſuper magnitudinem funditur & ſuperexpenditur* modum autem quo Deus exiſtit in ſpatio imaginario pręclarè exprimit ſanctus Bernardus loco ſupra citato, *Vbi erat ante-*

Nota Deū dici poſſe extra mūdum 2. modis.

Probatur propoſitio authoritate.

quam mundus fieret ibi eſt. Non eſt quod quæras vltra vbi erat, præter ipſum nihil erat. Ergo in ſeipſo erat. Ratione etiã idẽ probari poteſt: cùm enim perfectio eſſentiæ diuinæ per quam Deus eſt, alicubi ſit infinita, totus autem mundus ſit finitus; neceſſe eſt Deum eſſe etiam extra mundum, non ſicut in loco poſitiuo repletiuè, ſed per immenſitatem eſſentiæ. Adde quod ſi Deus nõ eſſet præſentialiter ſupra cœlos, & ibi crearet nouum mundum, quod poteſt facere, ſequeretur Deum incipere eſſe vbi antea non erat, quod videtur abſurdum: Ex quo intelligis Deum ab omni æternitate præſentem fuiſſe omni ſpatio imaginario, ac proinde illi quod mundus iſte occupat, ita vt ſi daretur in ipſo vacuum, non deſiſteret inibi pręſentem eſſe.

Probatur etia ratione: primo.

Solutio.

Sexta propoſitio.

Sexta propoſitio: Benè & rationi congruè dicitur Deus eſſe vbique per eſſentiam, præſentiam, & potentiam, vt rectè explicat ſanctus Tho. hîc quæſt. 8. art. 3. ex ſimilitudine Regis; eſt igitur Deus in omnibus per potentiam, in quãtum omnia eius poteſtati ſubduntur: per præſentiam, inquantum omnia nuda ſunt & aperta oculis eius; per eſſentiam in quantum adeſt omnibus vt cauſa intima eſſendi in illis. Nota etiam Deũ dici etiã peculiari modo eſſe in ſanctis non ſolùm per modum cauſæ agentis ſupernaturaliter in ipſis, ſed etiam ſicut obiectum operationis in operante, quatenus eſt in illis ſicut cognitum in cognoſcente, ſicut deſideratum in deſiderante, & amatum in amante: quod fit maximè per gratiam & charitatem, qui ſunt inter effectu; Dei hominibus

Quomodo dicatur Deus eſſe in omnibus per eſſentiam, præſentiam & potentiam.

Nota quomodo dicatur Deus peculiariter eſſe in ſanctis.

pro hoc vitæ ſtatu conceſſos nobiliſſimi.

An eſſe vbique ſit proprium ſolius Dei.

QVÆSTIO V.

OPtimè reſpondet ſanctus Tho. hîc. quæſt. 8. art 4. quod eſſe vbique primò per ſe & ex natura ſua, ita vt non poſſit res aliter ſe habere, ſoli Deo competat; ipſe enim ſolus eſt talis, vt quęcumque exiſtant loca neceſſe ſit illum eſſe in omnibus, idque propter infinitatem ſeu immenſitatem eſſentiæ quæ ſoli ipſi poteſt competere : non eſt tamen negandum poſſe aliquam creaturam per potentiam Dei abſolutam fieri præſentem omnibus locis actu exiſtentibus eadem ratione qua dicitur poſſe poni in pluribus locis ſimul. Sicque eſſe vbique, id eſt, in quouis loco poſitiuo ſecundariò ſeu per aliud, ſiue alieno beneficio; poteſt etiam creaturæ competere, non tamen id ipſius proprium abſolutè dici poteſt.

SEXTA DISPVTATIO

DE IMMVTABILITATE DEI.

QVEMADMODVM ſimplicitas omnẽ à Deo compoſitionem excludit, & infinitas terminum, vt cõſtat ex præcedentibus ; ita immutabilitas motum , æternitas fluxum , & vnitas ſiu-

merum ab ipſo remouent; de quibus proindè ſequentibus diſputationibus dicendum eſt, ac primùm de immutabilitate.

An Deus ſit omninò immutabilis.

QVÆSTIO I.

Aſſertio tenenda probatur authoritate.

ITA eſſe non eſt dubium in fide, cùm id ſacrę litterę apertiſſimè teſtentur Malach. 3. *Ego Dominus & non mutor*. Iacobi 3. *Apud quem nō eſt transmutatio nec viciſsitudinis obumbratio*, idipſum vno ore profitentur ſancti Patres, ac

Probatur ratione.

præterea D. Thom. triplici ratione euidentiſſimè probat hîc quæſt. 9. art. 1. Prima eſt. Neceſſe eſt primum ens eſſe purum actum ac omnis potentię expertem; at verò quod mu-

Prima.

tatur eſt aliquo modo in potentia. Ergo impoſſibile eſt ens primum videlicet Deum mutari. Secunda ratio; Quidquid mutatur ſecundùm

Secunda,

aliquid manet, & ſecundùm aliquid tranſit, ſicque ex diuerſis componitur: atqui in Deo nulla poteſt eſſe compoſitio, cùm ſit omninò ſimplex; ergo nullomodo mutari poteſt. Tertia;

Tertia.

Quidquid mutatur acquirit aliquid de nouo, atqui Deus nihil de nouo poteſt acquirere, cùm in ſe omnem perfectionis plenitudinem complectatur; ergo nulla poteſt ei accedere mutatio: ſicque vides mutationem omnem puritati, ſimplicitati ac perfectioni diuinę prorſus aduerſari. Quare veteres Philoſophi euidentiſſima hac ratione conuicti primum principium immobile poſuerunt, & ſanè Ariſtoteles

8.Phyſ.ſtatuit primum motorem eſſe immobilem,vt oſtendimus in pri.par.Phyſ.t.3.diſp.4. quæſt.10.Quòd ſi nonnumquam ſacra Scriptura mutationem aliquam Deo videatur aſcribere, hoc metaphoricè, vel ſimilitudinariè accipiendum eſt, vt illud Geneſ. 6. *pænitet me feciſſe hominem.* Sic Sap. 7. *ſapientia dicitur mobilior omnibus mobilibus*, id eſt communicabilior omnibus rebus per citiſſimum proceſſum à ſummis ad ima ſecundùm ſui participationē & ſimilitudinem.

An ſit proprium Dei vllo modo mutari poſſe.

QVÆSTIO II.

SENSVS propoſitę quæſtionis eſt, vtrùm Deo ita competat eſſe prorſus immutabilem vt nihil ſit præter ipſum omnis planè mutationis expers. Ita eſſe ex fide certum eſt, ſcribit enim Apoſtolus ad Timotheum *ſolum Deum habere immortalitatem.* Et in hoc cōſentiunt ſancti Patres, cùm aiunt ſolum Deum ſemper ſibi ſimilem eſſe, eodem modo ſe habere, &c. lege D. Auguſti. libro de natura boni cap.1.& lib.primo de Trinit.c.2.& 3.& 14.cap. 4. Ratione idem probatur à D. Thoma hîc q. 9.art.2.in hunc modum: Omnes creaturæ imprimis ſunt mutabiles per potentiam, quæ eſt in altero nempe Deo quatenus ab ipſo potuerunt ex nihilo produci in eſſe, & de eſſe poſſunt reduci in non eſſe. Deinde ſunt adhuc omnes mutabiles per potentiam in ipſis exiſtentem:

Senſus quæſt.

Aſſertio tenenda probatur authoritate.

Probatur etiam ratione.

Digitized by Google

& quidem res corporeæ ſublunares ſunt mutabiles ſecundùm potentiam tum ad eſſe ſubſtantiale inquantum generationi & corruptioni ſunt obnoxiæ; tùm ad eſſe accidentale inquantùm variis mutationum generibus ſubiiciuntur: corpora verò cæleſtia mutabilia ſunt quoad eſſe accidentale, quatenus ſecundùm locum mouentur, non tamen quoad eſſe ſubſtantiale, quia in illis natura formæ ſuæ priuationem pati non poteſt, eo quòd non ſit vllum agens naturale quod ipſum à materia poſſit expellere, vti aliàs dictum eſt in phyſicis. Denique ſubſtantiæ ſpirituales & incorporeæ, licèt non ſint mutabiles ſecundùm potentiam ad eſſe ſiue ſubſtantiale, ſiue accidentale, cùm ſint expertes omnis mutationis Phyſicę & propriè dictę; ſunt tamen mutabiles ſecundùm potentiam in ordine ad ſuum finem conſequendum, idque tùm quoad electionem boni & mali, tum quoad virtutem attingendi diuerſa loca quę priùs non attingebant: ſicque vides nullam creaturã expertem eſſe alicuius mutationis, proindeque immutabilitatem omnimodam ſolius Dei eſſe propriam.

Notandũ circa immutabilitatẽ angelorum.

Vbi nota quod Diuus Thomas ait ſubſtantias ſpirituales immutabiles eſſe & inuariabiles ſecundùm eſſe, id intelligendum eſſe quaod potentiam phyſicam, non verò quoad potentiam logicam in illis exiſtentem. Cùm verò quidam ſancti Patres aiunt eiuſmodi ſubſtantias eſſe per gratiam incorruptibiles, illi, per gratiam intelligunt creationis & conſeruationis beneficium, quo ſublato,

vt rectè hic docet ſanctus Thomas, omnia in nihilum ruerent.

SEPTIMA DISPVTATIO. DE ÆTERNITATE DEI

QVONIAM ex immutabilitate Dei intelligitur ipſius æternitas, & ipſa æternitas eſt quædam immutabilitas, idcircò explicatâ Dei immutabilitate ad explicandam ipſius æternitatem accedimus.

Quid ſit æternitas, & quomodo differat ab æuo & tempore.

QVÆSTIO I.

DVÆ occurrũt difficultates in præſenti quęſtione explicandæ, vt patet. Quod ſpectat ad priorem, notandũ eſt primò quod docuimus prima par. Phyſ. t. 3. d. 3 q. 1. Durationem, quæ ab exiſtẽtia cuiuſque rei nequaquã realiter diſtinguitur, in genere eſſe permanentiã, ſeu moram rei in ſuo eſſe, ſiue illud eſſe ſit permanens, ſiue ſucceſſiuum, eamque variam eſſe pro varia conditione rerum exiſtentium Cùm enim alia exiſtant mutabiliter, alia verò immutabiliter, & quidem alia exiſtant mutabiliter quoad eſſe ſubſtantiale, alia verò quoad eſſe accidentale; hinc varia naſcun-

Prior difficul as. Notandũ primò. Quid ſit duratio.

Digitized by Google

tur durationum genera, quæ ad tria commodè reuocari poſſunt, ęternitatem nempè, æuum, & tempus; quòd ſi tempus in diſcretum & continuum diuidas, exiſtent quatuor illæ ſpecies durationis quas aſſignauimus loco citato noſtræ Phyſicæ.

Tria durationum genera.

Quia tamen tempus diſcretum & continuũ ſub vno durationis genere cōtineri poſſunt, idcirco tria tantùm ſupradicta durationum genera cum Diuo Thoma prima part. quæſt. 10. hîc enumerauimus, ad quæ aliæ durationum ſpecies impropriæ vt æternitas participata, modus æternitatis, & modus æui reuocantur, vt potes videre in deſcripta tabulâ cathegoriæ Quando 1.p.Dial.t. 2.diſp.2. ſect.7.

Notandũ ſecundò.

Secundò notandum eſt ex D.Tho.hîc q.10.art. 1.quod ſicut neceſſe eſt in eo quod eſt in motu duo reperiri, nempe terminum & ſucceſſionem; terminum inquam tum à quo motus incipiat, tum in quem deſinat; ſucceſſionem verò ſecundùm prius & poſterius: ita neceſſe eſt in eo quod motu caret neque principium & finem reperiri, neque ſucceſſionem ſecundùm prius & poſterius: vnde æternitas, quæ eſt duratio propria entis omninò immobilis, debet eſſe prorſus interminata, id eſt, carere omni termino ſeu principio & fine, & præterea debet eſſe tota ſimul; ſicque per negationem eorum ex quibus motus cōſtat, nēpe termini & ſucceſſionis, notificatur ſimplex æternitas, quæ proinde quatenus à tēpore diſtinguitur optimè definiri poteſt *Duratio interminata tota ſimul.* vnde rectè etiã deſcribitur à Boëtio *interminabilis vitæ*

Æternitas quid.

tota ſimul & perfecta poſſeßio. Vbi nota ex eodem D.Tho.loco citato, quod quia illud quod poſſidetur firmiter & quietè habetur ad deſignandam æternitatis ſtabilitatem & immutabilitatem vſus eſt nomine poſſeſſionis ; & quia in tempore non tantùm conſideratur ipſum tempus quod eſt ſucceſſiuum, ſed etiam ipſum nũc temporis, quod licèt non ſit ſucceſſiuum, eſt tamen imperfectum ; idcircò non tantùm tota ſimul ad remouendum tempus, ſed etiam perfecta dicitur ad excludendum inſtans temporis: dicitur præterea poſſeſſio vitæ potiùs, quàm ipſius eſſe, quia protenſio durationis ſolet magis attendi & dignoſci ſecundùm operationem quàm ſecundùm eſſe : vnde & tempus dicitur numerus motus potiùs quàm quietis. Cæterùm an per hoc quod æternitas ſit tota ſimul diſtinguatur non tantùm à tempore, ſed etiam à quouis alio genere durationis, puta ab æuo, ſequenti difficultate explicabimus.

Explicatur æterni ternia deſcriptio.

Quod igitur ſpectat ad poſteriorem hanc difficultatem: ſatis conſtat ex pręcedentis difficultatis explicatione æternitatem diſtingui à tempore ; quòd ipſa ſit interminata & tota ſimul, tempus autem cùm ſit numerus, ſeu menſura motus, ſit terminatum & ſucceſſiuum; vnde æternitas verè dicitur menſura eſſe permanentis; tempus verò, menſura eſſe tranſeuntis ; quo fit vt aliquid prout recedit à permanentia eſſendi, & ſubditur tranſmutationi, ſecundùm hoc recedat ab æternitate & ſubdatur tempori; hinc eſt quod non tantùm motus, ſed etiam ipſum eſſe rerum corruptibilium, quia eſt tranſmuta-

Poſterior difficultas, Qui differat æternitas ab æuo & tẽpore.

bile,non menſuretur æternitate, ſed tempore? Tempus enim menſurat non ſolùm quæ tranſmutantur in actu,ſed etiam quæcumque tranſmutari poſſunt,vt docet Sanctus Thomas hîc, quod præſertim intelligendum eſt de tempore quatenùs eſt menſura externa,quâ non tantùm motus,ſed ipſum eſſe omnium rerum ſublunarium menſuratur. An verò menſura interna ipſius eſſe rerum corruptibilium ſiue ſubſtantiæ ſint, ſiue accidentia dum actu non mutantur, ſeu ipſa earum duratio propria, ſit tempus propriè dictum,meritò dubitari poſſet: multi enim quibus aſſentimur non ſine probabilitate exiſtimant illud durationis genus non eſſe tempus propriè dictum, nec etiam propriè æuum, & multò minus æternitatem, ſed eſſe modum æui, vt indicauimus in ſupradicta tabula categoriæ Quando, licèt non diffiteamur hoc genus durationis poſſe appellari tempus, quia ſolet à tempore externo menſurari. Maneat igitur æternitatem realiter & formaliter diſtingui à tempore, & quacumque duratione rerum ſublunarium & corruptibilium.

Quodnam ſit genus durationis rerum corruptibiliũ dum actu non mutantur.

Verùm,quoniam inter Deum cuius propria eſt ęternitas(vt poſteà probabimus)& res haſce elementares quæ tempori ſubiacent, medię quædam ſunt naturæ incorruptibiles, nempè cæli,& eorum motrices intelligentiæ,ſeu Angeli,quæ quidem æternitate ſunt inferiores, tempore tamen ſuperiores: Idcircò inter æternitatem, & tempus medium,quoddam durationis genus omnes fermè tùm Theologi, tùm Philoſophi admittunt, appellatque æuum:dici etiã

poſſet æuiternitas, niſi hoc nomine æuiternitatis potiùs ſignificetur æternitas participata. Quomodo igitur ab iſto durationis genere æternitas diſtinguatur non conſentiunt Theologi: arbitramur autem inter illa tria, æternitatem nempè, æuum, ac tempus, triplex diſcrimen aſſignari poſſe: Primum minùs proprium, quod æternitas principio & fine careat, æuum habeat principium, ſed non finem: denique tempus principium ac finem habeat; quod diſcrimen licèt verum ſit, eſt tamen minus proprium & per accidens, quia licèt æuiterna eſſent ab æterno, illorum tamen duratio quod eſt æuum ſemper diſtingueretur ab æternitate, & licèt non in perpetuum durarent, idem tamen æuum ſemper diſtingueretur à tempore. Secundum diſcrimen ex D. Thoma 1. part. q. 10. quòd æternitas ſit eorum quorum eſſe nec eſt mutabile, nec mutationi adiunctum; æuum verò eorum quorum eſſe non eſt mutabile, eſt tamen mutationi adiunctum; tempus denique eorum quorum eſſe eſt mutabile, & mutationi adiunctum: Primi generis eſt Deus ſolus, ſecundi generis ſubſtantię cęleſtes ac angeli, tertij generis res omnes ſublunares. Tertium diſcrimen ex Diuo Bonauent in 2. Sententiarum. diſt. 2. art. 1. quæſt. 3. quòd æternitas non habeat vllo modo prius & poſterius, æuum vero habeat quidem prius & poſterius, ſed abſque innouatione & inueteratione. Denique tẽpus habeat prius & poſterius cũ innouatione & inueteratione: quod poſtremũ diſcrimen licèt D. Th. non admodũ arrideat, nobis tamen non videtur repudiãdũ: neq; enim

Inter tria prædicta durationis genera diſcrimen triplex.

Primum diſcrimen.

Secundum diſcrimen.

Tertium diſcrimen.

arbitramur vllum durationis genus proprium rei creatæ poſſe dici totum ſimul eo modo quo æternitas ſolius Dei propria dicitur tota ſimul, proindéque nullo modo abſurdum ducimus in eo durationis genere quod æuum appellatur admittere prius & poſterius, ac proinde ſucceſſionem aliquam, & quandam ipſius eſſe creati extenſionem, vel potius protenſionem, non quidem phyſicam, qualis in motu & tempore ac in re quauis phyſicè mobili & temporaria reperitur, ſed metaphyſicam ſecundùm quam res creatæ dicuntur plus vel minus eſſe, licèt non propriè dicantur magis vel minus eſſe.

Æternitatem in eo diſtingui à cæteris durationum generibus quòd ſit tota ſimul. Probatur authoritate.

Quod igitur verum ſit illud diſcrimen inter æternitatem, & reliquas durationis creatæ ſpecies, quòd ſola æternitas propriè ſit tota ſimul, probatur primùm authoritate D. Hier. Epiſtola ad Marcellam, vbi ſcribit ſolum Deum non nouiſſe prius & poſterius. Et Anſelmi in Proſologio, qui expreſſis verbis aſſerit æternitatem Dei, quæ eſt tota ſimul, omnem excedere æternitatem creaturæ quæ non omninò eſt tota ſimul.

Ratione etiam probatur. Primò.

Ratione etiam comprobatur: primùm, quia duratio rei creatæ, v.g. ſubſtantiæ angelicæ ſecundùm ſe, & in ſe ſpectata, ſeiuncta omni conſideratione mutabilitatis adiunctæ, non poteſt eſſe æquè ſimplex ac duratio diuinæ ſubſtantię: atqui eſſet æquè ſimplex ſi quemadmodum iſta ſecundùm ſe ſpectata eſt tota ſimul, ſic illa eodem modo ſpectata eſt ſimul tota.

Secundò.

Secundò manifeſtum diſcrimen eſt inter eſſe rei quantumuis immutabilis, & moram ipſius eſſe quę in omni re creata diſtinguitur ex par-

te rei ab ipſo eſſe creato, quòd ipſum eſſe vt ſic ſit indiuiſibile: at verò mora ipſa ſit diuiſibilis; atqui non poteſt intelligi aliter diuiſibilis niſi ſecundùm prius & poſterius. Denique ſi duratio angeli, ſeu æuum eſſet tota ſimul, in iſto inſtanti temporis daretur infinitum aliquod actu præter Deum, quod eſt abſurdum. Probatur conſequutio, quia illa duratio eſt infinita à parte poſt, cùm fine careat, & tamen eſſet in hoc inſtanti actu tota. Quare concludendum eſt æternitatem ab æuo differre, quòd ſit duratio ſimul tota omnimodè: at vero æuum ſit ſecundùm prius & poſterius: differt autem æuum à tempore, tùm quod æuum non ſit coniunctum cũ innouatione & veteratione ſicuti tempus, tùm quod prius & poſterius quę reperiũtur in æuo, non ſint ſecundùm motum, ſeu mutationem phyſicam. *Tertiò.*

Quædam alia durationis ſpecies examinantur.

Porrò præter has tres præcipuas durationis ſpecies ſunt aliæ quæ ad ipſas reuocari ſolent: nempè æternitas participata, & modus æternitatis participatæ, quæ ad æternitatem; modus æui qui ad ęuum, & tempus diſcretum ſeu angelicum, itémque inſtans temporis diſcreti, ac inſtans noſtri temporis quę ad tempus reuocari poſſunt. Eſt igitur ęternitas participata cuius meminit D. Thom. hîc q. 10. art. 3. & art. 5. ad primum, duratio propria eſſe beatifici, vt viſionis & dilectionis ſeu fruitionis beatificæ, itemque luminis glorię: quare optimè S. Thom. ibidem ait Angelos quantum ad operationem menſurari tempore, quantum ad eſſe ipſorum naturale menſurari æuo; denique quantùm ad viſio-

Æterntas, participata.

nem gloriæ participare æternitatem. Modus
Modus æternitatis participata. æternitatis participatæ, eſt duratio propria donorum ſupernaturalium, quæ diuinitùs infunduntur in anima, vt fidei, ſpei, charitatis, & cæterorum. *Modus æui* Modus æui, eſt duratio propria ſubſtantiarum corruptibilium dum ſuperſtites manent in eodem ſtatu, & etiam accidentium, quãtumuis corruptibilium dum in ſuo eſſe illæſa perſeuerant abſque vlla mutatione, vt ſuprà inſinuauimus. *Tempus diſcretum.* Tempus Angelicum ſeu diſcretum eſt duratio plurium operationum angelicarum ſibi inuicem ſuccedentium, quod quidem non eſt vnum per ſe, ſed per aggregationem multorum inſtantium ex quibus componitur. Inſtans temporis diſcreti, eſt duratio propria vniuſcuiuſque operationis angelicæ immanentis, quæ duratio noſtro tempori coexiſtit, habetque prius & poſterius ſuo modo, proindéque minùs pro- *Inſtans temporis diſcreti.* priè dicitur inſtans, Inſtans verò noſtri temporis, quod propriè dicitur tale, eſt duratio propria indiuiſibilium motus, quæ appellantur mutata *Inſtans noſtri temporis.* eſſe, quod quidem inſtans nulli parti temporis poteſt vnquam coexiſtere.

Notandũ. Vbi nota omnes illas durationis ſpecies, excepto ſolo tempore noſtro, poſſe dici phyſicè permanentes: Tempus autem noſtrum phyſicè fluens, & ſucceſſiuum; & quidem ſpecies durationis permanentes pertinere ad Categoriam Quando; ſucceſſiuas verò ad Categoriam Quãtitatis, vti docuimus in 3 tr. 1. par. noſtræ Diale. diſp. 2. ſect. 2. q. 3. & ſect. 7. de Categoria Quãdo.

Digitized by Google

An Deus ſit æternus.

QVÆSTIO II.

DEVM eſſe æternum fides docet, & ſacræ litteræ teſtãtur pſal 89. *A ſæculo & vſque in ſæculum tu es Deus.* Iſaiæ 40. *Deus ſempiternus Dominus.* Ratione etiam probatur: patet enim ex ſupradictis quod ratio æternitatis conſequitur immutabilitatem, ſicut ratio temporis motum. Cùm igitur Deus ſit maximè immutabilis, vt conſtat ex præcedenti diſput. ſequitur vt illi ratio æternitatis maximè competat.

Aſſertio tenenda probatur authoritate.

Ratione.

Quod autem æternitas ſit formaliter in Deo, & non tantùm eminenter, ex eo patet, quod Deus ante omnem creationem durauit duratione reali per quam concipitur coextitiſſe toti illi tempori imaginario, quod præceſſit tempus reale. Quomodo autem poſſit æternitas tota ſimul indiuiſibilis in ſe manens omni tempori tùm imaginario, tùm reali coexiſtere, explicari ſolet ſimilitudine puncti, quod eſt centrum circuli è regione reſpondens æqualiter omnibus partibus circumferentiæ; & etiam baculi in medio fluminis erecti quod immotum manens tranſeuntes vndas fluminis metitur. Porrò cùm Deus ex tempore habuerit relationem præſentiæ ad res creatas, ita ex tempore habet relationem præſentię ad tempus, quæ nihil aliud eſt quam coexiſtentia æternitatis & tẽporis, & ſic raõe eiuſmodi coexiſtẽtiæ quę eſt relatio rationis in Deo, dicitur Deus ſucceſſiuè

Æternitas eſt in Deo formaliter

Quomodo æternitas tempori noſtro coexiſtat.

Digitized by Google

coexiſtere alteri atque alteri parti temporis; quod tamen non impedit quo minus Deus in ipſo nunc ſuę æternitatis dici poſſit commenſurari indiuiſibiliter rebus omnibus præteritis, præſentibus, & futuris. Neque Deus tantùm eſt æternus, ſed etiam ipſe ſua eſt æternitas, vt eſt definitum in Concilio Remenſi, teſte Diuo Bernardo ſerm. 80. in Cant. quod non tantùm identicè, ſed etiam quidditatiuè intelligi debet, ſicut ſuprà docuimus Deum eſſe quidditatiuè ſuam exiſtentiam: probatur, quia æternitas quidditatiuè eſt ipſa Dei exiſtentia tota ſimul & perfecta: atqui Deus eſt quidditatiuè ſuum eſſe ſiue ſua exiſtentia, vt aliàs dictum eſt; ergo Deus eſt ſua æternitas. Cæterùm licèt æternitas ſit duratio ipſius eſſe diuini, non tamen ipſius menſura propriè dici poteſt, niſi fortè ſecundū noſtrum concipiendi modum; tùm quia ipſum eſſe diuinum eſt formaliter ſua ipſius duratio; tùm quia poſſe ab aliquo menſurari nonnihil importat imperfectionis.

Deus eſt ipſa ſua æternitas.

Æternitas non eſt propriè menſura eſſe diuini.

An ſolus Deus ſit æternus.
QVÆSTIO III.

PROPOSITÆ quæſtioni duplici aſſertione ſequenti ſatisfaciemus.

Prior aſſertio. Si æternitas accipiatur pro duratione prorſus interminata, tota ſimul & perfecta ſoli Deo conuenit, quia ſupponit omnimodam immutabilitatem quæ nonniſi in Deo reperitur. Poſterior aſſertio: Si ęternitas accipiatur pro ea duratione quæ aliquam habet cum

Prior aſſertio probatur ratione.

Poſterior aſſertio.

diuin

divina æternitate ſimilitudinem & anologiam propter participationem quandam diuinæ immutabilitatis, ſic multa alia præter Deum dici poſſunt æterna ; imprimis ea quæ ſecundùm ſubſtantiam nunquam eſſe deſinunt, ſic *terra* dicitur *in æternum ſtare*. Eccleſ. 1. Secũdò ea quę licet corruptibilia propter diuturnitatem, tamen ęternitatem imitari videntur, quomodo Deuteronomij 23. *Colles* dicuntur *æterni*. Tertiò ea quorum certus finis non aſſignatur. ſic dicitur Gen. 17. *Dabo tibi terram Chanaan in poſſeſsionem æternam*; quartò ea quæ non poſſunt humana authoritate aboleri, quomodo Exodi 12. dicitur, *Celebrabitis diem hanc cultu ſempiterno*; quintò & quidem peculiari modo viſio beatifica Dei in Angelis & in animabus beatis participat æternitatem, quia ſummè vniformis & inuariabilis eſt; vnde appellatur vita æterna Ioã. 17. *Hæc eſt vita æterna vt cognoſcant te ſolum Deum verum & quem miſiſti Ieſum Chriſtum*. Si obiicias quædam verè & ſimpliciter dici ab æterno vera & neceſſaria, itemque eſſentias rerum dici æternas. Reſpõdem⁹ cũ D. Tho. hîc q. 10. ar. tertio ad tertiũ, vera & neceſſaria idcircò dici æterna; quia veritas illorũ eſt in intellectu æterno qui eſt intellectus diuinus; quod verò eſſẽtiæ rerũ verè & propriè loquendo nõ ſint æternæ ſeu ab æterno aliàs docuimus in 2. p. noſtrę metaph. diſp. 2. q. 3. *Obiectio.* *Solutio.*

DISPVTATIO OCTAVA
DE VNITATE DEI.

Conſtat ex iis quæ aliàs docuimus de Vno 3. par. met. diſput. 2. Vnum nihil aliud ſigni-

tur durationum genera, quæ ad tria commodè reuocari poſſunt, ęternitatem nempè, æuum, & tempus; quòd ſi tempus in diſcretum & continuum diuidas, exiſtent quatuor illæ ſpecies durationis quas aſſignauimus loco citato noſtræ Phyſicæ.

Tria durationum genera.

Quia tamen tempus diſcretum & continuũ ſub vno durationis genere cõtineri poſſunt, idcirco tria tantùm ſupradicta durationum genera cum Diuo Thoma prima part. quæſt. 10. hîc enumerauimus, ad quæ aliæ durationum ſpecies impropriæ vt æternitas participata, modus æternitatis, & modus æui reuocantur, vt potes videre in deſcripta tabulâ cathegoriæ Quando 1. p. Dial. t. 2. diſp. 2. ſect. 7. Secundò notandum eſt ex D. Tho. hîc q. 10. art. 1. quod ſicut neceſſe eſt in eo quod eſt in motu duo reperiri, nempe terminum & ſucceſſionem; terminum inquam tum à quo motus incipiat, tum in quem deſinat; ſucceſſionem verò ſecundùm prius & poſterius: ita neceſſe eſt in eo quod motu caret neque principium & finem reperiri, neque ſucceſſionem ſecundùm prius & poſterius: vnde æternitas, quæ eſt duratio propria entis omninò immobilis, debet eſſe prorſus interminata, id eſt, carere omni termino ſeu principio & fine, & præterea debet eſſe tota ſimul; ſicque per negationem eorum ex quibus motus cõſtat, nẽpe termini & ſucceſſionis, notificatur ſimplex æternitas, quæ proinde quatenus à tẽpore diſtinguitur optimè definiri poteſt *Duratio interminata tota ſimul.* vnde rectè etiã deſcribitur à Boëtio *interminabilis vitæ*

Notandũ ſecundo.

Æternitas quid.

Explicatur æterni tertia deſcriptio.

tota ſimul & perfecta poſſeſſio. Vbi nota ex eodem D.Tho.loco citato, quod quia illud quod poſſidetur firmiter & quietè habetur ad deſignandam æternitatis ſtabilitatem & immutabilitatem vſus eſt nomine poſſeſſionis ; & quia in tempore non tantùm conſideratur ipſum tempus quod eſt ſucceſſiuum, ſed etiam ipſum nũc temporis, quod licèt non ſit ſucceſſiuum, eſt tamen imperfectum ; idcirco non tantùm tota ſimul ad remouendum tempus, ſed etiam perfecta dicitur ad excludendum inſtans temporis: dicitur præterea poſſeſſio vitæ potiùs, quàm ipſius eſſe, quia protenſio durationis ſolet magis attendi & dignoſci ſecundùm operationem quàm ſecundùm eſſe : vnde & tempus dicitur numerus motus potiùs quàm quietis. Cæterùm an per hoc quod æternitas ſit tota ſimul diſtinguatur non tantùm à tempore, ſed etiam à quouis alio genere durationis, puta ab æuo, ſequenti difficultate explicabimus.

Poſterior difficultas, Qui differat æternitas ab æuo & tẽpore.

Quod igitur ſpectat ad poſteriorem hanc difficultatem: ſatis conſtat ex pręcedentis difficultatis explicatione æternitatem diſtingui à tempore ; quòd ipſa ſit interminata & tota ſimul, tempus autem cùm ſit numerus, ſeu menſura motus, ſit terminatum & ſucceſſiuum; vnde æternitas verè dicitur menſura eſſe permanentis; tempus verò, menſura eſſe tranſeuntis ; quo fit vt aliquid prout recedit à permanentia eſſendi, & ſubditur tranſmutationi, ſecundùm hoc recedat ab æternitate & ſubdatur tempori; hinc eſt quod non tantùm motus, ſed etiam ipſum eſſe rerum corruptibilium, quia eſt tranſmuta-

bile,non menſuretur æternitate, ſed tempore? Tempus enim menſurat non ſolùm quæ tranſmutantur in actu,ſed etiam quæcumque tranſmutari poſſunt,vt docet Sanctus Thomas hîc, quod præſertim intelligendum eſt de tempore quatenùs eſt menſura externa,quâ non tantùm motus,ſed ipſum eſſe omnium rerum ſublunarium menſuratur. An verò menſura interna ipſius eſſe rerum corruptibilium ſiue ſubſtantiæ ſint, ſiue accidentia dum actu non mutantur, ſeu ipſa earum duratio propria, ſit tempus propriè dictum,meritò dubitari poſſet: multi enim quibus aſſentimur non ſine probabilitate exiſtimant illud durationis genus non eſſe tempus propriè dictum, nec etiam propriè æuum, & multò minus æternitatem, ſed eſſe modum æui, vt indicauimus in ſupradicta tabula categoriæ Quando, licèt non diffiteamur hoc genus durationis poſſe appellari tempus, quia ſolet à tempore externo menſurari. Maneat igitur æternitatem realiter & formaliter diſtingui à tempore, & quacumque duratione rerum ſublunarium & corruptibilium.

Quodnam ſit genus durationis rerum corruptibiliũ dum actu non mutantur.

Verùm,quoniam inter Deum cuius propria eſt ęternitas(vt poſteà probabimus)& res haſce elementares quæ tempori ſubiacent, mediæ quædam ſunt naturæ incorruptibiles, nempè cæli,& eorum motrices intelligentiæ,ſeu Angeli,quæ quidem æternitate ſunt inferiores, tempore tamen ſuperiores: Idcircò inter æternitatem, & tempus medium,quoddam durationis genus omnes fermè tùm Theologi, tùm Philoſophi admittunt, appellatque æuum:dici etiã

poſſet æuiternitas, niſi hoc nomine æuiternitatis potiùs ſignificetur æternitas participata. Quomodo igitur ab iſto durationis genere æternitas diſtinguatur non conſentiunt Theologi: arbitramur autem inter illa tria, æternitatem nempè, æuum, ac tempus, triplex diſcrimen aſſignari poſſe: Primum minùs proprium, quod æternitas principio & fine careat, æuum habeat principium, ſed non finem: denique tempus principium ac finem habeat; quod diſcrimen licèt verum ſit, eſt tamen minus proprium & per accidens, quia licèt æuiterna eſſent ab æterno, illorum tamen duratio quod eſt æuum ſemper diſtingueretur ab æternitate, & licèt non in perpetuum durarent, idem tamen æuum ſemper diſtingueretur à tempore. Secundum diſcrimen ex D. Thoma 1. part. q. 10. quòd æternitas ſit eorum quorum eſſe nec eſt mutabile, nec mutationi adiunctum; æuum verò eorum quorum eſſe non eſt mutabile, eſt tamen mutationi adiunctum; tempus denique eorum quorum eſſe, eſt mutabile, & mutationi adiunctum: Primi generis eſt Deus ſolus, ſecundi generis ſubſtantię cęleſtes ac angeli, tertij generis res omnes ſublunares. Tertium diſcrimen ex Diuo Bonauent in 2. Sententiarum. diſt. 2. art. 1. quæſt. 3. quòd æternitas non habeat vllo modo prius & poſterius, æuum vero habeat quidem prius & poſterius, ſed abſque innouatione & inueteratione. Denique tēpus habeat prius & poſterius cū innouatione & inueteratione: quod poſtremū diſcrimen licèt D. Th. non admodū arrideat, nobis tamen non videtur repudiãdū: neq; enim

Inter tria prædicta durationis genera diſcrimen triplex.

Primum diſcrimen.

Secundum diſcrimen.

Tertium diſcrimen.

Digitized by Google

arbitramur vllum durationis genus proprium rei creatæ poſſe dici totum ſimul eo modo quo æternitas ſolius Dei propria dicitur tota ſimul, proindéque nullo modo abſurdum ducimus in eo durationis genere quod æuum appellatur admittere prius & poſterius, ac proinde ſucceſſionem aliquam, & quandam ipſius eſſe creati extenſionem, vel potius protenſionem, non quidem phyſicam, qualis in motu & tempore ac in re quauis phyſicè mobili & temporaria reperitur, ſed metaphyſicam ſecundùm quam res creatæ dicuntur plus vel minus eſſe, licèt non propriè dicantur magis vel minus eſſe.

Æternitatem in eo diſtingui à cæteris durationum generibus quòd ſit tota ſimul. Probatur authoritate.

Quod igitur verum ſit illud diſcrimen inter æternitatem, & reliquas durationis creatæ ſpecies, quòd ſola æternitas propriè ſit tota ſimul, probatur primùm authoritate D. Hier. Epiſtola ad Marcellam, vbi ſcribit ſolum Deum non nouiſſe prius & poſterius. Et Anſelmi in Proſologio, qui expreſſis verbis aſſerit æternitatem Dei, quæ eſt tota ſimul, omnem excedere æternitatem creaturæ quæ non omninò eſt tota ſimul. Ratione etiam comprobatur: primùm,

Ratione etiam probatur. Primò.

quia duratio rei creatæ, v.g. ſubſtantiæ angelicæ ſecundùm ſe, & in ſe ſpectata, ſeiuncta omni conſideratione mutabilitatis adiunctæ, non poteſt eſſe æquè ſimplex ac duratio diuinæ ſubſtantię: atqui eſſet æquè ſimplex ſi quemadmodum iſta ſecundùm ſe ſpectata eſt tota ſimul, ſic illa eodem modo ſpectata eſt ſimul tota.

Secundò.

Secundò manifeſtum diſcrimen eſt inter eſſe rei quantumuis immutabilis, & moram ipſius eſſe quę in omni re creata diſtinguitur ex par-

Digitized by Google

[...]e rei ab ipſo eſſe creato, quòd ipſum eſſe vt ſic [...]it indiuiſibile: at verò mora ipſa ſit diuiſibilis; atqui non poteſt intelligi aliter diuiſibilis niſi ſecundùm prius & poſterius. Denique ſi duratio angeli, ſeu æuum eſſet tota ſimul, in iſto inſtanti temporis daretur infinitum aliquod actu præter Deum, quod eſt abſurdum. Probatur conſequutio, quia illa duratio eſt infinita à parte poſt, cùm fine careat, & tamen eſſet in hoc inſtanti actu tota. Quare concludendum eſt æternitatem ab æuo differre, quòd ſit duratio ſimul tota omnimodè: at vero æuum ſit ſecundùm prius & poſterius: differt autem æuum à tempore, tùm quod æuum non ſit coniunctum cũ innouatione & veteratione ſicuti tempus, tùm quod prius & poſterius quę reperiũtur in æuo, non ſint ſecundùm motum, ſeu mutationem phyſicam. *Tertiò.*

Porrò præter has tres præcipuas durationis ſpecies ſunt aliæ quæ ad ipſas reuocari ſolent: nempè æternitas participata, & modus æternitatis participatæ, quæ ad æternitatem; modus æui qui ad ęuum, & tempus diſcretum ſeu angelicum, itémque inſtans temporis diſcreti, ac inſtans noſtri temporis quę ad tempus reuocari poſſunt. *Quædam aliæ durationis ſpecies examinantur.*

Eſt igitur ęternitas participata cuius meminit D. Thom. hîc q. 10. art. 3. & art. 5. ad primum, duratio propria eſſe beatifici, vt viſionis & dilectionis ſeu fruitionis beatificæ, itemque luminis glorię: quare optimè S. Thom. ibidem ait Angelos quantum ad operationem menſurari tempore, quantum ad eſſe ipſorum naturale menſurari æuo: denique quantùm ad viſio- *Æternitas participata.*

nem gloriæ participare æternitatem. Modus æternitatis participatæ, eſt duratio propria donorum ſupernaturalium, quæ diuinitùs infunduntur in anima, vt fidei, ſpei, charitatis, & cæterorum. Modus æui, eſt duratio propria ſubſtantiarum corruptibilium dum ſuperſtites manent in eodem ſtatu, & etiam accidentium, quãtumuis corruptibilium dum in ſuo eſſe illæſa perſeuerant abſque vlla mutatione, vt ſuprà inſinuauimus. Tempus Angelicum ſeu diſcretum eſt duratio plurium operationum angelicarum ſibi inuicem ſuccedentium, quod quidem non eſt vnum per ſe, ſed per aggregationem multorum inſtantium ex quibus componitur. Inſtans temporis diſcreti, eſt duratio propria vniuſcuiuſque operationis angelicæ immanentis, quæ duratio noſtro tempori coexiſtit, habetque prius & poſterius ſuo modo, proindéque minùs propriè dicitur inſtans, Inſtans verò noſtri temporis, quod propriè dicitur tale, eſt duratio propria indiuiſibilium motus, quæ appellantur mutata eſſe, quod quidem inſtans nulli parti temporis poteſt vnquam coexiſtere.

Modus æternitatis participatæ

Modus æui

Tempus diſcretum.

Inſtans temporis diſcreti.

Inſtans noſtri temporis.

Notandũ.

Vbi nota omnes illas durationis ſpecies, excepto ſolo tempore noſtro, poſſe dici phyſicè permanentes: Tempus autem noſtrum phyſicè fluens, & ſucceſſiuum; & quidem ſpecies durationis permanentes pertinere ad Categoriam Quando; ſucceſſiuas verò ad Categoriam Quãtitatis, vti docuimus in 3 tr. 1. par. noſtræ Diale. diſp. 2. ſect. 2. q. 3. & ſect. 7. de Categoria Quãdo.

Digitized by Google

An Deus ſit æternus.

QVÆSTIO II.

DEVM eſſe æternum fides docet, & ſacræ litteræ teſtãtur pſal 89. *A ſæculo & vſque in ſæculum tu es Deus.* Iſaiæ 40. *Deus ſempiternus Dominus.* Ratione etiam probatur: patet enim ex ſupradictis quod ratio æternitatis conſequitur immutabilitatem, ſicut ratio temporis motum. Cùm igitur Deus ſit maximè immutabilis, vt conſtat ex pręcedenti diſput. ſequitur vt illi ratio æternitatis maximè competat.

Aſſertio tenenda probatur authoritate.

Ratione.

Quod autem æternitas ſit formaliter in Deo, & non tantùm eminenter, ex eo patet, quod Deus ante omnem creationem durauit duratione reali per quam concipitur coextitiſſe toti illi tempori imaginario, quod pręceſſit tempus reale. Quomodo autem poſſit æternitas tota ſimul indiuiſibilis in ſe manens omni tempori tùm imaginario, tùm reali coexiſtere, explicari ſolet ſimilitudine puncti, quod eſt centrum circuli è regione reſpondens æqualiter omnibus partibus circumferentiæ; & etiam baculi in medio fluminis erecti quod immotum manens tranſeuntes vndas fluminis metitur. Porrò cùm Deus ex tempore habuerit relationem præſentiæ ad res creatas, ita ex tempore habet relationem præſentię ad tempus, quæ nihil aliud eſt quam coexiſtentia æternitatis & tẽporis, & ſic raõe eiuſmodi coexiſtẽtiæ quę eſt relatio rationis in Deo, dicitur Deus ſucceſſiuè

Æternitas eſt in Deo formaliter

Quomodo æternitas tempori noſtro coexiſtat.

Digitized by Google

divina æternitate ſimilitudinem & anologiam propter participationem quandam diuinæ immutabilitatis, ſic multa alia præter Deum dici poſſunt æterna ; imprimis ea quæ ſecundùm ſubſtantiam nunquam eſſe deſinunt, ſic *terra* dicitur *in æternum ſtare*. Eccleſ. 1. Secũdò ea quę licet corruptibilia propter diuturnitatem, tamen ęternitatem imitari videntur, quomodo Deuteronomij 23. *Colles* dicuntur *æterni*. Tertiò a quorum certus finis non aſſignatur. ſic dicitur Gen. 17. *Dabo tibi terram Chanaan in poſſeſsionem æternam;* quartò ea quæ non poſſunt humana authoritate aboleri, quomodo Exodi 22. dicitur, *Celebrabitis diem hanc cultu ſempiterno*; quinto & quidem peculiari modo viſio beatifica Dei in Angelis & in animabus beatis participat æternitatem, quia ſummè vniformis & inuariabilis eſt; vnde appellatur vita æterna Ioã. 17. *Hæc vita æterna vt cognoſcant te ſolum Deum verum & quem miſiſti Ieſum Chriſtum.* Si obiicias quædam verè & ſimpliciter dici ab æterno vera & neceſſaria, itemque eſſentias rerum dici æternas. Reſpõdem⁹ cũ D. Tho. hîc q. 10. ar. tertio ad tertiũ, vera & neceſſaria idcircò dici æterna; quia veritas illorũ eſt in intellectu æterno qui eſt intellectus diuinus; quod verò eſſẽtiæ rerũ verè & propriè loquendo nõ ſint æternæ ſeu ab æterno vt docuimus in 2. p. noſtrę metaph. diſp. 2. q. 3. *Obiectio.* *Solutio.*

DISPVTATIO OCTAVA DE VNITATE DEI.

CONſtat ex iis quæ aliàs docuimus de Vno 3. par. met. diſput. 2. Vnum nihil aliud ſigni-

ficare quã ens indiuiſum, proindèque nihil reale addere ſupra ens, ſed tantũ aliquid ſecũdum rationem, nempe negationem diuiſionis; idque iuxta doctrinam S. Thomæ hîc ar. 1. Itemque vnum opponi multis ſaltẽ priuatiuè, vti etiam docet Sanctus Doctor hîc a. 2. Quare de vno in genere nihil quidquam in præſentia dicere opus eſt.

An Deus ſit vnus.
QVÆSTIO I.

NOn ſolùm Gentiles, ſed etiam plerique inter Chriſtianos hæretici vt Gnoſtici, Appellitæ, Manichęi, Marcioniſtæ plures Deos cõfinxerunt. Gentiles quidem propè innumeros, iſti verò vt plurimùm duos, vnum bonum, alterum malum; vel vt alij aiebãt, vnum benignum & mitem Patrem Chriſti, alterum iuſtum & ſeuerum Creatorem mundi. Mitto hîc figmenta Valẽtini, qui vnum, profundum, alterum ſilentium vocitabat. Non defuerũt etiã qui tres perſonas ſanctiſſimę Trinitatis tres Deos eſſe ſibi perſuaderẽt, qui propterea Tritheitæ dicti ſunt. Verùm hos omnes hęreticos conuincunt apertiſſima ſacræ Scripturæ teſtimonia, quibus Deus vnus ſolus, & nullus alius præter ipſum eſſe paſſim aſſeritur, vt Deut. 6. *Audi Iſrael, Dominus Deus noſter Deus vnus eſt.* Et 32. *Videte quod ego ſim ſolus, & non ſit alius præter me.* Mitto hîc Dauidis, Salomonis & cęterorum prophetarum teſtimonia: ipſe Chriſtus id apertè docet Ioan. 17. *Vt cognoſcant te ſolum Deum verum.*

Et eius Apoſtolus 1. ad Corint. 8. *Nobis vnus eſt*

vem. & ibidē: *ſcimus quia nullus eſt Deus niſi vnus.* Nec minora ſunt rationum momenta quibus etiam aduerſus gentiles euidenter demōſtratur Deum eſſe vnum præter eas quibus probatum eſt in prima diſputatione huius tractatus, vnicū eſſe primum ens ac ſummum omnium rerum principium. Illas tantùm tres in medium pro-ferā quibus vtitur S. Th. hîc ar. 3. Prima petitur ex eius ſimplicitate. Si aliquis homo per id eſſet homo, per quod eſt, hic homo non poſſet eſſe plures homines; quia id vnde aliquid eſt hoc ſingulare, nullo modo pluribus eſt communicabile; atqui Deus per illud eſt Deus per quod eſt hic Deus, quia ipſe Deus eſt ſua natura, hoc eſt in Deo non eſt vlla cōpoſitio ſuppoſiti ſeu indiuidui ſubſtātialis & naturæ, vti ſupra probatum eſt diſp. 2. q. 2. Secūda ratio petitur ex perfectionis ipſius infinitate. Si plures eſſent Dij, deberēt aliquo inter ſe differre, quod vni cōueniret non item alteri, ſicque eſſet aliqua perfectio in vno quæ non eſſet in altero, ac proinde vnus illorum cui deeſſet illa perfectio, eſſet imperfectus aut ſaltē nō infinitè perfectus: at repugnat Deum eſſe eiuſmodi, ſuprà enim nēpe diſp. 3. huius tractatus oſtenſum eſt Deum omnem totius eſſe perfectionem in ſe continere. Tertia ratio petitur ab vnitate mundi. Quæcumque enim in hac vniuerſa mundi ſcena cernuntur, certo quodam ac optimo ordine inter ſe diſpoſita ſunt, ita vt omnia in vnum cōſpirare videantur; at quæ diuerſa ſunt nonniſi ab vno in vnum ordinantur; quia vnius nōniſi vnum per ſe cauſa eſt, & ſanè multa non ſunt cauſa vnius niſi per accidens;

Vnum eſſe Deum probatur triplici ratione.

Prima.

Secunda.

Tertia.

quo ſit vt illud non cauſent niſi quatenùs ſunt aliquomodo vnum. Cùm igitur primum rerum omnium principium omnia reducens in vnum, ſit aliquid per ſe & non per accidens vt pote perfectiſſimum, neceſſe eſt quòd ſit abſolutè & ſimpliciter vnum. Adde quod hæc rerum vniuerſitas nonniſi omnium optima ratione regitur; at optima per ſe ratio gubernandi Monarchia eſt; ex quo efficitur Deum totius mundi principem ac rectorem debere eſſe vnum. Porrò quî fieri poſſit vt in Deo tria ſint ſuppoſita diſtincta, ſeu tres perſonæ diuinæ, nec tamen ſint tres Dij, facilè poterit intelligi ex iis quæ traduntur ſequenti tractatu de Deo Trino.

An Deus ſit maximè vnus.
QVÆSTIO II.

Aſſertio tenenda ratione probatur.

ITa eſſe reſpondet Sanctus Doctor hîc, a. 4. ac probat: quoniam ad hoc vt aliquid ſit maximè vnum, oportet quod ſit maximè ens & maximè indiuiſum; atqui vtrumque Deo competit, eſt enim maximè ens, cùm ſit infinitæ perfectionis, & preterea maximè indiuiſus, cùm ſit ſummè ſimplex; quo fit vt non modò actu ſit indiuiſus, ſed etiam potentia, ita vt non poſſit vllo modo diuidi ſeu multiplicari quomodo cætera entia diuidi poſſint, quatenus aliqua ratione ſunt compoſita.

Vnitas tripliciter Deo competit.

Vbi nota triplicem vnitatem Deo inſigniter competere; nempe vnitatem tranſcendentalem quæ ipſi competit vt Ens eſt; deinde etiam formalem, quæ illi competit quatenùs eſt tale Ens,

nimirum omninò ſimplex & incompoſitus: denique numericam quatenus eſt hoc Ens & ſingulare, ſicque Deus ſecundùm rationem eſſentiæ ſuæ abſolutam eſt omnimodè ac ſummè vnus, licèt verè trinus ſit ſecundùm rationes reſpectiuas & perſonales.

Obiicies forſan, punctum & vnitatem quæ eſt principiũ numeri, videri maximè vna, cùm ſint omnimodè indiuiſibilia. Verùm reſpondetur imprimis Deum eſſe adhuc magis indiuiſum, cùm illa penes ſubiectum cuius ſunt accidentia diuidi poſſint ac multiplicari, Deus verò non item; deinde non ſatis eſſe ad hoc quod aliquid ſit maximè vnum, quod ſit maximè indiuiſum, ſed præterea debere eſſe maximè Ens; atqui ſolus Deus eſt ſimul maximè Ens, & maximè indiuiſus, non item punctus, aut vnitas, nec aliud quodlibet. *Obiectio.* *Solutio.* 1. 2.

NONA DISPVTATIO.

DE VERITATE DEI AC ipſius cognoſcibilitate.

CVm verum ſit proprietas tranſcendentalis entis, non ſecus ac vnum & bonum, deque vnitate ac bonitate ſummi Entis dixerimus; ratio doctrinæ poſtulat, vt de ipſius etiam veritate tranſcendẽtali ex inſtituto diſſeramus. Veritatem hîc appello tranſcendentalem quæ ſecundùm noſtræ mentis captum quidditatem rei, nõ verò eius operationem ſequitur, quæque entitatiua dici poteſt, non intellectiua; quamvis *Veritas tranſcendentalis.*

in Deo nulla ſit propriè diſtinctio inter veritatem tranſcendẽtalem & intellectiuam, cùm ipſius eſſe ſit intelligere. Cùm autem vnumquodque ſecundum quod tranſcendentaliter ſeu entitatiuè verum eſt, ſeu quatenus eſt ens verum, ſit etiam per ſe intelligibile ſeu cognoſcibile ab intellectu, imò ratio veritatís tranſcendentalis à quibuſdam non ſine probabilitate in cognoſcibilitate rei ponatur, fit vt cùm de veritate Dei tranſcendentali hîc diſputetur, ſimul de ipſius cognoſcibilitate ſeu modo quo à nobis cognoſci poteſt diſſeratur. Mitto hîc quæ de veritate & falſitate generatim diſputantur à D. Tho. q. 16. & 17. quæ partim ad Dialecticum, partim ad Metaphyſicum, partim etiam ad Theologũ qua parte agit de intellectu & ſcientia Dei pertinent, quæ omnia ſuis locis à nobis explicantur.

Verum & intelligibile conuertuntur.

An Deus ſit veritas.

QVÆSTIO I.

REpetenda ſunt hîc ea quæ de veritate docuimus in ſecunda parte Dial. tr. 1. diſp. 1. q. 4. & 3. par. Metaph. diſp. 3. quo loco metaphyſicæ aſſeruimus verum tranſcendentale nihil aliud eſſe quàm ens conforme intellectui diuino, quæ conformitas nihil eſt reale additum enti, cùm ens per ſuam entitatem formaliter ſpectatam habeat quod ſit conforme primo intelligenti, ſed eſt aliquid ſecundum rationem, nẽpe reſpectus rationis ad intellectũ Dei theoreticum: Reſpectus enim creaturæ ad intellectũ Dei practicũ eſt realis. ex hoc autẽ quod ens ſit quid conforme diuino intellectui, fit vt ſit quid

Quid ſit verũ tranſcendentale.

cognoſcibile ab intellectu creato; quia igitur cognoſcibilitas ſequitur proximè conformitatē entis cū intellectu diuino, fit vt multi probabiliter exiſtimarint in ipſa cognoſcibilitate poſitā eſſe rationē formalē veritatis tranſcendentalis; quod etiam vltrò fatemur ſi de ratione formali ſub qua, ſermo ſit; ſicut ſupra de ratione bonitatis diximus, quam in appetibilitate poſitam eſſe permulti arbitrantur.

Hoc poſito, aſſerimus Deum non tantùm eſſe tranſcendentaliter verū, ſed eſſe ipſam veritatē, iuxta illud Ioan. 14. *Ego ſum via, veritas & vita.* Probatur hac ratione D. Th. hic q. 16. a. 5. Veritas reperitur in re aliqua ſecundū quod habet eſſe cōforme intellectui præſertim diuino, vnde ipſemet Sanctus Doctor ibidē ad 2. loquēs de veritate tranſcendentali rerū creatarū; *Veritas* (inquit) *rerum eſt ſecūdum quod conformantur ſuo principio ſcilicet intellectui diuino*; atqui nihil tā cōforme eſſe poteſt intellectui diuino quā ipſum eſſe diuinū, cū non tantum ſit primum obiectum diuinæ intellectionis, ſed etiā ſit ipſummet intelligere. Iam verò cū ipſum intelligere diuinum ſit menſura & cauſſa omnis alterius eſſe, & omnis alterius intellectus, proindeque omnis alterius veritatis tū entitatiuæ cum intellectiuæ, & ipſe Deus ſit ſuum eſſe & ſuum intelligere; ſequitur neceſſariò quòd ipſe ſit ſūma & prima veritas.

Aſſertio tenenda.

Probatur authoritate.

Rationē.

Deus non tantùm eſt verus & veritas ſed ſumma & prima veritas.

Et quoniam res omnes dicuntur veræ quatenus illi vni primæ veritati ſecundùm ſuam entitatem aſſimilātur, & quatenus etiam vna eſt veritas diuini intellectus à qua res omnes denominantur veræ, hinc fit vt propriè dicatur eſſe

Quomodo Deus vna ſit omnium veritas.

Digitized by Google

vna ſola veritas ſecundũ quã omnia ſunt vera, vt concludit S. Thomas loco citato art. 6. Eſt autẽ Deus nõ tantũ ſumma, prima, & vna veritas, ſed etiã æterna, cũ ipſe ſit ſuũ intelligere totũ ſimul ab æterno & in æternũ, & quidem ſola veritas æterna: neque enim vlla creata veritas eſt ęterna, vt docet S. Thomas ibid. art. 7. Si enim aliqua eſſet, maxime eſſet veritas enunciabilium ſeu propoſitionum neceſſariarum: verũ cũ illa veritas nihil aliud ſit quã veritas intellectus componentis vel diuidentis, ſoluſque intellectus diuinus ſit æternus, cuius ſimplex notitia omnẽ intellectus cõponentis, diuidentis, ac ratiocinãtis rationem eminenter continet, fit vt in ipſo ſolo veritas enũciabilium æternitatẽ habeat. Neque tamẽ ſequitur quod aliud ſit æternũ pręter Deũ, quia veritas intellectus diuini eſt ipſe Deus.

An Deus ab intellectu creato per eſſentiam videri poßit.

QVÆSTIO II.

HAc & ſequenti quæſtione modum inquiremus quo Deus in futura vita ab intellectu creato cognoſcitur: deinde ſub finem huius diſputationis quomodo etiam in hac vita à nobis cognoſci poſſit, explicabimus.

Quid ſit Deum per eſſentiam videri.

Quod igitur ſpectat ad quæſtionẽ propoſitã: Deũ per eſſentiã videri, eſt ipſũ clarè ac perfectè cognoſci quoad ea quæ in ipſo sũt, ita vt ea cõditione creaturæ rationalis appetitus penitus expleatur, iuxta illud *Satiabor cũ apparuerit gloria tua.* Pſal. 16. & hęc eſt notitia Dei intuitiua, ſeu viſio Dei beatifica qua beati omnes in cælo perfruũ-

tur. An igitur talis eſſe poſſit perfecta & quidditatiua Dei notitia quæritur. Reſpōdeo de fide eſſe Deū à beatis mētibus ſecundū ſuā naturā ſeu per eſſentiā videri: id enim apertè docēt ſacræ litteræ Math. 5. *Beati mūdo corde, quoniā ipſi Deum videbūt.* 18. *Angeli eorū ſemper vidēt faciē patris mei.* 1. Cor. 13. *Tūc autē facie ad faciem, ibidem nunc cognoſco ex parte Tūc autē cognoſcā ſicut & cognitus ſum.* Ioa. 3. *videbimus eum ſicuti eſt.* Idem teſtantur Sancti Patres, inter quos S. Aug. ſupra Gen. ad litteram cap. 34. diſertis verbis aſſerit *videri à beatis in cælo ipſam Dei ſubſtantiam, Verbumque Deum per quod facta ſunt omnia.* Et ſanctus Bernardus ſerm 31. in Cant. *Nempè illa viſio ſtat* (inquit) *quia forma ſtat quæ tunc videtur; eſt enim nec vllā capit ex eo quod fuit vel erit mutationem.* Et Paulò poſt, *Cùm igitur ipſe qui ſic eſt, imo qui non ſic, aut ſic eſt, videtur ſicuti eſt, ſtat* (vt dixi) *illa viſio, quia nulla eam interpellat viciſsitudo.* *Authoritate probatur.*

Ratione verò probatur in hunc modū ſic à D. Thoma q. 12. a. 1. Cùm vltima hominis beatitudo in altiſſima eius operatione conſiſtat, quæ eſt operatio intellectus, ſi nunquam eſſentiam Dei videre poteſt intellectus, vel nunquam beatitudinem ſuam obtinebit, vel in alio quàm in Deo poſita erit ipſius fælicitas: ſed neutrum dici poteſt; non prius, alioqui inane eſſet deſiderium illud naturale quo omnes ſummum bonum ſeu fælicitatem appetunt, vt oſtendimus in prima parte Ethicæ, tr. 1. Diſp. 2; non etiam poſterius, non enim in alio ſita eſſe poteſt vltima perfectio rationalis creaturæ quàm in eo quod eſt ei principium eſſendi; intantum enim vnum- *Confirmatur ratione.*

quodque perfectum eſt inquantum ad ſuum principium quam proximè accedit: adde etiam innatum eſſe homini deſiderium cognoſcendi cauſam cùm intuetur effectū. Si igitur intellectus rationalis creaturæ, qui effectus primę cauſæ in hac vita contemplatur numquam poſſit ad primam ipſam cauſam pertingere, vt ipſam aliquando ſicuti in ſe eſt contempletur, ſuo illo nobiliſſimo deſiderio fruſtrabitur.

Obiectio prima. Verùm, contra hanc communē Theologorū aſſertionē obiici poſſunt imprimis nonnulla Scripturæ loca, itēque ſanctorum Patrum teſtimonia, quibus aſſeritur Deum à nemine viſum vmquā fuiſſe, ſed nec videri poſſe vtpote inuiſibilem, incomprehēſibilem, ſuperintelligibilē, &c. *Solutio.* quibus & ſimilibus locis reſponderi poteſt vno ex quatuor modis quibus verè dici poteſt Deum non videri. *Quatuor modis dici poteſt Deū non videri* Primum enim illud intelligi poteſt in hac vita ſecundùm legem Dei ordinariam; ſecundò viſione comprehenſiua quâ ſolus Deus ſeipſum cognoſcit: tertiò ex ſolis naturæ viribus; ad hoc enim vt Deus per eſſentiam videatur, ſupernaturali quodam lumine opus eſſe mox oſtendemus: quartò denique Deus dicitur non poſſe videri viſione corporea, vt ſub finem huius diſputationis explicabimus. *Secunda Obiectio.* Secundò obiici poteſt: Infinitum vt ſic non poteſt diſtinctè cognoſci ab intellectu creato, vt nos ipſi docuimus pr. par. phy. tr. 3. diſ. 1. q. 6. ſed tantùm confusè aut ex parte; atqui Deus ſecundùm eſſentiā ſeu quidditatiuam perfectionē eſt infinitus, ergo non poteſt per eſſentiam clarè & diſtinctè cognoſci. *Solutio.* Reſpondemus cum D.

Thoma hîc q. 12. a. 1. ad 2. infinitum quod ſe tenet ex parte materiæ ſecundũ ſe eſſe ignotum, quia omnis cognitio eſt per formã; at verò infinitum ex parte formæ non limitatæ per materiam, eſt ſecundùm ſe maximè notum, quia ſic eſt maximè actu; atqui Deus non priori, ſed poſteriori modo dicitur infinitus. Licet igitur infinitum hoc poſteriori modo non poſſit in hac vita & ſolis naturæ viribus diſtinctè cognoſci, poteſt tamen lumine ſupernaturali, & in futura vita: adde etiam nos loco cit. 1. par. Phyſ. loquutos fuiſſe de comprehẽſiua infiniti cognitione, quomodo Deum à beatis cognoſci poſſe non admittimus. Tertiò obiici poteſt. Neceſſe eſt vt ſit aliqua proportio cognoſcentis ad cognitum: ſed nulla eſſe poteſt eiuſmodi proportio intellectus creati ad Deum, cùm ab ipſo infinitè diſtet. Reſpondemus cum D. Thoma loco cit. ad 4. quòd proportio dupliciter accipitur: Primò quidem maximè propriè ac ſpecialiter pro certa quadam ratione vnius quantitatis ad alteram, ac proindè pro habitudine eorum quę ſe habent ad inuicem ſecundùm eundem modũ; ſecũdò generaliter & indiſcriminatim pro quauis habitudine vnius ad alterum, & ſic eſſe poteſt proportio creaturæ ad Deum inquantum ſe habet ad ipſum vt effectus ad cauſam & vt potentia ad obiectum, licèt ſit infinita perfectionis diſtantia inter vtrumque: non autem alia inter potentiam & obiectum proportio requiritur quàm vt potentia ſuo peculiari modo poſſit in illud ferri.

Tertia obiectio.

Solutio.

Quanam eſſe poßit proportio creaturæ ad Deum.

Digitized by Google

An Deus videatur aut ſaltem videri poſſit per ſimilitudinem eſſentiæ ipſius.

QVÆSTIO III.

Senſus quæſt. exponitur. SEnſus propoſitæ quæſtionis eſt, vtrùm Deus videatur actu à beatis, aut ſaltem ab illis videri poſſit per ſpeciem impreſſam ipſius eſſentiæ diuinę, ſicuti docuimus in 3. par. phyſ. tract. 3. diſp. 1. q. 2. & diſp. 2. ſect. 1. q. 2. ſenſationem fieri mediâ ſpecie ſẽſibili impreſſâ. & ibid. tract. 4. diſp. 2. q. 7. intellectionem naturalem fieri mediâ ſpecie intelligibili impreſſâ.

Notandũ. Notandum autem eſt duas in hac quęſtione difficultates inuolui; alteram de facto, an videlicet nunc beati videant diuinam eſſentiam per ſpeciem ipſius impreſſam; alteram verò de poſſibili, an ſaltẽ id fieri poſſit: & quoniam hîc etiã quæri poſſet vtrùm præter ſpeciem impreſſam videtur ſpecies expreſſa in intellectu beato, idcircò triplici propoſitione tres illas difficultates explicabimus.

Prima propoſitio. Sit prima propoſitio. Probabile eſt quod ſentit D. Thom. hîc art. 2. beatos actu non videre diuinam eſſentiam per ſpeciem ipſius impreſſam, ſed per ipſammet diuinam eſſentiã; quod licèt *Probatur ratione primò.* non poſſit euidenter demonſtrari, probabilius tamen coniecturis colligi poteſt; tũ quia Deus per ſe eſt valdè intimè vnitus cũ intellectu bea- *Secundò.* torũ, ita vt non videatur neceſſe quod illi vniatur per ſpeciẽ; tum quia videtur diuina eſſentia *Tertiò.* poſſe meliùs exprimere ſui imaginẽ in intellectu beato per ſeipsã quã per ſpeciẽ ſupradictam,

tum quia videtur congruentiùs illi ſtatui quod intellectus beatus immediatè à diuina eſſentia veluti informetur & transformetur quam ipſe per ſpeciem expreſſam ſibi diuinam illam eſſentiam conformet. Neque eſt quod dicas forte, vt intellectus beatus connaturaliùs operetur ſi per ſpeciem impreſſam Deum videat, quàm ſi immediate illum intueatur. Reſpōdeo ridiculū videri poſſe in re adeò ſupernaturali maiorē cōnaturalitatem quærere, imò eo minus cōformiter naturali modo intelligendi fieri debere videtur eiuſmodi viſio, quo magis eſt ſupra naturam. Obiicies adhuc neceſſariam eſſe ſpeciem etiam in intellectu beato per quam ponatur in potentia proxima ad intelligendū, ad hoc enim ſpecies neceſſarias eſſe docuimus 3. p. ph. t. 4. diſpu. 2. q. 7. non tam vt obiectum vniatur potētiæ quā vt ipſa potentia per ipſam actuetur, & ſic conſtituatur in proxima potētia ad cognoſcendum ſuum obiectum. Reſpondetur, id quidem ita eſſe ſecundū viam cognoſcendi ordinariam in hac vita, aliud verò ſentiendū eſſe de illo prorſus ſupernaturali raptu beatarum mētium in quo gloriam domini ſublata omni ſpecie ſpeculantes in eandem imaginem transformētur; ad hoc enim ſatis eſt quod Deus nō tātū vt principium & prima cauſa omnis operationis, ſed etiam vt obiectum per ſeipſum immediatè concurrat cum intellectu beatifico ad eliciendam claram ſui viſionem in ipſo, ac proinde ad exprimendam ſui imaginem quæ eſt ſpecies diuinæ eſſentiæ expreſſa in ipſomet intellectu beato.

Obiectio. *Solutio.* *Obiectio.* *Solutio.* *Species expreſſa diuinæ eſſentiæ in intellectu beato.*

Secunda propoſitio. Nihil repugnat diuinam

Secunda propoſitio.

eſſentiam per aliquam ſpeciem impreſſam clarè videri: quæ aſſertio eſt D. Bonauenturę in 3. Sent.diſt. 14. ar. 1. q.3. quãuis cõtrarium videatur ſentire D. Thom. hîc ar. 2. Si quid enim obſtaret, eſſet maximè id quod in medium adfert ipſe Doctor Angelicus, nẽpe quòd nulla forma creata, cuiuſmodi eſſet ſpecies illa impreſſa, poſſit eſſe ſimilitudo diuinæ eſſentiæ: cùm enim ſit finita, ac proinde infinitè diſtãs ab infinita perfectione diuinæ eſſentiæ, non videtur poſſe illã ad viuum exprimere. Verùm, hoc nihil obſtat: neque enim neceſſe eſt vt id quod rei obiectæ competit, ipſius quoque imagini ſeu ſimilitudini conueniat: vt quia, v.g. diuina eſſentia eſt infinita perfectione, non ſequitur quòd propria ipſius imago debeat eſſe infinitæ perfectionis: adde, ſpeciem rei obiectę impreſſam non tam eſſe ipſius imaginem, quàm rationem quandam ſeu vim repræſentãdi ipſam, ad cuius formalem rationem nullo modo neceſſaria eſt cõuenientia in quidditate, ſed tantùm ordo quidam ſeu habitudo ad ipſum obiectum, quam non impedit illa infinita diſtantia diuinę eſſentiæ à quauis forma creata: licèt enim infinite diſtaret à Deo eiuſmodi ſpecies impreſſa, nõ tamen cenſeretur alterius ordinis in ratione clare videndi Deum: eſſet enim ſupernaturalis & proportionata lumini gloriæ, imò etiam ipſi Deo, quatenus eſt obiectum intellectus beati.

Ratione probatur.

Species nõ eſt propriè imago Dei.

Tertia propoſitio.

Tertia propoſitio. Beati intuentes diuinam eſſentiam formant verbum ſeu imaginem ac ſpeciem expreſſam diuinæ eſſentiæ, quæ per illam inadæquatè exprimitur, non comprehenſiuè.

Probatur, quia cognoſcere nihil aliud eſt quàm vitaliter exprimere imaginẽ rei cognoſcendæ, vti docuimus in 3. par. phyſ. tra. 4. diſ. 2. q. 8. & 9. Quòd autem expreſſa illa imago non repræſentet adæquate diuinam eſſentiam, oſtenditur: quia ſi ita eſſet, repræſentaret infinitè, ſicque per eum comprehendi poſſet diuina eſſentia, quod fieri non poſſe poſteà probabitur.

An intellectus creatus ad videndum Dei eſſentiam, aliquo ſupernaturali lumine indigeat.

QVÆSTIO IV.

NON ſolùm hæc propoſita queſtio, verum etiam nonnullæ aliæ difficultates quæ ad ipſam pertinent ſequentibus propoſitionibus ſigillatim explicabuntur.

Prima propoſitio: Non poteſt intellectus creatus per ſua naturalia diuinam eſſentiam videre. quæ propoſitio eſt D. Thomæ hîc ar. 4. Probatur imprimis auctoritate ſacræ Scripturæ Exodi 33. *Oſtende mihi faciem tuam, vt videam te*: quaſi dicat Moïſes hoc ſe ſuis viribus non poſſe aſſequi, ſed totum id ex diuino munere pendere. 1. Cor. 2. & Iſa. 64. *Oculus non vidit, Deus abſque te, quæ præparaſti diligentibus te.* Et in hoc etiam cõſentiunt ſancti Patres. Præterea probatur hac ratione. Cognitio contingit ſecũdùm quod cognitũ eſt in cognoſcẽte; cognitũ autẽ eſt in cognoſcẽte ſecundũ modum cognoſcẽtis, quo fit vt id quod excedit modũ cognoſcẽtis, nõ poſſit naturaliter ab ipſo cognoſci: Atqui Deus quatenus eſt ſecundũ eſſentiã clare cognoſcibilis, excedit modũ cognoſcẽdi intellectus tũ Angelici

Prima propoſitio.

Authoritate probatur.

Ratione confirmatur.

cùm humani: quod probatur, quia cùm tria ſint genera rerũ quæ cognoſci poſſunt: primũ, eorum quorũ eſſe eſt in materia indiuiduali, nẽpe corporalia: ſecundum, eorum quorum eſſe non eſt in materia indiuiduali, & tamen non ſunt ſuum eſſe, nempè ſubſtantiæ ſeparatæ ſeu Angeli; tertium id cuius eſſe non eſt in materia, & ipſum eſt ſuum eſſe ſubſiſtens; humano quidem intellectui cõnaturale eſt diſtinctè cognoſcere ſecundùm eſſentiam quæ ſunt primi generis in vniuerſum, ſeu quatenus abſtrahuntur à materia indiuiduali; Angelico verò intellectui connaturale eſt etiam clarè cognoſcere ſecundùm eſſentiam quæ ſunt ſecundi generis; Itaquè ſoli intellectui diuino connaturale erit clarè cognoſcere per eſſẽtiam ſuum eſſe ſubſiſtens: ex quo concludere eſt Deum non poſſe naturaliter videri per eſſentiam ab vllo intellectu creato.

Secunda propoſitio probari poteſt ex prædictis. Secunda propoſitio. Poteſt intellectus creatus ſupernaturaliter eleuari ad clarè videndum Deum: Probari poteſt iis rationibus quibus ſupra q. 2. huius diſp. probauimus eſſentiam diuinam clarè videri poſſe ab intellectu creato, adde quod nulla in eo inuoluitur repugnantia.

Obiectio. Si obiicias repugnare ſenſum corporeũ eleuari ad intelligendam ſubſtantiam incorpoream, proindeque multò magis repugnare intellectũ creatũ eleuari ad contemplandam ſubſtãtiam increatã.

Solutio. Reſpondemus cum D. Thoma hîc ar. 4. ad 3. Senſum corporeum puta viſum, quia omnino materialis eſt, non poſſe eleuari ad aliquid immateriale percipiendũ: repugnat enim

actum

actum intelligendi vitaliter elici à facultate nõ intellectiua:at verò quia intellectus ſiue noſter ſiue angelicus iam eſt aliquantum eleuatus à materia per naturam,non repugnat adhuc altius ab ipſa eleuari per gratiam,præſertim cùm actus ille vitalis licet ſupernaturalis, ſit ſemper actus intelligendi , iſque finitus.

Tertia propoſitio. Tertia propoſitio. Intellectus creatus ad videndum Dei eſſentiam, indiget aliquo ſupernaturali ſubſidio, quod eſt lumen gloriæ. Probatur imprimis auctoritate ſacræ Scripturæ Pſal.35.*In lumine tuo videbimus lumen*; & Apoc. 21. *Claritas Dei illuminabit eam*, ſupple Sanctam beatorum ſocietatem. Deinde id videtur ſatis apertè definitum aduerſus Begardos & Beguinos, Clementina ad noſtrũ.de hereticis;accedit etiam communis conſenſus ſanctorum Patrũ. *Probatur authoritate.*

Ratione confirmatur. Præterea probatur hac D. Thomæ ratione hìc art.5.Omne quod eleuatur ad aliquid quod excedit ſuam naturam,neceſſe eſt vt diſponatur aliqua diſpoſitione quę ſit ſupra naturam;at cùm intellectus videt diuinam eſſentiam per ipſammet, ita vt ipſa diuina eſſentia fiat intelligibilis forma ipſius,eleuatur maximè ſupra ſuam naturam, vt oſtenſum eſt prima concluſione pręcedenti ; quare indiget aliqua ſupernaturali diſpoſitione per quam ex diuina gratia, ſuperaccreſcat ei virtus intelligendi: hæc autem nihil aliud eſſe poteſt , quàm illuminatio quædam ipſius intellectus, quod vulgò dicitur lumen glorię, ſecundùm quod beati efficiuntur Deiformes,id eſt,Deo ſimiles,iuxta illud primę Io. 3.*Cùm apparuerit ſimiles ei erimus.* Ad confirma-

Digitized by Google

Confirmatur maior propoſitio præcedentis ration-

tionem maioris propoſitionis lege D. Thomam in 2. ſecundæ, quęſt. 25. art. 2. vbi optimè docet quod Deus ſecundùm legem ordinariam non ſolet concurrere cum potentiis ad actus excedentes earum facultatem naturalem, niſi eas perficiendo & roborando per aliquas formas habituales quibus reddantur proportionatæ & idoneæ ad promptè & facilè eliciendos eiuſmodi actus. Ex quo intelligis ſubſidium iſtud ſupernaturale quo indiget intellectus beati non eſſe tantùm concurſum aliquem Dei actualem extraordinarium, ſed eſſe aliquid habituale, ſeu lumen infuſum in intellectu beati.

Obiectio.

Verùm obiicies viſionem Dei fieri debere immediatè, vt ſuprà docuimus: at ſi fieret per lumen gloriæ, fieret per aliquid medium.

Solutio.

Reſpondeo cum D. Thoma hîc art. 5. ad ſecundum, iſtud non eſſe medium in quo Deus videatur, ſed ſub quo videtur, quod non tollit immediationem viſionis propriè dictam.

Dubitatio.

Si quæras cur potiùs requiratur in intellectu beato lumen iſtud glorię, quā ſpecies intelligibilis eſſentiæ diuinæ.

Reſponſio.

Reſpondetur ſpeciem illam impreſſam, ſi daretur, ſe tenere ex parte obiecti nempè Dei, lumen verò gloriæ ex parte intellectus beati; atqui Deus poteſt ſe ſolo præſtare, quod præſtaret per ſpeciem ſui impreſſam; at verò intellectus non poteſt ſe ſolo præſtare quod præſtat per lumen gloriæ, ſiue actuale, ſiue habituale.

Quarta propoſitio.

Quarta propoſitio. Poteſt fieri virtute diuina, vt aliquis videat diuinā eſſentiā abſq; iſto habituali lumine gloriæ, Deo nempè ſupplente cōcurſum ipſius luminis gloriæ; nullam enim id

Digitized by Google

inuoluit contradictionem; ſicut ad eliciendum actum contritionis ſatis eſſe poteſt auxilium ſupernaturale cum libero arbitrio abſque concurſu habitualis gratiæ.

Quinta propoſitio.

Quinta propoſitio. Lumen iſtud gloriæ non eſt tantùm habitualis diſpoſitio confortans intellectum, ac ipſum diſponens ad recipiendam in ſe viſionem beatificam, ſed præterea eſt virtus actiua efficienter concurrens cum intellectu beato ad eliciendam prædictam viſionem. Si enim lumen requiritur ad recipiendam paſſiuè viſionem, multò magis requiritur ad eandem actiuè eliciendam: neque hîc audiendus eſt Ochamus, qui putat intellectum nullo modo ſe habere actiuè ad viſionem beatificam, ſed illam à ſolo Deo produci in intellectu; neque enim intelligi poteſt quomodo vitalis actio, cuiuſmodi eſt beatifica viſio, poſſit elici in intellectu beati abſque vllo actiuo concurſu ipſius facultatis vitalis. *Ochami opinio refellitur.*

An inter Beatos, vnus perfectiùs quàm alius diuinam eſſentiam intueatur.

QVÆSTIO V.

SIT prima propoſitio. De fide eſt ſanctos omnes non eſſe pares in beatitudine. Probatur imprimis authoritate ſacræ Scripturæ Ioan. 14. *In domo Patris mei manſiones multæ ſunt.* Et primæ ad Corinth. 3. *Vnuſquiſque propriam mercedem accipiet ſecundùm ſuum laborem:* & ibidem cap. 15. *Sicut ſtella differt à ſtella* *Prima propoſitio. Authoritate probatur. Primò.*

Digitized by Google

in claritate,ſic & reſurrectio mortuorum.&ſecundæ ad Corinth. 9.*qui parcè ſeminat,parce & metet.*

Secundò. Secundò probatur ex definitione Eccleſiæ ita enim definitum fuiſſe Romæ teſtatur Hiero.in Apolo.ad Palma. Et certe ita ſancitum eſt in Concilio Florent. in litteris vnionis. Tertio *Tertiò.* ex communi conſenſu Patrum qui id colligunt ex loco citato cap.14.D.Ioan.Lege Diu.Hiero. lib.2.contra Iouini. Aug. lib. 2. de ſancta virginitate.Gregor. lib.4. Moral.cap. 42.Bern.Epiſt. ad Guillelmum Abbatem. Præterea probatur *Confirmatur ratione* ratione: Quia præmium datur ſecundùm meritum,iuxta illud Apoſtoli,*qui parcè ſeminat &c.* atqui non eſt æquale in omnibus fidelibus meritum, cùm non ſit æqualis in omnibus gratia & charitas:vt probabitur in 3. par. huius Sũmæ tract.de gratia.& tract. de charit. ergo non eſt futurum in omnibus fidelibus æquale beatitudinis præmium.

Secunda propoſitio. Secunda propoſitio. Inæqualitas iſta beatitudinis non tantùm eſt attendenda ſecundùm accidentalem beatitudinem , vt oſtendemus ſub finem noſtræ Summæ Theologicæ , ſed etiam ſecundùm eſſentialem beatitudinem , non quidem obiectiuam, ſed formalem , id eſt ſecundùm viſionem ipſam beatificam quæ eſt inęqualis in beatis. Probari poteſt inprimis iſta *Authoritate probatur.* concluſio in quibus videntur , tùm ſacræ litteræ,cùm ſancti Patres loqui de eſſentiali beatitudine:probatur præterea ratione, quia præmium *Ratione confirmatur.* proportionatum charitati eſt ipſa eſſentialis beatitudo,non accidentalis , ergo maiori charitati perfectior , ſeu clarior Dei viſio debet cor-

Digitized by Google

reſpondere ; qua autem ratione id fiat optimè explicat S.Thom. hîc art. 6. ad 3. nempe quod diuerſitas illa videndi Deum magis aut minus clarè non ſit ex parte obiecti, quia idem obiectum omnibus præſentatur, ſcilicet Dei eſſentia ; nec ex parte ſimilitudinis, ſeu ſpeciei impreſſæ quæ ſit perfectior in vno quàm altero, cùm illa viſio beatifica non fiat per vllam ſimilitudinem, vt ſupra oſtenſum eſt, ſed ex parte intellectus beatifici ſpectati ſecundum lumen gloriæ, quod inæqualiter ab ipſo participatur; ſecundum hoc enim intellectus vnius habebit maiorem virtutem, ſeu facultatem ad videndũ Deum, quàm alterius ; nempe intellectus plus participans de lumine glorię perfectiùs Deum videbit, ac ſic beatior erit; ille autem beatus plus participabit de lumine gloriæ, in illa vita qui plus habuerit de charitate in iſta.

Obiicies primo ex Math. 20. quod laborantibus in vinea merces æqualis reddita eſt, nimirum ſingulis vnus denarius, proindéque fidelibus æquale præmium reddendum eſſe. Reſpõdetur per illum denarium ſignificari idem fore omnibus obiectum beatitudinis, non tamen inde ſequi æqualem fore beatitudinem formalẽ abſolutè, licèt aliqua ratione dici poſſit eadẽ, eſt enim in omnibus clara Dei viſio, non tamẽ in omnibus æqualiter clara. Adde etiam fortaſſe ſupponi in prædicta parabola maiorem charitatem in iis qui tardè vocati ſunt ad laborem, quàm in iis qui primo manè conducti ſunt. Secundò obiicies, quod omnes beati vident Deũ ſicuti eſt, ex primæ Ioan. 3. atqui Deus eſt vno *Obiectio prima.* *Solutio.* *Obiectio ſecunda.*

modo, ergo vno modo videbitur ab omnibus. Reſpondetur fallacem eſſe iſtam argumentationem, quia aliter accipitur terminus in concluſione quàm in antecedente, nam iſtud (vno modo) in antecedente ſe tenet ex parte Dei, & in concluſione ex parte viſionis; quare conceſſis pręmiſſis poterit negari cõſequens. Licet igitur Deus ſe habeat vno, & eodem modo, non tamẽ ſequitur, quod beati omnes illum videant eodẽ modo abſolutè loquẽdo, quia poteſt eſſe diuerſus modus ex parte vidẽtis, licèt ſit idem ex parte rei viſæ.

Dubitatio

Si quæras an intellectus natura ſua perfectior cum æquali lumine glorię perfectius Deum intueatur?

Reſponſio.

Reſpondeo ex mente D. Th. non ita eſſe: ſed proportionem beatitudinis eſſe tantùm ſecundùm proportionem luminis gloriæ, quod probabilius etiam arbitramur, alioqui ſequeretur beatitudinem non reſpondere meritis, ſi is qui habet æqualia merita, atq; adeò recipiet æquale lumen, videbit perfectius Deũ propter maiorem perfectionem naturalẽ ſui intellectus. Licet igitur viſio beatifica quoad ſuũ eſſe abſolutè pendeat ab intellectu ſimul, & gloriæ lumine tamquam à totali cauſa, nihilominus tamen quoad maiorem aut minorem perfectionẽ ſui eſſe, pẽdet à ſolo lumine gloriæ.

An Deus poſſit ab intellectu creato cõprehẽdi.

QVÆSTIO VI.

Aliquid comprehẽdi dicitur tribus modis.

Pr. mò.

Aliqvid comprehendi tribus modis dici poteſt. Primò quidem: quicquid tenetur quod antea quærebatur, aut ſperabatur, quomodo beati omnes Deum comprehendunt, &

Digitized by Google

iuxta hunc modum accipienda ſunt quæ dicit Apoſtolus ad Philip. 3. *Sequor autem ſi quomodo comprehendam.* Et ſecundę ad Cor. 9. *Sic currite vt comprehendatis*; ſicque comprehenſio reſpondet ſpei, ſicut viſio fidei, & fruitio charitati: Secundo modo aliquid comprehendi dicitur quod totū cognoſcitur inquantùm cognoſcibile eſt à cognoſcente; quomodò certum eſt Deum à beatis comprehendi, quia ab illis clarè cognoſcitur ſecundū eſſentiā, ſeu quidditatē, vt ſuprà oſtensū eſt. Tertio modo dici poteſt aliquid cōprehēdi, quod totū cognoſcitur, non tātū prout cognoſcibile eſt à cognoſcente, ſeu ſecundū captū cognoſcentis, ſed etiā quantū ſecundū ſe abſolutè cognoſcibile eſt. Et hoc ſenſu quæritur vtrùm Deus poſſit ab intellectu beato cōprehendi, ita vt cognoſcatur omnibus modis, quib. cognoſci poteſt, nō tātū quoad ea quæ in ipſo sūt intrinſecè & formaliter, ſed etiā quoad ea quæ in ipſo ſunt eminēter, & ſecūdū omnē eius habitudinē ad quoſcūque effectus poſſibiles; talis enim cognitio maximè propriè dicitur cōprehēſio, quia per eā res cognita ſecūdū omnem ſuā latitudinē à cognoſcēte cōtinetur, & quaſi circūſcribitur.

Aſſertio tenenda authoritate probatur Primo.

Cui quæſtioni reſpōdetur de fide eſſe Deū hoc ſenſu nō poſſe ab intellectu creato cōprehēdi, iuxta illud Hierem. 32. *Fortiſſime, magne, potens, Dominus exercituum nomen tibi, Magnus conſilio, & incomprehēſibilis cogitatu*; & illud Iob. 11. *Forſan eius veſtigia cōprehendes, & omnipotentē vſq. ad perfectū reperies.* & ad Ro. 11. *o altitudo diuitiarū* &c.

Secundò.

Probatur 2° ex defin. Eccleſiæ. c. firmiter. de Sūma Trin. ex Cōc. Lat. ſub Innoc. 3. cōtra Actiū, & Eu-

nomium qui contrarium impudenter aſſerebant. Tertio probatur ex conſenſu Sanctorum Patrum, Dionyſij cap. 7. de myſt. The. Clem. Alexand. l. 4. ſtromatum, Baſilij lib. primo cōtra Eunomium & Epiſt. ad eumdem quæ eſt 168. Aug. Epiſt. 102. & aliorum. Denique probatur ratione hac D. Th. hîc ar. 2. Illud comprehenditur, ſeu omninò perfectè cognoſcitur, quod tātùm cognoſcitur quantùm ſecundùm ſe cognoſcibile eſt; atqui Deus non poteſt cognoſci ab vllo intellectu creato, quantùm ſecundùm ſe cognoſcibilis eſt; cùm enim ſit Ens actu infinitum in omni genere, ſequitur quod ſecundū omnem modum ſit infinitè cognoſcibilis; At verò non poteſt intellectus creatus infinitè cognoſcere diuinam eſſentiam, cùm illam non cognoſcat niſi per lumen gloriꝫ finitum; vtpotè creatum, & receptum in intellectu creato, & finito: Ergo Deus non poteſt comprehendi ab intellectu creato. Nititur autem hæc ratio in hoc maximè quod infinitum omnimode, ſeu in omni genere, cuiuſmodi eſt Deus non poſſit perfectè cognoſci, ſeu comprehendi per aliquid finitum. Verùm obiicies. Illud comprehenditur ab intellectu creato, quod ita totum videtur, vt nihil eius lateat videntem, ex Aug. lib. De videndo Deo cap. 9. atqui cùm Deus per eſſentiam ab intellectu beato videatur, ex ſupradictis, totus ita videtur, vt nil eius lateat videntē. Ergo Deus comprehēditur ab intellectu beato. Reſpōdeo ad maiorem propoſitionem, licèt eo ſenſu quo ſumitur ab Aug. ſit vera, ſi tamen nudè accipiatur vt ſonat, abſolutè negari poſſet, &

Tertio. *Confirmatur ratione.* *Obiectio.* *Solutio.*

Digitized by Google

ſic eam negat D. Thom. vt enim aliquid tertio
modo comprehendatur,non eſt ſatis quod to-
tum videatur, & nihil eius lateat videntem: ſed
pręterea neceſſe eſt vt illud totum,& quidquid
in ipſo eſt perfectè videatur ac penetretur,
quod non poteſt fieri niſi modo cognoſcendi *Totū videri poteſt nō totaliter.*
infinito,ſeu vt aliqui loquuntur non eſt ſatis vt
totum videatur, ſed pręterea neceſſe eſt vt vi-
deatur totaliter:fatemur autem beatos videre
totum Deum, ſed non totaliter. Inſtabis for-
ſan:Illud videtur totaliter quod videtur ſecun-
dùm id omne quod in ipſo eſt, & ſecundùm
omnem modum cognoſcendi poſſibilē intel-
lectui:atqui Deus videtur ſecundùm id omne
quod in ipſo eſt,cùm videatur ſicuti eſt,& præ-
terea ſecundùm omnem modum poſſibilem
ab intellectu creato, cùm intellectus beatus
tota ſua virtute in illud obiectum beatificum
feratur Reſpondeo, ad maiorem illam negari
poſſe,ſi per id quod in ipſo Deo eſt intelligatur *Solutio.*
id tantùm quod,propriè & formaliter in ipſo
eſt,non verò etiam id quod eminenter in ipſo
ineſſe dicitur, & etiam ſi per modum cognoſ-
cendi poſſibilem, intelligatur tantùm modus
cognoſcendi poſſibilis intellectui creato, non
verò abſolutè poſſibilis tam increato, quam
creato:quòd ſi maior illa propoſitio vero ſenſu
accipiatur, tūc minor propoſitio neganda erit;
neque enim Deus videtur ab intellectu creato
ſecundùm omnia quæ in ipſo continentur, vt
conſtabit ex ſequenti quæſt. neque ſecundùm
modum cognoſcendi abſolutè poſſibilem;
ſed tantum ſecundùm modum cognoſcendi

poſſibilem intellectui creato.

An videntes Deum per eſſentiam omnia in ipſo videant.
QVÆSTIO VII.

Senſus q. exponitur.

NON hîc inſtituitur quæſtio de his quæ in Deo formaliter continentur, quęque ſunt ipſe Deus, cuiuſmodi ſunt perfectiones quæ dicuntur ſimpliciter ſimplices; conſtat enim inter Theologos eas omnes à beatis videri, cum nil aliud ſit Deum videre per eſſentiam, quàm omnia quæ ſunt de ipſius eſſentia ſeu quidditate, cuiuſmodi ſunt omnia illa formalia attributa Dei cognoſcere. Vbi nota, quod licèt perfectiones illę quæ dicuntur eſſe formaliter in Deo, certo numero comprehendantur, ſingulæ tamen ſunt infinitæ, ſicque licèt omnes à beatis clarè videantur, nulla tamen à quoquam cōprehenditur. Itaque præſens quæſtio inſtituitur de iis quæ ſunt abſolutè extra Deum, quæque non ſunt Deus, cùm tamen in ipſo dicantur eſſe eminenter quoad perfectionem quam in ſe habent. Et quia plures hîc occurrunt difficultates, idcirco ſigillatim explicandę ſunt.

Nota Perfectiones ſimpliciter ſimplices omnes clarè videntur non cōprehendantur

Prima difficultas.

Prima eſt: Vtrùm beati per viſionem beatificam, nonnulla extra Deum videant. Quidam arbitrati ſunt beatos per viſionem beatificam nihil videre præter Deum, ſed per alias quaſdam notitias prædictæ viſioni beatificæ annexas; Aſſerimus tamen ex communi conſenſu nobiliorum Theologorum, beatos per viſionem ipſam beatificam nonnulla

Aſſertio tenenda

extra Deum videre, neque ad id opus eſſe vlla alia reuelatione ſeu manifeſtatione. Probatur primò authoritate Diui Auguſt. qui lib. 11. de ciuit. Dei cap. 7. & lib. 4. ſupra Gen. ad litteram cap. 23. & ſequentibus, diſtinguit duplicem cognitionem in Angelis beatis, vnam matutinam, ſeu beatificam in verbo, quæ fit per eſſentiam diuinam ſicut per formam intelligibilem, alteram veſpertinam, ſeu naturalem rerum in ſeipſis quæ fit per proprias ipſarum ſimilitudines: ergo res non tantùm in ſeipſis videntur, ſed etiam in verbo, ſeu in Deo per viſionem beatificam. Secundò probatur ratione; Eſſentia enim diuina quæ eſt velut intelligibilis forma beatorum, eſt etiam ſufficienter repræſentatiua creaturarum ob ipſius infinitatem: ergo nihil impedit quo minus per illam, eadem ipſa viſione beati videre poſſint res creatas: quod nonnulli conantur illuſtrare ſimilitudine ſpeculi, quod quidem dum videtur, ſimul in eo videntur omnia quæ ipſi obiecta ſunt. Verùm hæc ſimilitudo quoad rem, non quoad modum cognoſcendi accipienda eſt: neque enim exiſtimandum eſt, eo modo res creatas per eſſentiam diuinam repræſentari, quomodo per ſpeculum res obiectæ repræſentantur.

Authoritate probatur.

Ratione cõfirmatur.

Beati in Deo non plane, vt in ſpeculo res creatas vident.

Secunda difficultas eſt: vtrùm ea quæ in Deo viſione beatifica cognoſcuntur à beatis, per aliquas ipſorum proprias ſimilitudines ſeu ſpecies videantur. Reſpondeo cum D. Th. q. 12. art. 9. non ita eſſe, ſed videri res creatas in ver-

Secunda difficultas.

Reſolutio difficultatis.

Digitized by Google

bo per ipſam eſſentiam diuinam vnitam intellectui beato. Probatur hac ratione D. Thom. Cùm duobus modis aliquid cognoſci poſſit, nempe in alio vel in ſeipſo, id diſcriminis eſt quod id quod cognoſcitur in alio, non videtur per propriam ſimilitudinem, ſed per ſimilitudinem alterius; at verò quod cognoſcitur in ſeipſo, per propriam ſui ſimilitudinem cognoſcitur: atqui res quæ videntur in Deo, non cognoſcuntur in ſeipſis, ſed in alio; ergo non cognoſcuntur per proprias ſimilitudines, ſed per ſimilitudinem exiſtentem in alio, nempe per eſſentiam diuinam vt eminenter rebus ſimilem. Confirmatur: quia ſicut eſſentia diuina poteſt ſupplere vices ſpeciei intelligibilis reſpectu ſui, ita etiam reſpectu creaturarum. Nota autem cùm hîc dicimus cum D. Thoma creaturas viſione beatifica non cognoſci in ſeipſis, ſeu in propriis naturis, hoc nō eſt accipiendum quaſi creaturæ hoc modo ſecundùm proprium eſſe non cognoſcantur, ſed quòd per eam viſionē non poſſint cognoſci abſque aliquo reſpectu & habitudine ad diuinam eſſentiā, ſiue ad verbum per quod vel in quo videntur. Ex hac autē aſſertione nōnulla colligi poſſunt. Primò; Deus & creaturæ terminant viſionem beatificam per modum vnius totalis obiecti, ita ut Deus ſit primarium obiectum viſionis beatificæ, creaturæ verò ſecundariū, & ſubalternum. Secundò, vnam eandemque eſſe realiter viſionem Dei & creaturarum in verbo, itaut per ipſam eliciatur vnica ſpecies expreſſa Dei clarè viſi, & rerum creatarum. Tertiò; omnia quæ videntur in Deo

[P]robatur [r]atione.

Confirmatur.

Nota.

Corollaria quædam. Primum.

Secundū.

Digitized by Google

ſimul à beatis videri, & non ſucceſſiuè vnum poſt aliud, quod aſſerit D. Thom. q. 12. art. 10; quia nempè ea quæ per eandem ſpeciem intelligi poſſunt, ſimul intelliguntur. idcirco in hac vitâ non poſſumus multa ſimul perfectè intelligere, quia non niſi per multas, ac diuerſas ſpecies intelligimus: atqui ſuprà oſtenſum eſt ea quę videntur in Deo non videri ſingula per ſuas ſimilitudines, ſed omnia pèr vnam eandemque Dei eſſentiam.

Tertia difficultas.

Tertia difficultas; An omnia quæ ſunt in Deo eminenter videantur à beatis; etſi non omnia, quęnam illa ſint quæ videntur, & quænam non videantur. Cui difficultati non niſi pluribus aſſertionibus ſatisfieri poteſt. Quarum prima ſit; intellectus creatus non videt, neque de potentia & lege Dei ordinaria videre poteſt omnia quę ſunt eminenter in Deo: quæ aſſertio eſt Diu. Thom. hîc quæſt. 12. art. 8. adeò certa inter Theologos, vt contrarium aſſerere temerarium ſit. Probatur primò authoritate ſacræ ſcripturæ, quæ paſſim ſatis apertè ſignificat nonnulla beatos Angelos latere, vt cùm illos dubitantes, ac interrogantes introducit Pſal. 23. *Quis eſt iſte Rex gloriæ?* & Iſayæ 63. *Quis eſt iſte qui venit de Edom?* &c. ex iis enim locis hoc ipſum confirmat D. Dionyſ. cap. 7. de Cœleſt. Hierar: ſicut id ipſum probat D. Chryſ. ex Pauli teſtimonio ad Epheſ. 3. *vt innoteſcat principibus &c.* Apertior eſt pro eadem aſſertione locus Matth. 24. *De die illa nemo ſcit, neque Angeli Dei*. Probatur ſecundò ratione hac D. Tho. Ille ſolus intellectus poteſt in cauſa cognoſcere omnes cauſæ

Prima aſſertio.

Authoritate probatur.

Cōfirmatur ratione

effectus, & omnes rationes effectuum, qui cauſam totaliter comprehendit; atqui nullus intellectus totaliter Deum comprehendere poteſt, vt oſtenſum eſt quæſt. præcedenti: nullus igitur intellectus creatus videndo Deum poteſt cognoſcere omnia quæ Deus facit, vel facere poteſt; hoc enim eſſet comprehendere eius virtutem.

Obiectio prima. Verùm aduerſus hanc noſtram aſſertionem imprimis grauis hæc obiectio fieri poteſt. Omnia æqualiter in eſſentia diuina ſicut in forma intelligibili repręſentantur ſimul cũ ipſa eſſentia diuina, quę non tantum excedunt potentiã intellectiuam, quantum ipſa Dei eſſentia: Ergo omnia cognoſcuntur à beatis per eſſentiam diuinam non ſecùs ac ipſa eſſentia: Adde quòd non videtur vlla ratio cùm omnia æqualiter in Deo repræſententur, cur intellectus beatus vnum potius cognoſcat quàm aliud. Reſpondeo, eſſentiam quidem

Solutio. diuinam quantum in ſe eſt, repræſentare ea omnia quæ continet eminenter velut in actu primo, cũ ex ſe ſemper ſit apta concurrere cum intellectu ad cognitionẽ cuiuſcũque rei, quam continet eminenter, non tamen repręſentare in actu veluti ſecundo quamcumque rem intellectui beato, niſi ſecundùm beneplacitum Dei, idque iuxta menſuram gratiæ, meritorum, & conditionis cuiuſque beati: quò fit vt intellectus beatus poſſit vnum potiùs quàm aliud cognoſcere, quia nempe Deus liberè concurrit cum ipſo intellectu per ſuam ipſius eſſentiã ad eliciendam cognitionem vnius potiùs quàm al-

Digitized by Google

terius rei. Et licèt maius ſit videre Deum quàm omnia alia, tamen maius eſt videre ſic Deum, quòd omnia in eo cognoſcantur, quàm videre ſic ipſum, vt non omnia, ſed pauciora, vel plura in ipſo cognoſcantur: ex illo enim modo cognoſcendi Deum, non verò ex iſtis ſequitur cõprehēſio diuinę eſſentię, quā impoſſibilem eſſe intellectui creato ſuprà oſtendimus: nam ſicut ex maiori cognitione creaturarum in Deo ſeu verbo, maior Dei cognitio rectè colligitur, ſic ex cognitione omniū creaturarū quoad omnes modos, habitudines, & rationes earum poſſibiles in Deo rectè infertur infinita eius cognitio, quę eſt ipſius comprehenſio. Secundò obiicies: Rationalis creatura omnia ſcire deſiderat; ſi igitur videndo Deum non omnia prorſus in ipſo cognoſceret, non expleretur eius deſiderium, ac ſic non eſſet beata. Reſpondeo. Naturale deſiderium rationalis creaturæ ſi ſecundùm rectam rationem & non ſecundùm inordinatam ſenſuum curioſitatē ſpectetur, ſe extēdere tantùm ad ea quæ pertinent ad propriam ſui perfectionem, v. g. noſſe ſpecies, & genera rerū omnium, & rationes earum quę omnia in Deo videbit quilibet beatus: cognoſcere autē alia ſingularia, vt cogitata, dicta & facta eorum, non eſt de perfectione intellectus creati. Adde quòd ſi ſolus Deus, & nulla alia creatura diſtinctè videretur à beato, quod fieri poteſt, abundè ſatis expleretur omne deſideriū ipſius: vnde illud D. Aug. l. 5. Cõfeſſ. c. 4. *Infelix homo qui ſcit omnia illa* (ſcilicèt creaturas) *te autē neſcit; beatus autē qui te ſcit, & ſi illa neſciat: qui autē te & illa nouit, nō*

Secunda obiectio.

Solutio.

propter illa beatior eſt, ſed propter te ſolum beatus. Inſtabis, ſaltem animam Chriſti omnia videre in verbo, non tantùm quę ſunt actu, ſed etiam poſſibilia. Reſpondeo cum D. Thom. 3. part. q. 10. a. 2. animam Chriſti non ſimpliciter omnia noſſe in verbo; cognoſcit quidem in verbo omnia quę reducta ſunt, aut aliquando reducenda ſunt ad actum, & adhuc eorum quæ numquam reducenda ſunt ad actum: cognoſcit ea omnia quæ ſunt in potentia creaturæ, nam illa omnia quodammodò ſpectant ad ipſius ſtatum inquãtum ei ſubiecta ſunt omnia; at verò non cognoſcit in verbo ea omnia quæ ſunt in ſola Dei potentia, hoc enim eſſet comprehendere omnia quæ Deus poteſt facere, ac proindè diuinam ipſius virtutem, ac eſſentiam comprehendere.

Inſtantia

Reſponſio

Secunda aſſertio: Omnes beati vident in eſſentia diuina omnes naturas genericas & ſpecificas rerum naturalium, & omnes complexiones neceſſarias earum, ordinemque vniuerſi, idque multò perfectiùs quàm ſi illas cognoſcerent per proprias ipſarum ſpecies. Ratio eſt, quia (ex D. Tho. hìc art. 8. & lib. 3. contra gent. cap. 59.) intellectui creato innatum eſt ad hęc omnia cognoſcenda naturale deſiderium, quod expleri debet in viſione beatifica.

Secunda aſſertio.

Ratio.

Tertia aſſertio. Vident omnes beati omnia quæ hîc credimus, ex D. Thom. 2. quęſt. 1. art. 5. Ratio eſt, quia obſcuræ cognitioni rerum quâ in hac vita credimus, debet ſuccedere clara viſio in futura, iuxta illud Apoſtoli 1. ad Cor. 13. *Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate, tum autem*

Tertia aſſertio.

Ratio.

facie

Digitized by Google

facie ad faciem.

Quarta aſſertio : Beati cognoſcunt etiam contingētia, quæ ad ipſorum ſtatum pertinent, ſaltem cùm actu fiunt, vt docet D. Tho. 3. p. q. 10. ar. 2. & omnes Theologi in ea conſentiunt: & ratio eſt, quia ad hæc habent rationale deſiderium quod expleri neceſſe eſt vt ſint beati: nec tantùm arbitramur beatos ea cognoſcere dum actu exiſtunt, ſed etiam probabilius arbitramur, ea omnia videre dum futura ſunt; quia beati omnia ſimul vident in verbo quæ videri poſſūt. Ex hoc ſequitur beatos videre in verbo eas etiam cordium cogitationes, quæ ad ipſos pertinent, id eſt orationes non tantùm vocales, ſed etiam mentales quæ ad ipſos funduntur: ita D. Th. in 4. ſent. diſtin. 45. q. 3. ar. 1. & 2. 2. q. 83. ar 4. ad 2. & 3. p. q. 10. ar. 4. ad 2.

Quarta aſſertio.

Corollariū.

Quinta aſſertio : Beati cognoſcunt ex aliis rebus, ſeu factis, ſeu poſſibilibus prçter prædictas eo plures vel pauciores quo maiori vel minori lumine gloriæ præditi ſunt: cuius probatio pēdet maximè ex iis quę diximus quæſt. 5. huius diſput. ex quo ſequitur per potentiam Dei abſolutam adeò exiguum lumen gloriæ beato conferri poſſe, vt per ipſum nihil niſi diuinam eſſentiam videret, & nihil eorum quę in ipſa eminenter continentur.

Quinta aſſertio.

Probatio ex prædictis pendet.

Corollariū

Quomodo Deus cognoſci poſſit in hac vita.

QVÆSTIO VIII.

Circa hoc tria ſpeciatim quæruntur a D. Th. hîc q. 12. tribus poſtremis art. nēpè 11. 12. 13. primum eſt vtrùm aliquis in hac vita

Tria hic quæruntur.

Digitized by Google

poſſit videre Deum per eſſentiam; ſecundum, vtrùm per rationem naturalem Deum in hac vita poſſimus cognoſcere; tertium, vtrùm per gratiam habeatur altior cognitio Dei, quàm ea quæ habetur per rationem naturalem. Quibus dubiis tribus ſequentibus propoſitionibus breuiter ſatisfaciemus.

Prima propoſitio. Prima propoſitio. Deus non poteſt ab homine puro videri per eſſentiam in hac vita ſaltem ſecundùm legem, ſeu potentiam ipſius Dei ordinariam, & hoc quidem fide tenendum eſt. Probatur primò ex ſacra Scriptura Exod 33. *Non videbit me homo, & viuet.* & Ioann. 1. *Deum nemo vidit vnquam.* Secundò ex communi conſenſu Patrum, vt D. Chryſ. hom. 14. in Ioannẽ Ambroſii lib. primo in Lucam. Aug. epiſt. 112 & aliorũ. Ratione etiam hac D. Th. hîc ar. 11. Modus inquit cognitionis ſequitur modum naturę cognoſcentis: ſed anima noſtra quandiu in hac vita viuimus habet eſſe in materia, quare naturaliter non cognoſcit niſi ea quæ habent eſſe in materia vel quæ ex iſtis cognoſci poſſũt. Manifeſtum eſt autem ex prædictis Deum neque habere eſſe in materia, neque quidditatiuè videri poſſe per naturas rerum materialium, ſed per ſuam ipſius eſſentiam: quare impoſſibile eſt animæ hominis ſecundùm hanc vitam viuẽtis, eſſentiam Dei videre. Verùm aduerſus hanc aſſertionem obiicies conſtare ex ſacris litteris nõnullos Deum vidiſſe per eſſentiam. Primùm enim conſtat de Patriarcha Iacob Gen. 32. *Vidi*, inquit, *Deum facie ad faciẽ*, ſed videre facie ad faciẽ eſt videre per eſſentiã, iuxta illud 1. ad Corint. 13 *Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate, tunc autem*

Probatur authoritate.

Confirmatur ratione

Obiectio.

ie ad faciem. Secundò conſtat de Moïſe cùm de ſo loquens Dominus Numer.12. dicat, *Ore ad loquor ei*: ſed qui ore ad os loquitur, palã & on per ænigmata & figuras videtur loqui. Ter- idẽ de Paulo Apoſt. colligitur ex ipſi⁹ raptu tertiũ cælũ, vbi ait ſe vidiſſe *arcana quæ non licet mini loqui* 2.ad Cor.12. Verũ reſpondeo primò hil repugnare Deũ ſecundũ potẽtiã abſolutã pernaturaliter, & præter cõmunẽ ordinẽ quo- ndã ſanctiſſimorũ virorũ in carne, ſed nõ ſe- ndũ carnẽ viuentiũ mẽtes vſq; ad viſionẽ ſuæ ſẽtiæ eleuari. Secũdo reſpõd. licet id potuerit ri, nobis tamẽ probabilius & ſacris ſcripturis ſonãtius videri ſupradictos sãctos nequaquã eũ per eſſentiã in hac vita vidiſſe, ideoq; loca crę ſcripturę in cõtrariũ allata, intelligẽda eſſe õ de ipſa Dei eſſẽtia, ſed de aliqua ipſius imagi- e, aut ſimilitudine creata, per quã diuinæ maie- atis præſẽtia, quaſi loquẽtis miraculoſè reprę- tabatur, quod ad quandã prophetiæ eminẽtiã rtinet, vt docet D. Thom. 2.2.q.174. Quod autẽ cræ ſcripturæ ſæpenumero Deo tribuãt ea quæ illi ſecundũ ſe, ſed ſecũdũ aliquã ſui figuram mpetunt, docet D. Aug. lib.2.ad Simpliciũ q.3. ecũda propoſitio. Licet in hac vita non poſſit beri clara Dei viſio ſecũdũ legẽ ordinariã Dei, teſt tamẽ haberi duplex alia ipſius cognitio: era naturalis per rationẽ naturalẽ, altera ſu- rnaturalis per donũ aliquod ſupernaturale, vt lei, prophetiæ, ſeu ſpecialis reuelationis, & de a poſteriori cognitione Dei, rerumque diui- rum alius erit fortaſſis dicendi locus: de illa rò priori conſtat non poſſe haberi à priori,

Solutio 1.

Altera ſo- lutio.

Secunda propoſitio.

Digitized by Google

cùm nihil poſſit eſſe prius Deo, ſed tantùm à poſteriori, nempè ab effectibus ipſius ſenſibilibus, quæ quia perfectione longè diſtant a cauſa, idcircò ex ipſorum cognitione non poteſt perfectè cognoſci quid ipſe ſit, & multò minus ipſius eſſentia videri; quatenus tamen ſunt effectus à cauſa neceſſariò dependentes, poſſumus ex iis cognoſcere Deum eſſe, eumque eſſe primam rerum omnium cauſam, & alia quæ hinc conſequuntur; vt quòd ipſe non ſit aliquid eorum quæ ab ipſo producuntur, & quod iſta ab ipſo differunt; non quòd ipſi deſit vlla entis perfectio, ſed quòd ſit ens longè perfectione ſupra illud ens. Ex quo intelligis nos poſſe in hac vita lumine naturali intelligere, non tantum quod Deus ſit, ſed etiam quid ipſe ſit ſaltẽ imperfectè; vt quòd ſit ſupremum ens, prima omnium cauſa, quod ſit actus purus, quod ſit perfectus, infinitus, &c. ſicque nos poſſe in hac vita formare conceptus de Deo peculiares ſeu ipſi ſoli proprios, non tamen propriè quidditatiuos; cùm enim conceptus quos poſſumus de Deo formare in hac vita, aut ſint purè negatiui, aut purè reſpectiui, aut purè poſitiui & abſoluti, nulli autem ex iis poſſunt eſſe propriè & perfectè quidditatiui; ſequitur nullum conceptũ de Deo formari poſſe in hac vita propriè quidditatiuum, vt aliàs oſtendimus in 4. par. Metap. diſp. 3. quæſt. 1. vbi etiam inſinuauimus ex Beato Dionyſio triplicem viam cognoſcendi Deum in hac vita lumine naturali: primam cauſalitatis, cùm ab effectibus ad primam illam cauſam regredimur; ſecundam eminentiæ, cùm quidquid perfectionis animaduertimus in rebus creatis,

Poteſt hic intelligi non tantũ quod Deus ſit, ſed etiã quid ſit ſaltem imperfectè.

Conceptus peculiares & quidditatiui de Deo.

Triplex via cognoſcendi Deũ in hac vita.

Digitized by Google

lud Deo per excellentiam attribuimus. Tertiã emotionis, cùm quidquid imperfectionis eſt n rebus creatis à Deo remouemus. Confirnari autem poteſt hæc noſtra aſſertio iis ſacræ cripturę locis, quibus Deum cognoſci poſſe ex pſius effectibus à rationali creatura ſignificaur, vt ex illo Rom. 1. *Inuiſibilia Dei &c.*

Tertia propoſitio. Cognitio Dei quæ habetur per gratiã in hac vita præſtantior eſt ea, quæ habetur per rationẽ naturalẽ. Probatur hac ratione D. Thomę hîc ar. 13. Cognitio naturalis duo maximè requirit, nẽpè lumẽ naturale, & phãtaſmata, quæ ipſi deſeruiũt; atqui humana cognitio quantùm ad vtrumque, iuuatur per gratiæ reuelationem. Nã vt lumẽ naturale intellectus confortatur per infuſionem luminis gratuiti; ita etiam interdum phantaſmata diuinitus imprimuntur in imaginatione quæ clariùs exprimunt res diuinas, quàm ea quę ex ſenſibus concipimus, vt patet in viſionibus prophetarum; & interdum etiam diuina virtute formantur exteriùs quædam ſiue res ſiue voces ad aliquid diuinũ melius exprimẽdum; ſicut in baptiſmo Chriſti Spiritus Sanctus in ſpecie columbæ apparuit, & vox Patris audita eſt, *Hic eſt filius meus dilectus.* Porrò nota aduerſus Caietanum cognitionem Dei ſupernaturalem perfectiorem eſſe cognitione Dei naturali, non tantum ratione obiecti, (quia ſcilicet plura & occultiora de Deo rebuſque diuinis patefacit) verumetiã ratione modi, tum quia eſt altioris ordinis, tum quia eſt certiſſima; quamquam ratione ineuidentiæ ſit ſecundùm quid imperfectior.

Tertia propoſitio.

Ratione probatur.

Nota.

Digitized by Google

DECIMA DISPVTATIO DE NOMINIBVS DIVINIS.

Nomina non rerum modo ſed etiam conceptuum ſigna ſunt.

CVM nomina quædam vere Deo tribuantur, vt patebit ex ſequentibus, nemini mirum videri debet ſi inter diuina attributa, de quibus in præſenti tractatu diſſerimus, hîc à nobis connumerentur. Et quoniam nomina non tantum rerum, ſed etiam conceptuum, quos de ipſis rebus formamus, ſigna ſunt, rectus doctrinæ ordo poſtulat, vt cùm pręcedenti diſputatione de conceptu quem de Deo formare poteſt intellectus creatus dixerimus, in præſenti de ipſius nominibus diſſeramus.

An quædam nomina verè Deo conueniant.

QVÆSTIO I.

Aſſertio probatur, authoritate.

NOMINA quædã Deo per ſe cõpetere, apertè ſatis docent ſacrę litterę Exodi 3. *Ego ſum qui ſum, hoc nomen meum in ſempiternum.* & ibidem 6. cap. *Nomen meum Adonai non manifeſtaui eis.* idemque docent communi conſenſu patres.

Ratione.

Ratione vero probatur a D. Tho. hîc q. 13. art 10 in hunc modum. Secundum quod aliquid a nobis intellectu cognoſci poteſt, ſic etiam a nobis poteſt nominari, ſunt enim voces, ſigna, conceptus ſicut conceptus rerum: atqui ſupra oſtenſum eſt Deũ hîc a nobis cognoſci poſſe ex creaturis ſecundum habitudinem principii & per modum excellẽtiæ & remotionis: ſic igitur poteſt a nobis nominari.

Notandũ.

Vbi nota: cùm nomina non tantum cõceptuum noſtrorum; ſed etiam

Digitized by Google

rerum cognitarum ex hominum inſtituto ſigna ſint, ideoque poſſint imponi ad rem aliter ſeu perfectius ſignificandam quàm à nobis concipiatur, hinc fit vt quædam nomina Deo impoſita ſint ad ſignificandum præciſe rationem formalem naturæ diuinæ ſecundum ſe, licet illam non poſſimus cognoſcere in hac vita. Nota præterea quod licet nomina rerum creatarum propria ipſas quidditatiuè ſignificent non quidem diſtincte, ſed confuſe: poſſumus tamen quarumdam quidditates & eſſentias pluribus verbis in definitione diſtinctè explicare: at verò nullo modo poſſumus in hac vita quidditatem Dei ſiue vno ſiue pluribus verbis diſtincte exprimere, tùm quia illam minimè perſpectam habemus, tum quia non ſuppetunt vocabula ad illam diſtinctè exprimendam ſatis idonea: nilque aliud ſignificare videntur tum ſacræ ſcripturę tum ſancti patres cùm Deum nominari non poſſe docent, eumque innominabilem, ac ineffabilem prædicant. Obiicies aduerſus hanc noſtram aſſertionem: nomina omnia eſſe concreta vel abſtracta: nulla autẽ Deo per ſe competere, non quidem concreta quę ſignificant aliquid in cõcreto, cum Deus ſit ſimplex; neque etiam abſtracta quę rem ſignificãt per modum non ſubſiſtentis, cum Deus per ſe ſubſiſtat. Reſpondeo nomina illa tribui Deo non ſecundum omnem modũ ſignificãdi quem habent ex prima ſui impoſitione: ſed abſtracta nomina tribui Deo ad ſignificandam tantùm ipſius ſimplicitatem, non verò negationem ſubſiſtentię: concreta vero ad ſignificandum

Notandum adhuc.

Obiectio.

Solutio.

Quomodo nomina tam abſtracta cum concreta Deo conueniant.

neceſſe eſt concipere ſubſtantiam increatam, aut infinitam, &c.

Alij maioris explicationis gratia tres diuiſiones diuinorum nominum aſſignant: prima eſt in communia, & propria; illa dicuntur quæ ſaltem ſecundùm analogiam quamdam Deo & creaturis cõueniunt, vt ſubſtãtia, ſapientia, &c. hæc verò quæ nonniſi ſoli Deo verè competunt, præſertim quæ per modum ſubſtantiuorum de ipſo prædicantur, vt eſt Nomen, Deus, Iehoua, Eloim, Qui eſt, &c. Secũda diuiſio eſt in affirmatiua, vt ſunt Bonus, Sapiens, &c. & negatiua, vt ſunt, incorporeus, infinitus, &c. Tertia diuiſio eſt affirmatiuorum in abſoluta, vt ſunt hæc, Deus bonus, ſapiens; & relatiua, ſiue ſignificent reſpectum realem inter perſonas diuinas, vt ſunt Pater, Filius, &c. ſiue reſpectum rationis ad creaturas, vt ſunt Dominus, Creator, &c.

Tres diuiſiones diuinorum nominum. Prima diuiſio.

Secunda diuiſio.

Tertia diuiſio.

Quomodo prædicta nomina Deo conueniant.
QVÆSTIO III.

QVoniam prædicta Dei nomina diuerſæ ſunt rationis, idcircò pluribus aſſertionibus propoſitæ difficultati ſatisfaciemus.

Sit igitur prima aſſertio. Nomina Dei tam propria, quàm communia, ex creaturis colliguntur; ex D. Tho. hìc q. 13. art. 2. Propria quidem quatenus ex cognitione creaturarum prout pendent à Deo, formamus quoſdam conceptus de Deo, quibus ipſum animo exprimimus, vt

Prima aſſertio.

Probatur inductione

Digitized by Google

eſt quid longè pręſtantius creaturis, quos conceptus iſtis nominibus propriis ſignificamus; communia verò quatenùs ratione colligimus eas perfectiones quas in rebus creatis animaduertimus, debere eſſe in ſuprema ipſarum cauſa, nempè Deo.

Secunda aſſertio. Secunda aſſertio. Nomina Dei propria ſecundùm rem ſignificatam ſunt ſingularia, ac proinde incommunicabilia; in quo differunt à nominibus propriis rerum creatarum, quæ licèt ſint quibuſdam naturis propria, ſunt tamen ſecundùm rem pluribus communicabilia, quia naturæ per illa ſignificatæ ſunt pluribus ſecundùm rem communicabiles; nihilominus tamen hæc eadem propria Dei nomina, ſecundùm rationem ſeu ſecundùm conceptus noſtros inadæquatos, quos de ipſa re ſignificata formamus, ſunt communicabilia; ſic enim docet D. Th. quæſt. citata, ar. 9. hoc nomen Deus licèt ſecundùm rem ſit incommunicabile, ſecundùm rationem tamen ſeu potiùs ſecundùm opinionem eorum falſam, qui plures eſſe Deos exiſtimant, eſſe communicabile. Quòd ſi ſit aliquod nomen quod ſignificet naturam diuinam vt ſingularem, tale nomen & ſecundùm rem & ſecundùm rationem erit incommunicabile, niſi forte per metaphoram de aliquo alio dicatur, ſicut aliquem hominem fortem appellamus Achillem; probabile autem eſt eiuſmodi eſſe nomen Tetragrammaton Iehouah.

Tertia aſſertio. Tertia aſſertio. Nomina affirmatiua abſoluta ſiue ſint propria Dei, ſiue communia de ipſo di-

cuntur ſubſtantialiter, id eſt, non propriè ſignificant remotionem alicuius à Deo aut habitudinem principij & cauſę. Probatur hac ratione D. Th. quæſtione citata, art. 2. Nomina (inquit) ſic Deum ſignificant ſecundùm quod intellectus noſter cognoſcit ipſum; atqui intellectus noſter poteſt cognoſcere Deum ex creaturis ſecundùm quod ipſum repræſentant; ipſum verò repræſentant quatenùs in ipſomet præexiſtunt ſubſtantialiter omnes creaturarum perfectiones, quæ ſunt ſimpliciſſima ipſius ſubſtantia: ergo nomina quæ ex illa cognitione creaturarum imponuntur Deo, de ipſo dicuntur ſubſtantialiter.

Verùm obiicies forſan, Si, cum dicimus Deus eſt bonus, ſignificamus in Dei ſubſtantia eminentiùs præexiſtere id quod in creaturis appellatur bonitas, ſequitur eodem modo de ipſo prædicari poſſe, corpus, plantam, albedinem, & ſimilia, quia præexiſtunt in ipſo eminenter, quod tamen eſt abſurdum. Reſpondeo diſcrimen eſſe inter nomina ſignificantia perfectiones Dei ſimpliciter ſimplices, & perfectiones ſecundùm quid; quod per illa non tantùm prædictus conceptus ſignificatur, ſecundùm quem perfectio creaturæ concipitur eſſe modo quodam eminentiori in Deo; ſed etiam alius quidam conceptus communis Deo & creaturis formaliter ſignificatur, ſecundùm quem poſſunt illa nomina æquè tribui Deo, & creaturis; At verò per hæc poſterioris generis nomina, nullus *Obiectio.* *Solutio.*

conceptus ſignificatur, qui ſit communis Deo & creaturis.

Quarta aſſertio. Quarta aſſertio: Nomina communia Deo & creaturis non prædicantur de illis vniuocè, nec purè æquiuocè, ſed analogicè; nempe ſecundùm analogiam proportionis vnius ad aliud. Quæ aſſertio eſt D. Thomæ hîc q. 13. ar. 5. cuius tres ſunt partes, vt liquet. *Prima pars aſſertionis probatur.* Prima pars probatur; quia tùm nomen aliquod vniuocè pluribus conuenit cùm vnus & idem conceptus formaliter per illud ſignificatus eſt adæquatus iis de quibus dicitur, & definit ipſa quatenus per tale nomen ſignificantur: atqui nullus conceptus formaliter ſignificatus per aliquod nomen poteſt eſſe Deo adæquatus & creaturis; (conceptus enim per quoduis nomen formaliter ſignificatus dicit in creaturis perfectionem eſſentialiter diſtinctam à qualibet perfectione alia, & in Deo dicit perfectionem vnitam cum qualibet alia, vel potius in ſe vnitè & eſſentialiter habentem omnes perfectiones) ſicque patet omninò inadæquatum eſſe conceptum cuiuſlibet nominis communis Deo & creaturis, ac proinde nomen iſtud nequaquam illis vniuocè conuenire. *Secunda pars aſſertionis probatur.* Secunda pars probatur: quia ſi iſtiuſmodi nomina non niſi purè æquiuocè Deo & creaturis competerent, ſequeretur nihil poſſe verè demonſtrari ſub eodem nomine, & conceptu communi Deo & creaturis; quod experientiæ repugnat, conſtat enim pleraque de Deo hoc modo demonſtrari: vt cùm v. g. ſic argumentamur: Omne bonum eſt appetibile, ſed Deus eſt bonus, ergo eſt appetibi-

lis; quod argumentum non concluderet demonſtratiuè, ſi bonum purè æquiuocè de bono creato & increato diceretur; ſic enim poſſet latere fallacia æquiuocationis, ſicut in iſto argumento, Omnis homo eſt rationis capax: Sed hic eſt homo (ſupple pictus:) ergo hic eſt rationis capax. Tertia pars probatur: illud enim nomen analogicè de pluribus dicitur quod illis non ſecundùm eandem omnino rationem, neque ſecundum omnino diuerſam conuenit, ſed ſecundum rationem partim eandem partim diuerſam: atqui eo modo ſe habent nomina communia Deo & creaturis, vt patet ex probatione præcedentium partium huius aſſertionis. Nota verò ex D. Th. loco citato quod (cum nomina de pluribus ſecundùm analogiam dici poſſint duobus modis, vel quia multam habent proportionem ad vnum, vt ſanum dicitur de medicina & vrina, inquantum vtrumque habent ordinem & proportionem ad ſanitatem animalis, vel ex eo quod vnum habet proportionem ad alterum; ſicut ſanum dicitur de medicina & animali, inquantum medicina eſt cauſa ſanitatis quæ eſt in animali) nomina ſupradicta dicuntur ſecundùm analogiam vnius ad alterum, non verò multorum ad vnum, dicũtur enim de creaturis quatenus creaturæ quemdam habent ordinẽ, ſeu analogiã ad Deum, tanquam ad principiũ, & cauſam omnis ſuæ perfectionis.

Tertia pars aſſertionis probatur.

Nota.

Quinta aſſertio D. Tho. hîc ar. 6. Nomina abſoluta communia Deo & creaturis quæ de Deo impropriè & metaphoricè dicuntur, per priùs de creaturis dicuntur, quàm de

Quinta aſſertio.

Digitized by Google

Deo ; quæ verò de Deo propriè & non metaphoricè dicuntur, quoad rem ſignificatam, prius ſeu principalius dicuntur de Deo quàm de creaturis : quoad modum verò ſignificandi & primam ipſorum impoſitionem prius dicuntur de creaturis, poſterius verò de Deo.

Prima pars aſſertionis probatur.

Prima pars aſſertionis probatur ; quia eiuſmodi nomina Deo metaphoricè attributa nihil aliud ſignificant in Deo quàm aliquas ſimilitudines ipſius cum creaturis, ſicque dum Deus concipitur ſub illis nominibus non niſi in ordine ad aliqua creata, quæ ſunt præcipua ſignificata illorum nominum, concipitur.

Secunda pars aſſertionis probatur.

Secunda pars quoque probatur ; quia cùm nomina illa non tantùm cauſaliter dicantur de Deo, ſed etiam eſſentialiter ; hinc fit vt Deus non tantùm denominetur, verbi gratia bonus à bonitate creaturæ cuius eſt cauſa, ſed etiam idque præcipuè à bonitate quę in ipſo eſt formaliter, & quæ ipſe eſt ; idēque de nominibus omnium aliarum perfectionum quæ ſunt in Deo formaliter cenſendum eſt.

Tertia pars aſſert. probatur.

Tertia denique pars aſſertionis probatur ; quia nomina priùs imponuntur creaturis, quia illas prius cognoſcimus, vnde & modum ſignificandi habent qui per ſe competit creaturis ; ſic enim nomina abſtracta ſignificant aliquid per modum exiſtentis in alio ; concreta verò per modum totius compoſiti ; qui modi non Deo, ſed creaturis primò per ſe competunt ; vt inſinuauimus ad finem huius diſputationis quæſtionis primæ, & docet D. Thomas art. 3. q. 13.

Digitized by Google

Sexta aſſertio. Hoc nomen (Deus) conuenit ſoli vero Deo ſecundùm naturam, viris ſanctis per participationem, denique falſis Diis ſecundùm opinionem. Et quidem ſi ſumatur vniuerſim ad illa tria prædicta, non eſt nomen vniuocum, nec purè æquiuocum, ſed analogum, licèt quamproximè accedat ad æquiuocum: ita D. Th. q. 13. art. 10. quia eius nominis ſic ſumpti ratio ſignificata, non eſt quidem eadem, nec tamen omninò diuerſa; habet enim hoc nomen ſic ſumptum vniuerſim, rationes diuerſas reſpicientes ad vnam quandam rationem primariam, nempè veri Dei, ideoque nomen iſtud in illa primaria ſua ſignificatione ſumptum, ponitur in definitione ſui ipſius minus propriè ſumpti. Sicut enim ſanum quod dicitur de animali, ponitur in definitione ſani minus propriè ſumpti, quod dicitur de vrina & medicina; ſic Deus prout ſumitur pro vero Deo, ponitur in definitione Dei minus propriè ſumpti, ſiue dicatur ſecundum participationem, qui intantùm dicitur Deus, inquantùm habet ſimilitudinem cum Deo vero, ſiue dicatur ſecundùm opinionem, qui idcircò appellatur Deus, quia homines decepti opinantur eſſe verum Deum. *Sexta aſſertio. Nomen iſtud Deus 3. conuenit.*

Septima aſſertio. Omnia nomina quæ Deo conueniunt, non ſunt inter ſe ſynonima: Probatur, quia licèt omnia eiuſmodi nomina ſignificent in Deo eandem rem ſimpliciſſimam vnitè habentem multiplices creaturarum perfectiones, non tamen ſignificant illam ſub vna & eadem ratione,

ſeu cōceptu formali, ſed ſub diuerſis; ſicut enim perfectiones creaturarum ex quibus cognoſcimus & nominamus perfectionē diuinam, ſunt diſtinctæ, ita plures ſunt conceptus noſtri, quos de illa vna & eadem perfectione formamus: ad hoc autem vt aliqua nomina ſint verè ſynonima, non eſt ſatis quòd eandem rem ſignificent, ſed præterea debent eam ſignificare ſub eadem ratione, & conceptu formali.

Octaua aſſertio probatur.

Octaua aſſertio: poſſūt prædicta attributa verè & legitimè affirmari de Deo. Probatur, quia in omni affirmatione reperitur quędā diuerſitas ſimul & vnitas: diuerſitas quidem in diſtinctione ſubiecti & attributi; vnitas verò in compoſitione vnius cum altero. Cùm igitur intellectus intelligat Deum ſub diuerſis conceptibus, huic diuerſitati, quæ eſt ſecundùm rationem, reſpondet in propoſitione diuerſitas ſubiecti & attributi, cum quidem intellectus agnoſcat omnibus ſuis conceptibus quos format de Deo, reſpondere vnam, & eandem rem ſimpliciſſimam; huic vnitati quæ eſt ſecundùm rem, reſpondet in propoſitione compoſitio attributi cum ſubiecto: hanc autem ſummam, quæ in Deo eſt, attributi cum ſubiecto, identitatem tunc maximè exprimimus cùm ipſa attributa in abſtracto de Deo prædicamus, vt cùm dicimus, Deus eſt bonitas, &c.

An

Digitized by Google

An nomina quæ important relationem Dei ad creaturas de ipſo dicantur ex tempore.

QVÆSTIO I.

Notandũ primo. Relatio tri pliciter ſe habere poteſt ab ex-terna.

VT propoſita queſtio clariùs explicetur, imprimis notandum eſt ex D. Th. hîc q.13. art.7. cum omnis relatio ſit inter duo extrema, ipſam tripliciter ſe habere ad illa: primò enim poteſt eſſe rationis ex parte vtriuſque extremi, vt relatio quæ eſt inter extrema quæ non niſi ratione diſtinguuntur, cuiuſmodi eſt, relatio eiuſdem ad ſeipſum; item relatio inter ens & non ens, & relatio quæ nonniſi ex mentis operatione conſequitur. Secundò, relatio è contra poteſt eſſe realis ex parte vtriuſque extremi, cùm videlicet eſt habitudo inter duo ſecũdùm aliquid realiter conueniens vtrique, vt eſt relatio æqualitatis inter duo quanta. Tertiò, relatio poteſt eſſe realis ex parte vnius extremi, & rationis ex parte alterius; quod cõtingit maximè quando extrema non ſunt eiuſdẽ ordinis, cuiuſmodi eſt relatio inter ſcientiã & ſcibile, ſenſum & ſenſibile; quoniam enim tum ſcientia tum ſenſus per ſe referuntur ad res ſcibiles & ſenſibiles, idcirco habent ad illas reſpectum realem, at verò quia res illæ per ſe & in ſuo eſſe naturali ſpectatę ſunt extra ordinem eſſe intelligibilis, idcirco in eis non eſt aliqua relatio realis ad ſcientiam & ſenſum, ſed ſecundùm

rationem tantùm, quatenus intellectus res illas apprehendit, vt terminos relationum ſcientiæ & ſenſus; vnde Philoſophus 5. Metaphyſicorum capite 15. text. 20. docet iſta dici relatiuè, non quod referantur ad alia, ſed quod alia referantur ad ipſa. Secundò notandum eſt, quamuis relatio creaturarum ad Creatorem Deum ſit realis, quia per ſe ad ipſum ordinatur, non tamen è contra relationem Dei ad illas eſſe realem, cùm ipſe ſit extra ordinem creaturæ, nec per ſe ad creaturas ordinetur; ſed rationis tantùm quatenus intellectus Deum apprehendit vt terminum relationis realis creaturarum ad ipſum: quò fit vt in ipſo concipiat oppoſitam relationem ipſius ad creaturam. Notandum tertiò, nomina quæ ad ſignificandas illas relationes Deo tribuuntur, eſſe duplicis generis; quædam enim principaliter ſignificant relationem ipſam Dei ad creaturam, indirectè verò ipſam diuinam eſſentiam, vt nomen iſtud, Dominus, quod principaliter ſignificat relationem dominii, indirectè verò diuinam poteſtatem, quæ eſt ipſa Dei eſſentia, quamque dominium præſupponit; alia verò directè ſignificant diuinam eſſentiam, & conſequenter ipſius habitudinem ad creaturas, vt Creator, Saluator; quæ nomina directe ſeu expreſſe ſignificant actionem Dei, quæ eſt eius eſſentia, conſequenter verò habitudinem creantis ad rem creatam.

Notandũ ſecundo.

Relatio Dei ad creaturas rationis nõ realis.

Notandũ tertiò.

Notandũ quartò.

Notandum quartò, quaſdam concipi poſſe

relationes Dei ad creaturas, quæ ſequuntur operationem eius immanentem, intellectus nempè aut voluntatis, quatenus illas ab æterno non de nouo intellexit, & dilexit, iuxta illud Ieremiæ 33. *In charitate perpetua dilexi te*; quæ quidem cùm ſint ab æterno, idcirco nomina quæ illas relationes, ſaltem conſequenter important, Deo conuenire poſſunt ab æterno, & de illis non eſt hîc quæſtio. His poſitis; Reſpondemus nomina quæ important relationem Dei ad creaturas, non ex operatione eius immanenti de illo dici tantùm ex tempore, quantum ad habitudinem quam important, ſiue principaliter ſiue conſequenter, quia relationes illæ quæ iſtis nominibus ſignificantur, non niſi ex tempore Deo competunt, cùm creaturæ ad ipſum non referantur reali relatione, niſi ex tempore, relationes autem Dei ad creaturas ipſi non conueniant niſi quatenus creaturæ ad ipſum referri intelliguntur. *Aſſertio tenenda.* Neque tamen ex eo quod eiuſmodi relationes Deo de nouo competere intelliguntur, ſequitur vllam realem mutationem Deo accidere, cùm iſtæ relationes non ſint reales, ſed tantùm rationis, vt ex prænotatis conſtat, & aliàs etiam probauimus prima parte Dialecticę tractatu 3. diſput. ſecunda ſectione 4. quęſt. prima. ſed ſi quam præſupponunt mutationem, ea tota eſt ex parte creaturę, non Dei. *Nota.*

Verùm obiicies aduerſus id quod ſupra monuimus, relationes illas ſecundùm

Digitized by Google

quas Deus denominatur ex tempore non eſſe reales, ſed rationis duntaxat, ſi relatio Dominii, v. gr. ſecundùm quam Deus dicitur dominus, eſſet relatio rationis, ſequeretur Deum non poſſe realiter denominari Dominum, quod perabſurdum videtur. Reſpondeo Deum realiter denominari Dominum, non quòd relatio dominii ſit aliquid reale in Deo, ſed tum quia Deo ita denominari conuenit ſuo modo ante omnem operationem intellectus, ſicut aliquis dicitur realiter cæcus, etſi cæcitas à qua ſic denominatur non ſit aliquid reale, tum quia fundamentum iſtius relationis nempè potentia, ſeu eſſentia diuina eſt aliquid reale, tum quia ſic denominatur Deus non tam ab ipſa relatione dominij, quam in ipſo concipi concipimus, quàm ab ipſa reali relatione qua creaturæ ſunt illi ſubiectæ; cum enim ipſa relatio ſubiectionis, ſit aliquid reale in creatura, & ea ratione Deus referatur ad creaturam, quâ creatura refertur ad ipſum, ſequitur quod Deus realiter denominetur dominus; ita diuus Thomas art. citato ad quartum & quintum.

Obiectio.

Solutio. Cur Deus realiter denominetur dominus.

Digitized by Google

VNDECIMA DISPVTATIO.

DE INTELLECTV ET SCIENTIA Dei.

EXPLICATIS hactenus Dei attributis quæ ad ipſius eſſentiam pertinent, de iis deinceps diſſeremus quæ ad ipſius operationem ſpectant: & quidem priùs de iis quæ ſpectant ad operationem eius immanentem, nempe de ipſius intellectu, ſcientia, voluntate, amore, & cæteris poſteriùs acturi de ipſius potentia, quæ ad operationem ipſius tranſeuntem pertinet.

Deinceps de iis quę ad operationē Dei ſpectant diſſeretur.

An, & quomodo ſit in Deo intellectus & ſcientia.

QVÆSTIO I.

DVABVS propoſitionibus propoſitæ quæſtioni ſatisfiet. Prior propoſitio: Eſt in Deo intellectus & ſcientia, id eſt, Deus eſt intelligens & ſciens omnia, quod quidem conſtat ex ſacris litteris. Pſal. 138. *Mirabilis facta eſt ſcientia tua ex me.* Eccleſ. 23. *Oculi Domini lucidiores ſunt ſuper ſolem circumſpicientes omnes vias hominum & profundum abiſsi.* Eccleſ. 43. *Cognouit enim Dominus omnem ſcientiam.* Romanorum 11. *O altitudo diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei.* Ratione verò probatur ſic à Diuo Tho. hîc q. 14. art. 1. aliquid eo magis capax cognitionis eſt,

Prior propoſitio.

Probatur authoritate.

Ratione cõfirmatur.

quò magis eſt expers materiæ: atqui Deus eſt omninò expers materiæ, vt conſtat: ergo eſt maximè capax cognitionis. Vbi nota ad pleniorem maioris propoſitionis intelligentiá, quod res omnis cognita debet aliquo modo eſſe in cognoſcente, nempe repræſentatiuè, quo fit vt cognoſcens non tantùm propriam, ſed etiam aliorum omnium, quas nouit formas, habere aliquo modo dicatur, quatenùs earum ſpecies in ipſo ſunt: quò fit vt rationalis anima dicatur à Philoſopho eſſe quodammodo omnia, 3. de anima, textu 37. at verò quo aliquid eſt magis expers materiæ, eò magis eſt capax vt ſe ad alia extra ſe extendat, & ipſa in ſe aliquo modo complectatur; ſic enim eſt minùs coarctatum, ſicut è contra, quò magis eſt immerſum materiæ, eo ad id minùs aptum eſt, quia ſic eſt magis coarctatum & limitatum: vt enim forma materiam, ſic materia formam coarctat; hinc fit vt ſenſus ſit cognoſcitiuus, quia eſt receptiuus formarum ſine materia; intellectus verò adhuc magis, quia eſt magis ſeparatus à materia, ex 3. de anima. text. 4.

Poſterior propoſitio. ſcientia eſt in Deo per modum actus prioris.

Poſterior propoſitio: Intellectus & ſcientia ſunt in Deo non per modum potentiæ & habitus, quia hoc imperfectionem ſeu defectum aliquem inuoluit, ſed ſunt in Deo per modum actus puri. Ex quo intelligis varios modos cognitionis, qui in intellectu creato diſtinguuntur ſecundùm diſtinctionem cognitorum, eſſe vnum eundemque

ſimpliciſſimum cognoſcendi actum in Deo, qui variis nominibus ſolet aptè exprimi, eo quòd omnes cognoſcendi modos eminenter in ſe continet; ſicque accipiendum eſt illud Iob. 12. capite: *Apud ipſum eſt ſapientia, & fortitudo, & ipſe habet conſilium, & intelligentiam*; neque enim iis nominibus ſignificantur varii cognoſcendi habitus in Deo, ſed tantum ſignificantur varii modi quibus concipi poteſt ſimpliciſſima eaque incomprehenſibilis Dei ſcientia.

Quomodo Deus ſe cognoſcat.

QVÆSTIO II.

DEVM non tantùm ſeipſum noſſe, ſed etiam eo modo quo nemo alius, patet ex ipſo Apoſtoli dicto primæ ad Corinth, 2. *Quæ ſunt Dei nemo nouit niſi ſpiritus Dei qui in ipſo eſt.* Verùm difficultas eſt in explicando illo modo quo Deus ſe cognoſcit.

Sit igitur prima hæc noſtra aſſertio. Deus ſeipſum intelligit per ſeipſum, quia ſibiipſi eſt actu ſemper intelligibilis, cum nulla ſit in Deo potentia ſeu potentialitas ad illum actum, vt ſupra oſtenſum eſt, vbi de ipſius ſimplicitate; at verò cui aliquid eſt actu intelligibile, neceſſe eſt vt ipſe actu intelligat, quod ſignificat Ariſtoteles libr. 3. de anima, text. 33. cùm ſcribit ſenſibile in actu, eſſe ſenſum in actu, & intelligibile in actu eſſe intellectum in actu; *Prima aſſertio. Probatur ratione.*

Digitized by Google

nam ſenſibile in actu, eſt ipſum actu recipi ſecundùm ſui ſpeciem in potentia ſenſitiua, in quo præſertim conſiſtit ſenſatio; idemque de intellectione ſentiendum eſt.

Secunda aſſertio. Probatur authoritate ac ratione.

Secunda aſſertio. Deus ſua ipſius cognitione ſe cõprehendit; patet ex eodem Apoſtoli teſtimonio: *Spiritus*, inquit, *ſcrutatur etiam profunda Dei*. Deinde ratione probatur à D. Thom. hîc quæſt. 14. art. 3. Deus cognoſcit ſeipſum quantum cognoſcibilis eſt, ergo ſeipſum comprehendit. Conſequentia patet ex iis quę de cognitione Dei comprehenſiua docuimus ſuprà. Probatur antecedens, quia Deus ſicut & quodlibet aliud ens, intantum eſt cognoſcibilis inquantum eſt actu: atqui tanta eſt virtus Dei in cognoſcendo, quanta eſt actualitas ipſius in exiſtendo, quia intantùm eſt cognoſcitiuus inquantum eſt actu, & ab omni potentialitate longè ſemotus: ex quo concludere eſt Deum ſeipſum cognoſcere inquantùm eſt cognoſcibilis, ac proinde ſeipſum comprehendere. Vbi nota, illud, quod dicitur, Deum ſe comprehendere, explicandum eſſe negatiuè, nempè quod nil ſit ſui quod ipſum lateat, non verò quod poſitiuè ſeipſum circumcludat, & quaſi finiat.

Nota Quid ſit Deum ſe comprehendere.

Digitized by

An, & quomodo Deus cognoſcat alia à ſe. QVÆSTIO III.

Prima aſſertio. Probatur authoritate. Itemque ratione.

SIT prima hæc noſtra aſſertio. Deus cognoſcit alia omnia à ſe: hoc fides docet, & ſacræ litteræ paſſim, vt ad Hebr. quarto. *Non eſt vlla creatura inuiſibilis in conſpectu eius: omnia autem nuda, & aperta ſunt oculis eius.* Ratione verò probatur: quia Deus ſe perfectè, ſeu comprehenſiuè cognoſcit, ac proinde ſuam ipſiuſmet virtutem ac poteſtatem, cùm ab ipſo minimè diſtinguatur: atqui non poteſt perfectè ſeu cõprehenſiuè cognoſci aliqua virtus, niſi cognoſcantur ea ad quæ ſe extendit; quare cùm virtus diuina ſe extendat ad omnes externos effectus, neceſſe eſt quod Deus omnia alia à ſe cognoſcat.

Secunda aſſertio.

Secunda aſſertio. Deus videt alia à ſe in ſeipſo non in ipſis, id eſt, non videt illa per vllam ipſorum propriam ſimilitudinem, ſed per ſuam ipſius eſſentiam, quæ eminenter continet omnes omnium rerum ſimilitudines. Vbi nota, licèt in iſto ſenſu verum ſit dicere Deum non cognoſcere res alias à ſe in ſeipſis; eſſe tamen verum dicere in alio ſenſu, quod ipſas etiam cognoſcat in ſeipſis, hoc eſt propria ipſarum cognitione, ſecundum quod ſunt in ſeipſis extra Deum, vt patebit ex ſequenti aſſertione.

Tertia aſſertio explicatur.

Tertia aſſertio. Deus cognoſcit alia à ſe propria cognitione. Vbi nota cognitionem illam dici propriã, non ex parte cõceptus diuini, qui non poteſt eſſe niſi vnus & idẽ reſpectu omniũ, ſed ex parte rei cognitæ, quòd videlicet Deus cognoſ-

cat res extra ſe, non ſolùm in communi, aut in ſuo principio, hoc eſt quatenus in ipſo analogicè conueniunt, aut in ipſo ſunt eminenter, ſed etiam quatenus ſecundùm propriam naturam à quibuſlibet aliis diſtinguuntur, & quatenus ſunt extra ipſum: quæ aſſertio eſt de fide. Nam ſacra Scriptura, tum in locis ſupra allatis, cum in aliis ſatis apertè indicat, res cognoſci à Deo ſecundùm propriam ipſarum rationem, ſeu ſecundùm quod ſunt in ſe. Adde etiam quod non tantùm ſacræ litteræ, ſed etiam ſancti Patres communi conſenſu Deo tribuunt omnium rerum etiam minutiſſimarum prouidentiam, vt poſtea oſtendemus, quę nulla eſſe poteſt abſque ipſarum propria cognitione. Confirmatur hæc eadem aſſertio ratione à D. Thom. hîc loco citato. art. ſexto. Primò, quia intelligere aliquid in communi tantùm & non in ſpeciali, eſt imperfectè aliquid cognoſcere; quare ſi Deus res à ſe diſtinctas in vniuerſali tantum, & non in ſpeciali cognoſceret, ſequeretur Deum imperfectè aliquid cognoſcere. Dicēdum igitur eſt, Deum cognoſcere ea quæ ſunt extra ſe, non tantùm quatenùs conueniunt in communi aliqua ratione entis, ſed etiam ſecundùm quod ab inuicem diſtinguuntur. Secundò, quia Deus cognoſcit omnia extra ſe in ſua eſſentia, (ex præcedenti aſſertione:) atqui eſſentia diuina eſt Deo ratio cognoſcendi ea quæ ſunt extra ipſum, non tantùm ſecundùm id in quo conueniunt, ſed etiam ſecundùm id in quo differunt, cùm omnia ſecundùm omnes

Probatur authoritate.

Ratione confirmatur.

Prima.

Digitized by Google

modos eſſendi non tantùm communes, ſed etiam proprios, in ipſa diuina eſſentia præexiſtant. Denique niſi Deus cognoſceret creaturas omnes ſecundum proprios eſſendi modos, non cognoſceret ſeipſum perfectè, quia non cognoſceret quot modis communicari, & participari poſſit à creaturis.

Neque tamen exiſtimandum eſt quod diuinus intellectus ex rerum quantumuis abiectarum cognitione vileſcat, cùm nil ab ipſis rebus, quas intelligit, mutuetur, ſed eas independenter ab ipſis in ſua eſſentia cognoſcat, non tantùm ſecundùm quod ſunt in ipſa eius eſſentia, ſed etiam ſecundum quod ſunt in ſeipſis: adde quamlibet cuiuſlibet rei notitiam in Deo entitatiuè & realiter eſſe ipſum Deum, quamuis importet relationem quandam rationis ad rem cognitam. Ex hac autem aſſertione ſatis euidenter colligitur, Deum cognoſcere mala & ſingularia, iuxta illud Pſalmi. *Vultus autem Domini ſuper facientes mala.* Et iſtud, *De cælo reſpexit Dominus, Vidit omnes filios hominum:* quia nempe alia à ſe cognoſcit ſecundùm quod ſunt in ſe: at verò omnia quę exiſtunt, ſunt ſingularia, & præterea pleraque ex ipſis mala & imperfecta. Vbi nota quod ſpectat ad mala & imperfecta, ea cognoſci à Deo quatenus ipſe cognoſcit bona & perfecta, quorum ſunt priuationes. Huius rei ratio eſt, quod Deus nil cognoſcit niſi in ſua eſſentia, quę non eſt ſimilitudo mali & imperfecti vt ſic, ſed tantum boni & perfecti, & tamen ſicut per

Intellectus diuinus ex nullius rei quantumuis abiectæ cognitione vileſcit.

Corolariũ Mala & ſingularia à Deo cognoſci.

Nota. Quod ſpectat ad mala & imperfecta.

Digitized by Google

lumẽ cognoſcuntur tenebræ, ſic mala & imperfecta cognoſcuntur à Deo per bonum & perfectum quod in ipſo eſt. Cæterùm quia nil eſt adeò malum aut imperfectum, quod non habeat aliquid boni & perfecti in quantum eſt ens, & etiam tale ens: idcircò abſolutè loquendo, Deus nouit omnia mala & imperfecta ſecundùm quod ſunt in ſeipſis. Quod verò ſpectat ad ſingularia, quod Deus illa cognoſcat, ſatis apertè colligitur, tum ex allatis ſupra teſtimoniis ſacræ Scripturæ, tum ex rationibus quibus probauimus res cognoſci à Deo ſecundum omnes modos eſſendi, ipſarum proprios, eſt enim ſingularitas modus eſſendi proprius rerum omnium actu exiſtentium. Cęterùm quia de contingentibus peculiaris & grauior difficultas eſt, idcirco de iis ſequentibus quæſtionibus ex inſtituto dicemus.

Quod ſpectat ad ſingularia.

An ſcientia Dei ſit etiam futurorum contingentium.

QVÆSTIO IV.

AD pleniorem propoſitæ quæſtionis intelligentiam, notandum eſt; eorum quæ ſunt ſeu entium, alia eſſe actu, nempè quæ actu & realiter exiſtunt, alia verò eſſe potentia dumtaxat, quæ cùm actu non ſint, poſſunt tamen verè eſſe ſeu realiter exiſtere: & rurſum eorum quæ ſunt potentia, alia numquam eſſe futura, alia ve-

Senſus quæſt. exponitur.

Digitized by Google

rò aliquando futura eſſe:denique , eorum quæ futura ſunt , quædam neceſſariò futura eſſe, quorum cauſæ ſunt neceſſariæ ; quędam verò contingenter , quorum cauſæ ſunt contingentes , vt ea omnia quæ à libero hominis arbitrio pendent. Quoniam igitur de non entibus , item de entibus non futuris quæretur poſtea, de entibus verò neceſſario futuris non eſt vlla difficultas, cùm conſtet ea ſciri à Deo neceſſaria cognitione , tota difficultas eſt de futuris contingentibus, quomodo neceſſariò & infallibiliter à Deo cognoſcantur ſi contingenter ſint futura, aut quomodo contingenter futura ſint , ſi certò à Deo præſciantur.

Conſtans quidem Theologorum ſententia eſt, omnia entia etiam futura contingentia neceſſaria & infallibili Dei ſcientia ab æterno cõprehendi ; id enim ſacræ Scripturæ apertiſſimè teſtantur Danielis 13. *Deus æterne , qui noſti omnia antequam fiant.* Eccleſiaſtici 23. *Domino Deo noſtro antequam crearentur nota ſunt omnia.* Specialiter verò de contingentibus futuris habetur illud Exodi. 3. *Ego ſcio , inquit Deus , quod non dimittet vos Rex Ægypti niſi per manum validam.* Et Deuteronomij 31. *Scit cogitationes eius quæ facturus ſit hodie.* Et ſic prædicta fuit Petri trina negatio Ioannis 14. Hieroſolymitana deſtructio Lucæ 19. Iudæ proditio Ioannis 14. Ratione idem cõfirmatur: quia Deus perfectiſſimè ſe nouit cùm ſe comprehendat, vt conſtat ex quæſtione ſecũda huius quæſtionis ; atqui non poteſt ſe perfectiſſimè cognoſcere, ſeu comprehendere , niſi omnia cognoſcat ad quæ ſe extendit ipſius po-

Aſſertio tenenda probatur authoritate.

Confirmatur ratione.

tentia, vt conſtat etiam ex iis quæ aliàs de cognitione Dei comprehenſiua docuimus: ſunt autem huiuſmodi futura contingentia, ergo Deus ea complectitur ſua ſcientia; eſt autem ſcientia omnis Dei perfectiſſima, ac proinde æterna, infallibilis, & neceſſaria. Quare concludendum eſt Deum habere ſcientiam de rebus futuris contingentibus æternam, infallibilem, & neceſſariam.

Nodus præcipuæ difficultatis.

Verùm tota difficultas eſt in explicando modo quo Deus ea quæ non neceſſariò, ſed tantùm contingenter futura ſunt, ita vt verè poſſint non eſſe futura, neceſſariò tamen & infallibiliter cognoſcat. Sanctus Thomas hîc quæſtione 14. art. 13. docet ea quæ nobis ſunt futura contingentia, ideo infallibiliter à Deo cognoſci, quia Deus non tantum ea cognoſcit prout ſunt in ſuis cauſis, (quomodo verè ſunt futura contingentia) ſed etiam maximè prout vnumquodque illorum eſt actu in ſeipſo extra ſuas cauſas; ſic enim ſpectatum futurum contingens, non conſideratur vt futurum, ſed vt præſens, ſed neque adhuc vt contingens, ſeu indifferens ad vtrumlibet, ſed vt determinatum, ſicque illud infallibili, ſeu certæ ſcientiæ ſubdi non repugnat: & quoniam omnia quæ ſunt in tempore etiam quæ dicuntur futura contingentia, ſunt Deo ſimul ab æterno præſentia, non ſolùm quatenus ipſorum rationes ſeu ideæ ſimul ſunt ipſi Deo præſentes, (cùm ſint ipſamet diuina eſſentia) ſed

D. Thom. ſententia exponitur.

Digitized by Google

etiam quatenus res ipſæ ſecundùm ſuum eſſe diuino conſpectui ab æterno ſubduntur: idcirco Deus ſimul ab æterno certò & infallibiliter nouit omnia quæ à nobis dicuntur futura contingentia ſuis cauſis comparata. Et iſta quidem beati Thomæ doctrina, licet, ſi benè intelligatur, vera ſit, quia tamen non videtur adhuc ſatis apertè ab authore explicata, idcircò ipſius diſcipuli in ea explicanda non conſentiunt: quid tamen in hac controuerſia probabiliùs tenendum ſit, ſequentibus aſſertionibus ſtatuemus.

Vario modo explicatur prædicta D. Th. ſententia.

Prima aſſertio. Futura contingentia non ſunt Deo ſimul ab æterno realiter præſentia per proprias exiſtentias, ſeu ipſi realiter non coexiſtunt ab æterno. Probatur primò: quia id quod realiter in ſe non exiſtit, non poteſt realiter alteri coexiſtere; ſed futurum contingens in ſe realiter ab æterno non exiſtit; ergo non poteſt ipſi Deo realiter ab æterno coexiſtere. Confirmatur maior propoſitio, quia realis coexiſtentia ſupponit realem eorum quæ coexiſtunt exiſtentiam, cùm ſit realis relatio, quæ non niſi inter terminos realiter exiſtentes verſatur. Minor verò propoſitio ſtabilitur. Si enim futurum contingens in ſe realiter ab æterno exiſteret, iam futurum non eſſet, ſed æternum, quod eſt contra hypotheſim, & apertam rei veritatem. Neque eſt quod reſpondeant aduerſarij, futurum contingens non eſſe quidem realiter ab æterno per propriam

Probatur ratione. Primò.

Digitized by Google

durationem, ſed per durationem æternitatis; nam nil aliud eſt hoc quàm futurum contingẽs verè & realiter non eſſe ab æterno; neque enim verum & reale eſſe cuiuſque rei differt reipſa à propria, ſeu intima ſui duratione; quod ſi futurum contingens verè & realiter non eſt, non exiſtit ab æterno; illicò infero non coexiſtere Deo realiter ab æterno. Secundò. Si in ipſo nunc æternitatis omnia ſimul eſſent realiter præſentia, ſequeretur in ipſomet nunc partes temporis præteriti & futuri eſſe ſimul, ac proinde in ipſo nunc æternitatis tempus non eſſe ſucceſſiuum, ſicque tempus quatenùs coexiſtit æternitati, non eſſet tempus, repugnat enim tempus eſſe ſine ſucceſſione; idémque concludi poteſt de iis quæ naturâ ſuâ ſucceſſiuè exiſtunt in prędictis partibus temporis, quas ſequeretur eſſe ſimul realiter in ipſo nunc æternitatis (verbi grat. Adamum & Antichriſtum ſimul exiſtere realiter in ipſo nunc æternitatis) quod tamen abſurdiſſimum eſt, cum ratio æternitatis rationem temporis & rerum ſucceſſiuarum nequaquam deſtruat. Tertiò. Si omnia etiam præterita & futura ſemper eſſent in ipſo nunc æternitatis ſimul realiter pręſentia, ſequeretur etiam ipſa eſſe ſimul realiter præſentia in iſto nunc temporis: ratio enim propter quam illud aſſerunt aduerſarij, eſt, (inquiunt) quia ipſum nunc æternitatis, quæ eſt ipſa æternitas ſemper realiter ſe extendit ad quamlibet temporis differentiam tum ad præteritum cùm ad præſens & futurum. Cum igitur æternitas ſeu ipſum nunc æternitatis etiam in iſto nunc temporis

Secundò.

Tertiò.

temporis

temporis cui realiter coexiſtit, ſe extendat ad omne tempus præteritum, & futurum, ſequitur euidentiſſimè quod etiam in iſto nunc temporis, tempus præteritum & futurum ipſi æternitati, ſeu ipſi nunc æternitatis realiter coexiſtant, ac proinde ipſi etiam nunc temporis: quandiu enim aliquid alteri realiter coexiſtit, ſimul etiam coexiſtit omnibus ipſis coexiſtentibus. Quòd ſi neges æternitatem, ſeu ipſum nunc æternitatis in iſto nunc temporis quo loquimur coexiſtere omni tempori. Contrà inſto, quia ſequeretur æternitatem non ſemper omni tempori coexiſtere, quod eſt contra hypotheſim conceſſam ab aduerſariis, imò ſequeretur æternitatem ſucceſſiuè coexiſtere tempori ; quod ſi ſemel concedatur, ruit proculdubio aduerſariorum ſententia : nam illicò neceſſariò inferã, tẽpus quoque, ac ea quæ ſunt in tẽpore ſucceſſiuè coexiſtere æternitati, ſicque omnia non eſſe illi ſimul realiter præſentia, quod nos contendimus, & illi negant. Denique ſicut Deus per immenſitatem ſuæ naturæ non eſt in locis ſeu corporibus quæ nondum ſunt, ſic nec per æternitatem erit in tempore, aut cum rebus temporariis quæ nondum exiſtunt. *Reſponſ. quod fieri poſſet occurritur.*

Et ſanè non eſt veroſimile D. Tho. in ea opinione fuiſſe, quidquid contra contendant nonnulli ipſius diſcipuli ; neque enim vmquam aſſeruit Sanctus Thomas, futura contingentia eſſe ab æterno realiter præſentia Deo, ſed tantùm diuino conſpectui ab æterno præſentialiter ſubdi, quod nil eſt *D. Thomæ ſententia explicatur.*

Digitized by

aliud, quàm illa obiici Deo, ita clarè & diſtinctè cognoſcenda, ac ſi actu realiter exiſterent, nempè ſecundùm ſuum proprium eſſe, non quòd ſit actu & realiter præſens, ſiue in tempore, ſiue in æternitate, ſed quod ſit realiter futurum ſuo tempore; licèt enim omnia verè dici poſſint hoc ſenſu ab æterno præſentia Deo, non tamen id accipiendum eſt de præſentia reali, ſed tantùm obiectiua, vt poſtea dicetur.

Obiectio prima. Verùm cõtra obiicies: primo authoritates tum ſacrarum Scripturarum tum ſanctorum Patrum quibus non obſcurè ſignificatur omnia Deo eſſe præſentia, nil illi præteritum eſſe, nil futurum æquè ab ipſo videri quæ futura ſunt atque prę́ſentia. *Solutio.* Verùm ad iſta reſpondemus: Ad primum quidẽ omnia verè dici Deo præſentia, quia nempè omnia ſunt nuda & aperta oculis eius; ideo enim vocat ea quæ non ſunt tanquam ea quę ſunt, quia (vt ait S. Ambroſius libro 5. de fide c. 8.) ita cognoſcit ea quæ non ſunt tanquam ea quæ ſunt, ex quo non ſequitur omnia eſſe Deo pręſentia per proprias & reales exiſtentias; vnde etiam verè dici poteſt, nil Deo pręteritum eſſe, nil futurum, quia nempè nil eorum quæ præterierunt aut futura ſunt, perfectiſſimam eius cognitionem ſubterfugit; *Cum illo* inquit S. Auguſt. in Pſalm. 49. verſ. 12. *ſunt omnia futura, & ei non detrahantur iam præterita, cum illo ſunt omnia cognitione quadam ineffabili ſapientiæ Dei.* Ecce hîc aperit Auguſtinus, inquit Magiſter Sententiarum, explicans illum locum

Digitized by Google

Sancti Auguſtini libr. 1. Sentent. 35. iuxta quam intelligentiam accipienda ſunt huiuſmodi verba, *Omnia ſunt Deo præſentia*, *in Deo ſunt omnia*, vel *cum Deo*, vel *apud Deum*, vel *in eo vita*, quia ineffabilis omnium cognitio in eo eſt, quo fit vt etiam futura non minus dicantur videri à Deo, quàm præſentia: & hæc ratio erat cur prophetæ olim videntes appellarentur, nempè quod res futuras æquè certò cognoſcerent ac ſi illas realiter præſentes intuerentur, quamuis illis realiter non coexiſterent, vt conſtat.

Secundo obiicies: Æternitas eſt tota ſimul abſque vlla ſucceſſione, omneque tempus ambit, vt docet D. Tho. hîc art. 13. quæſt. 14. Ergo quod futurum eſt, iam illi præſens eſt, ſeu ipſi realiter coexiſtit. *Obiectio ſecunda.* Reſpondetur, licèt vltrò concedamus æternitatem in ſe eſſe totam ſimul, cùm ſit duratio ſimplex omni ſucceſſione carens, atque adeò omne tempus ambire, tum quia omne tempus eminenter continet, tùm quia durat per omne tempus, non tamen ſequi quod ipſa vel Deus per ipſam ſimul omni tempori coexiſtat; ad hoc enim non ſatis eſt, quòd æternitas ſit in ſe tota ſimul, ſed præterea neceſſe eſſet, vt tempus eſſet quoque totum ſimul, quod repugnat. Si dicas fore tempus totum ſimul non quidem in ſe, ſed in æternitate; occurro inde ſequi, tempus non fore verum *Solutio.*

tempus in æternitate; cum ſic non foret ſucceſſiuum. Sciſcitaberis forſan, qui fieri poſſit vt ęternitas ſit duratio tota ſimul omne tempus ambiens, nec tamen ſimul & vnitè contineat omne tempus actu. Reſpondeo repugnantiam non ſe tenere ex parte æternitatis, ſed ex parte temporis, quod non poteſt ſimul eſſe pręſens realiter æternitati, ideoque æternitatem ac Deum per ſuam æternitatem ſucceſſiuè coexiſtere tempori, rebuſque temporariis. Inſtabis, iſta non ſatis aptè inter ſe cohęrere, nempè ęternitatem tempori ſucceſſiuè coexiſtere, & tamen eſſe totam ſimul: quod enim alteri ſucceſſiuè coexiſtit, neceſſe eſt vt ſucceſſiuè exiſtat, ac proinde ſit ſucceſſiuum, ſicque non ſit totum ſimul. Reſpondetur neceſſe quidem eſſe, vt id quod alteri ſucceſſiuè coexiſtit per coexiſtentiam realem, ſucceſſiuè exiſtat, negamus autem coexiſtentiam æternitatis cum toto tempore eſſe realem, eſt enim tantùm relatio rationis in Deo, ſicut etiam relatio domini & Creatoris. Adde æternitatem aptam eſſe coexiſtere tempori, ipſique aliqua ratione ſucceſſiuè commenſurari, non propter veram & ipſi intrinſecam ſucceſſionem, ſed propter ſui eminentiam ſecundùm quam omnem ſucceſſiuam durationem eminenter continet. Concipiendum igitur eſt ęternitatem totam ſimul manere fixam, immobilem & indiuiſibilem in ſe, tempuſque interim, ac res temporarias ſucceſſiuè fluere, illaſque tunc tantùm eſſe realiter præſentes æternitati cùm realiter exiſtunt: vbi verò nondum adſunt, aut iam eſſe deſierunt,

Cur æternitas non ſit ſimul realiter præſens æternitati.

Quomodo æternitas in ſe tota ſimul tempori coexiſtat.

Digitized by Google

tunc nec eſſe realiter præſentes æternitati, nec ęternitatem illis realiter coexiſtere.

Secunda aſſertio. Secunda aſſertio. Licet futura contingentia eſſent realiter Deo præſentia, non tamen ea eſſet prima ratio propter quam Deus illa neceſſariò & infallibiliter cognoſceret: ſequeretur enim certitudinem diuinæ ſcientiæ circa res contingentes pendere ab ipſarum exiſtentia; *Ratione probatur.* quod abſurdum eſt; aut certè diuinam ſcientiam in illo priori quàm concipiantur res illæ contingentes realiter exiſtere, fore imperfectam, quod eſt magis abſurdum; habet enim diuina ſcientia omnem cognitionis perfectionem independentem ab exiſtentia rerum cognitarum.

Tertia aſſertio. Tertia aſſertio. Idcircò maximè Deus nouit certò & infallibiliter futura contingentia, quia illa cognoſcit ſecundùm eorum eſſe actuale quod habitura ſunt aliquando, ſiue ex eo quod illa ſint ipſi obiectiuè præſentia ſecundùm ſuum eſſe actuale realiter futurum: *Vnde habeatur ſit obiectiua præſentia rerum futurarum in Deo.* iſta autem obiectiua præſentia rerum omnium futurarum à qua deſumitur certitudo & infallibilitas diuinæ ſcientiæ circa ipſas, prouenit ex infinitate diuinæ ſcientiæ quæ ob eminentiam ſuæ perfectionis habet vim ſibi ipſi repræſentandi intuitiuè omnia futura, ſicut etiam præterita: quò fit, vt omnia ſiue præterita ſiue futura dici poſſint obiectiuè Deo præſentia; præſertim cum ea non minùs perfectè à Deo cognoſcuntur, quàm ſi eſſent actu & realiter præſentia. Hinc fit vt iſta cognitio verè dici poſſit ſcientia vi- *Scientia viſionis in Deo eſt rerum etiam futurarum*

Digitized by Google

ſionis, ea enim videre dicimur quæ præſentialiter intuemur, quamuis tamen illud ſit diſcrimen quod viſio propriè dicta apud nos requirat realem pręſentiam rei, quia numquam poſſumus tam perfectè aliquid cognoſcere quàm cum eſt actu præſens: at verò in Deo diſpar eſt ratio, quia æquè perfectè cognoſcit abſentia, quam quæ ſunt realiter præſentia. Quò fit vt in ipſo ſcientia viſionis non tantùm ſit rerum realiter præſentium, ſed etiam futurarum ſicut & præteritarum. Et licèt in Deo ſcientia ſimplicis intelligentiæ quæ dici poteſt abſtractiua, & ſcientia viſionis quæ dici poteſt intuitiua, diſtinguantur ſecundùm noſtrum concipiendi modum, cum aliquo fundamento à parte rei; non tamen tanta eſt diſtinctio inter ſcientiam viſionis quæ eſt rerum futurarum, & eam quę eſt rerum præſentium, quamuis tamen ad maiorem diſtinctionem hæc intuitiua magis propriè dicatur quàm illa.

Scientia ſimplicis intelligentia.

Probatur hæc aſſertio ratione.

Sic autem explicata noſtra aſſertio, probatur, quia eſſe actuale futurum rerum contingentium quatenùs futurum in ſe ſpectatum non poteſt non eſſe futurum, licèt in ſua cauſa nondum determinata ſit cõtingens & indeterminatum; atqui eſſentia diuina repræſentat futura contingentia ſecundùm ipſorum eſſe actuale futurum in ſe & non tantùm in ſua cauſa ſpectatum, cùm omnia repręſentet ſecundùm omnes modos quibus ab ipſis participari poteſt. Ergo ſcientia quam habet Deus de rebus futuris cõtingentibus, eſt certa & infallibilis, ex eo quod ipſa repræſententur ſecundùm ſuũ eſſe

Digitized by Google

actuale futurũ. Et quidẽ eam fuiſſe ſanctorum Patrum, vt Ambroſij & Auguſtini: item & Magiſtri Sententiarum, opinionem, patet ex reſponſione ad primam obiectionem ſuprà; eandem quoque fuiſſe mentem Diui Thomæ, conſtat ex prima noſtra aſſertione, nihilque ſanè aliud voluit ſanctus Bonauentura, cùm aſſeruit in primum Sentent. diſt. 39. quæſt. 3. art. 2. Deum futura contingentia certò & infallibiliter cognoſcere in ſuis ęternalibus idæis.

An Deus cognoſcat futura contingentia ante vllam determinationem ſeu præfinitionem ſuæ voluntatis.

QVÆSTIO V.

NOnnullis, vt Scoto imprimis in primum Sententiarum, diſtinctione 39. viſum eſt Deum cognoſcere futura contingentia in determinatione ſuæ voluntatis, quòd licèt verè dici poſſit de iis actibus liberis qui immediatè eliciuntur à Deo, proindeque ab ipſo ſolo pendẽt, vt ſunt creatio, incarnatio, &c. itẽ de iis, qui licèt à Deo cum cauſis ſecundis producantur, efficaci tamen ipſius voluntate præordinantur, vt ſunt actus quidam ſupernaturales, quos Deus nonnumquam in hominis voluntate operatur, non tamen iſtud generaliter verum eſſe videtur, cùm multi ſint alij actus liberi, vt ſunt omnes vitioſi & plerique in- *Scoti ſententia quomodo vera eſſe poſſit.*

Digitized by

differentes, quidam etiam moraliter boni, quos Deus efficaci voluntate non præordinauit; de quibus præſertim etiam difficultas eſt.

Vt igitur liquidò conſtet quid probabilius tenendum ſit circa propoſitam quęſtionem, nonnullas hîc ſubiiciemus aſſertiones, ad quarum intelligentiam nonnulla circa multiplex genus ſcientiæ quod in Deo admittitur, prænotanda ſunt.

Notãdum primo.

Scientia impropriè dicta.

Imprimis notandum eſt præter cognitionem Dei metaphoricè dictam, quæ potiùs actum voluntatis quàm intellectus propriè ſignificat, quâ nempe Deus nonnunquam in ſacris litteris ſignificatur aliquid approbare aut reprobare, vt Gen. 4. *Reſpexit Dominus ad Abel & ad munera eius, ad Cain autem & ad munera eius non reſpexit.* Sic dicitur Dominus Pſal. 1. *noſſe viam Iuſtorum.* & Math. 25. *Fatuæ virgines neſciri dicuntur à Domino*: præter illam (inquam) ſcientiam impropriè dictam, ſcientiam Dei magis propriè dictam à nonnullis, iuxta doctrinam Diui Thomæ hîc in genere duplicem aſſignari, nempe ſcientiam ſimplicis intelligentię, & ſcientiam viſionis. Illa dicitur eſſe rerum omnium poſſibilium; ſiue fuerint, ſiue ſint, ſiue futuræ ſint, ſiue etiam numquam futuræ ſint, eſtque merè naturalis; hoc eſt, ante omnem liberam diuinæ voluntatis determinationem in Deo eſſe concipitur; hæc verò dicitur eſſe rerum duntaxat quæ in aliqua temporis differentia realiter exiſtunt; ſiue præteritæ ſint, ſiue præſentes, ſiue futuræ, diciturque merè libe-

Scientia ſimplicis intelligentiæ merè naturalis.

Scientia viſionis merè libera.

Digitized by Google

ra, quia concipitur ſubſequi determinationem diuinæ voluntatis liberam. Nonnulli verò tertium genus ſcientiæ inter ſcientiam ſimplicis intelligentiæ & viſionis interſerunt, appellantque ſcientiam approbationis, qua Deus concipitur àb æterno immediatè ante ipſam voluntatis determinationem iudicare hoc vel illud ſtatuendum vel permittendum eſſe; & quemadmodum ſcientia ſimplicis intelligentię eſt in intellectu diuino theoretico, ſic iſta videtur eſſe in eodem practico.

Scientia approbationis in intellectu Dei pract.

Secundò notandum eſt hîc non ſine magna probabilitate à quibuſdam aliis Theologis, aliam mediam ſcientiam inter ſcientiam merè naturalem & merè liberam admitti, quæ quidem ſit rerum poſſibilium & futurarum ex hypotheſi: diciturque ſcientia Dei hypothetica, qua Deus præuidet ab æterno quid futurum ſit, vel non, poſito quod hoc vel illud prædeterminet.

Notandum ſecundo. *Scientia media ſeu hypothetica partim naturalis partim libera.*

Quod autem admittenda ſit eiuſmodi media ſcientia in Deo, probatur, quia conſtat ex ſacris litteris Deum priùs noſtro intelligendi modo, quàm quidquam ſtatueret præſciuiſſe, quæ etiam contingenter & liberè futura erant ex hypotheſi, quod hunc vel illum ordinem rerum cum his aut illis circunſtantiis ſtatueret. Sic Matth. 11. *Si in Tyro*, ait Chriſtus, *& Sydône facta fuiſſent virtutes quæ factæ ſunt in vobis olim, in cilicio & cinere pænitentiam egiſſent*. Et Sap. 4. *Raptus eſt*, inquit Sapiens, *ne malitia mutaret intellectum illius, aut ne fictio deciperet animam ipſius.* Ex quo in-

Scientiam mediam eſſe admittendam probatur.

Digitized by Google

telligere eſt vulgo triplicem hîc in Deo ſcientiam diſtingui, nempe merè naturalem, mere liberam, & mediam ſeu hypotheticam.

Notandũ tertio. Denique notandum etiam eſt cùm dicimus hîc Deũ noſſe aliquid ante vel poſt determinationem ſuæ voluntatis, hoc accipiendum eſſe ſecundùm noſtrum intelligendi modum, cùm à parte rei omnes actiones Dei immanentes ſint ſimul ab æterno, ita vt nulla aliam reipſa præceſſerit. Quibus præſuppoſitis,

Prima aſſertio. Sit prima aſſertio. Deus cognoſcit omnia futura quatenus poſſibilia ſunt, ſcientia ſimplicis intelligentiæ ſeu merè naturali, ante omnem determinationem ſuæ voluntatis. *Probatur ratione.* Probatur, quia quod naturale eſt, vt ſic prius eſt, (ſaltem ſecundùm noſtrum concipiẽdi modum) quam id quod eſt liberum; atqui cognitio Dei comprehenſiua, qua in ſuiipſius viſione penetrat omnes modos quibus participabilis eſt, ac proinde res omnes, quæ aliquo modo eſſe poſſunt, eſt ipſi naturalis & eſſẽtialis; volũtatis verò determinatio, eſt quid liberum, cùm Deus ſit agẽs liberrimum, vt poſtea patebit: ſequitur ergo quod ſcientia rerum omnium poſſibilium ac proinde rerum futurarum quatenus ſunt poſſibiles, ſit ante omnem determinationem diuinæ voluntatis.

Secunda aſſertio. Secunda aſſertio. Deus cognoſcit omnia futura, etiam vt futura cum conditione, ſcientiâ mediâ ſeu hypothetica, ante omnem determinationem ſuæ voluntatis. Probatur; quia media illa ſcientia eſt rerum futurarum, quate-

Digitized by Google

nus Deus adhuc indifferenter ſe habet ad illas producendas, vel non; ſeu ad ſtatuendum illum rerum omnium, ordinem quo poſito, futuræ ſint. Hoc autem præcedit determinationem diuinę voluntatis. *Probatur ratione.*

Tertia aſſertio Deus cognoſcit omnia futura ſiue à ſe ſolo, ſiue etiam à cauſis ſecundis depẽdentia, eaque ſiue neceſſaria ſiue contingentia; ſcientiâ viſionis, quæ eſt abſoluta & merè libera poſt determinationẽ aliquam ſuæ volũtatis per quã determinet hoc vel illud per ſe ipſum facere, vel per quam eligat eum rerum & cauſarum ordinem ac ſeriem in qua prędidet hoc vel illud abſolutè futurum, quod alioquin futurum non fuiſſet, non tamen per quam vllum agens liberum neceſſitetur aut cogatur, vt ex ſequenti quęſtione clariùs patebit. *Tertia aſſertio eius veritas ex ſequenti queſt. patebit.*

Quomodo ſtare poßit contingentia rerum ac proinde libertas arbitrii cum certa & infallibili Dei præſcientia.

QVÆSTIO VI.

INconcuſſam diuinæ præſcientiæ firmitatem ſimul cum rerum contingentium inſtabilitate conciliare arduum proſus ac difficile, immò plerisque veteribus Philoſophis impoſſibile viſum eſt; quo factum vt Stoïci & plerique etiam hæretici omnem rerum contingentiam ſubuertere conati ſint,

Digitized by Google

quo diuinam præſcientiã firmiùs ſtabilirent;& è cõtra alij vt Tullius 2. de diuinatione diuinam prouidentiam ſeu præſcientiam è medio ſubſtulerit, vt homines in libertatem aſſererent, ſicque vt ait S. Auguſt. 5. de ciuitate cap 5. dum voluerunt facere homines liberos fecerunt ſacrilegos.

Vtrumque ſupponendum, nempe & rerũ contingentia & Dei præſcientia infallibilis.

Nos verò ſicut omnes boni Philoſophi & Catholici vtrumque ſupponimus; nempè & multa eſſe contingentia, cuiuſmodi ſunt imprimis actus omnes humani ſeu liberi, vt probauimus in 2. parte Moralis Philoſophiæ tract. 1. diſput. prima, quæſt. 4. & ea quæ dicuntur à caſu & fortuna, vt oſtendimus 1. parte Phyſicæ, tract. 2. diſputatione 3. quæſt. 1. & 2. & præterea certam & infallibilem eſſe Dei ſcientiam etiam circa futura contingentia, vt oſtendimus q. 4. huius diſputationis.

Supereſt vt vtriuſque concordiam oſtendamus, ſeu diuinam præſcientiam cùm rerum futurarum contingentia, ac proindè cum libero hominis arbitrio conciliemus. Vbi nota cùm actiones humanæ ſeu liberæ præcipuum locum teneant inter res contingentes, idcircò nos hîc præſcientiæ diuinæ concordiam præſertim, cum hominis libero arbitrio explicare.

Licèt igitur vltrò fateamur ſcientiam Dei circa futura cõtingẽtia, verbi gratiâ, circa actus humanos ea & quę ex illis pẽdent, infallibilem eſſe, ita vt illud infallibiliter futurum ſit, quod præſciuit; negamus tamen vllam propterea imponi neceſſitatem libero arbitrio, tum quia illa

Digitized by Google

Dei præſcientia,etiam abſoluta,nullam includit aut importat determinationem efficacem circa liberum arbitrium aut ipſius actus, ſed hominem planè in agendo liberum & indifferentem ad agendũ vel non agendũ relinquit, tum quia talis Dei præſcientia non influit efficaciter ſiuè per ſe immediatè,ſiue per aliud in liberum arbitriũ,neque in actus ipſius ſiue elicitos, ſiue imperatos. Neque enim exiſtimandum eſt, tales actus liberos ſeu contingentes idcircò futuros quia à Deo prçſciuntur,cum potius è contra præſciantur futuri,quia verè futuri ſunt,neque tamen indè ſequitur,quòd illa Dei præſcientia, ipſiusque certitudo & infallibilitas ex ipſis reb⁹ futuris deſumatur,cùm cõſtet ex prædictis eam non aliundè prouenire,quàm ex perfectiſſima comprehenſione diuinæ eſſentiæ, in qua Deus altiſſimo quodam modo vnumquodque arbitrium cõprehendit,ipſum excedẽdo,ac proinde omnes actus futuros vniuſcuiuſque arbitrii certiſſimè ac infallibiliter nouit antequam ipſum liberum arbitrium ſeipſum determinet, imò etiam priuſquam concipiatur poſſe ab aliquo determinari,idque per ſcientiam mediam ſeu hypotheticam.

Contingentes ſeu liberi actus non ſunt futuri eo quod à Deo præſciuntur ſed potius è contra.

Cũ igitur res quæ à noſtro libero arbitrio pẽdẽt nõ ideò ſint futuræ,quia à Deo cognoſcuntur, ſed è contra, ſi aliter eſſent futuræ aliter à Deo præſcirentur,& adhuc poſito ordine rerũ vt ſunt effectus à naturalibus naturaliter,à liberis liberè & contingenter in vtramuis partem eueniẽtes,ac ſi nulla eſſet Dei præſcientia;fit vt infallibilis illa Dei præſcientia,nullum omninò

Obiectio. præiudicium libertati arbitrii & contingentiæ rerum afferat. Verùm obiicies: poſito quod Deus præſciuerit Petrũ cras lecturum aut peccaturum, non poſſe Petrum cras non legere aut nõ peccare, ac proinde Petrum non eſſe liberũ; ſi enim poſſit, ergo poterit falli Dei præſcientia, quod eſt impium aſſerere. Reſp. Et ſi poſitâ Dei præſcientia quod petrus cras ſit peccaturus, verum ſit in ſenſu compoſito (vt loquũtur) quod

Solutio. non poſſit Petrus non peccare, hoc tamen minimè tollit liberum Petri arbitrium in peccando, quia ſemper verum eſt in ſenſu diuiſo, petrum poſſe non peccare: quia poſita Dei præſciẽtia quod Petrus cras ſit peccatur', proinde illud infallibiliter futurum ſit, manet tamen integra libertas in Petro ad peccandum aut non peccãdũ, ſicq; poteſt craſtina die non peccare; & vbi craſtina die peccabit, licèt infallibiliter poſita illa præſcientia nõ tamẽ neceſſario & coactè, ſed liberè & voluntario peccabit: non enim idcirco peccabit quia Deus præuidit, ſed ideo Deus præuiderat ipſum peccaturũ, quia verè erat pecca-

Obiectio. turus. Inſtabis, ſcientiam Dei eſſe cauſam rerũ quæ ſciuntur, non è contra: in quo differt à ſcientia creata, quæ non eſt cauſa rerum, cùm ipſius potius cauſæ ſint res. quare non eſt dicendum quòd Deus ſciat Petrum cras lecturum quia lecturus ſit, ſed potius cõtrarium aſſerẽdũ nẽpe ideò petrũ lecturum, quia Deus præſciuit.

Reſpondetur primo Quot modis ſcientia Dei dici poſſit rerũ cauſa. Verùm ad hoc tria reſpondemus in primis recte quidem ſcientiam Dei dici cauſam rerum, vt docet diuus Thomas hîc art 8. non tantùm quia ſcientia Dei eſt ipſa eius potentia

quæ eſt omnium cauſa, ſed etiam quia ipſa per ſe habent rationem cauſæ exemplaris & dirigentis, ſicut ars in mente artificis, tum etiam quia datur in Deo ſcientia practica quam ſupra appellauimus ſcientiam approbationis, quæ quatenus importat determinationem diuinæ voluntatis immediatè ſequentem, circa res producendas, vere dici poteſt rerum cauſa, & id quidem conformiter ſacris literis. Pſalmo. 113. *omnia in ſapientia feciſti* & Sap. 7. appellatur ſapientia Dei omnium rerum artifex.

Secundo. Quanam ſcientia Dei ſit cauſa rerum.

Alterum eſt ſcientiã Dei non dici proprie cauſam rerũ quatenus eſt ſcientia ſimplicis intelligentiæ, quia vt ſic conſiderat res tantum vt poſſibiles abſtrahendo ab ipſarum exiſtentia ac productione; neque etiam quatenus eſt ſcientia viſionis, quia vt ſic ſupponit res iam determinatas ad eſſe ſeu fieri per actum volũtatis diuinæ præcedentem ſed quatenus eſt ſcientia approbationis quæ immediatè præcedit determinationem diuinæ voluntatis.

Tertio. Scientia Dei non eſt totalis cauſa liberorũ actuum.

Tertium eſt quamlibet Dei ſcientiam non eſſe ſolam ſeu totalem cauſam rerum mere contingentium ſeu liberorum actuum, ſed etiam liberum arbitrium eſſe cauſam per ſe neceſſariò requiſitam ad tales actus, ac proinde poſita Dei præſcientia, non ſtatim neceſſario ſequuntur huiuſmodi actus: neque enim effectus ponitur niſi poſita totali eius cauſa: adde quod vt iam oſtendimus, ipſa Dei præſcientia, nullam vim infert libero arbitrio, imò nec ipſa determinatio diuinæ voluntatis, vt patebit

ex ſequenti diſputatione ſine qua diuinæ voluntatis determinatione, Dei præſcientia non poteſt dici cauſa efficax rerum futurarum; ſic enim docet D. Thomas hîc art. 9. ad 3. Dei ſcientiam eſſe cauſam rerum voluntate adiunctâ.

An Deus cognoſcat non entia.
QVÆSTIO VII.

COnſtat ex præcedentibus omnia entia extra Deum ſiue bona ſiue mala, ſiue vniuerſalia, ſiue præterita, ſiue præſẽtia, ſiue futura, eaque ſiue neceſſaria ſiue contingentia, diuino conſpectui patere. hîc autem quæritur de non entibus, vtrùm & quomodo à Deo cognoſcãtur. Quod vt intelligas, aduerte non entia dici poſſe dupliciter, primùm ea quę nec sũt, nec eſſe poſſunt, quę dicuntur impoſſibilia, verbi gr. baculus finitus ſine termino, & vniuerſaliter omnia quę inuoluunt contradictionem. Secũdo: Ea quę non ſunt & tamen eſſe poſſunt, quęque dicuntur eſſe ſecundum quid quatenus sũt in potentia Dei vel creaturę: & hęc rurſus ſunt duplicis generis: quædam licèt non ſint actu, attamen vel fuerunt vel erunt; quędam verò, neque vmquam fuerunt, neque futura ſunt. Hoc poſito,

Notandũ dupliciter.

Sit prima aſſertio: Ea quę non ſunt nec eſſe poſſunt, ſeu impoſſibilia nullo modo a Deo cognoſcuntur. Repugnat enim illud cognoſci quod nullo modo eſt cognoſcibile: at eiuſmodi non entia nullo modo ſunt cognoſcibilia, cùm nullo modo ſint entia aut vera; in tantum enim aliquid eſt cognoſcibile in quantum eſt ens ac verum.

Prima aſſertio probatur.

Obiicies

Obiicies forſan, Deum noſſe negationes & priuationes, verbi gratia, hominem carere perfectione Angeli: item hominem eſſe cœcum, cùm tamen res eiuſmodi numquam verè aut poſitiuè eſſe poſſint. Occurro, Deum iſtiuſmodi non entia cognoſcere non propriè, & ſecundum quod ſunt in ſeipſis, ſed ſecundùm quod ſunt in ſubiecto, ſeu quatenus Deus perfectè nouit, vera entia quibus competunt eiuſmodi negationes, & priuationes. *Obiectio.* *Reſponſio.*

Secunda aſſertio. Non entia quæ aut præterita ſunt, aut futura, cognoſcuntur à Deo per ſcientiam viſionis: quia cùm ſcientia Dei, ſicut & ipſa eius eſſentia æternitate menſuretur, quæ ſine ſucceſſione immutabiliter exiſtens, totum tempus comprehendit, hinc fit, vt præſens intuitus Dei feratur ſimul in totum tempus, ac in omnia quæ tempori ſubiacent æquè perfectè ac ſi illi eſſent realiter præſentia, vt aliàs docuimus. *Secunda aſſertio probatur.*

Tertia aſſertio: Non eſſentia quæ eſſe poſſunt, nec tamen vnquam futura ſunt, à Deo cognoſcuntur ſcientia ſimplicis intelligentiæ, iuxta illud ad Rom. 4. *Vocat ea quæ non ſunt, tamquam ea quæ ſunt.* Non dicuntur autem ea videri, inquit D. Tho. eo quod ea ſolum videri dicuntur propriè, quæ habent eſſe extra videntem, cuiuſmodi non habent poſſibilia quæ numquam futura ſunt. vnde iuxta D. Thom. entia poſſibilia concipiuntur terminare diuinam cognitionem non ſecundùm proprium ſuum eſſe, cùm nullum habeant, aut habuerint, aut habitura ſint. Porrò ex hac poſtrema concluſione, facilè colligitur Deũ cognoſcere infinita ſaltem ſcientiâ ſimplicis in- *Tertia aſſertio.*

Deus cognoſcit infinita.

telligentiæ, imò etiam aſſerimus Deum infinita cognoſcere per ſcientiam viſionis, quia per illam ſcientiam nouit Deus omnes cogitationes, & affectiones cordium futuras in creaturis rationalibus, vt in Angelis & beatis, quæ in infinitum multiplicabuntur; quò ſpectat iſtud Diui Auguſt. dictum. lib. 12. de Ciuitate 18. quamuis infinitorum numerorum nullus ſit numerus, non tamen incomprehenſibilis eſt ei, cuius ſcientiæ non eſt numerus. Cæterùm ex hoc quod Deus nouit omnia quæ ſunt in potentia creaturæ, ſequitur quod non tantùm nouit omnia entia ſimplicia, ſed etiam cōplexa, ſeu enunciabilia quæ ſunt in poteſtate intellectus creati, & tamen ſicut cognoſcit materialia immaterialiter, & ſucceſſiua ſimul & ſemel; ita cognoſcit complexa incomplexè, id eſt, non componendo aut diuidendo, ſed modo quodam ſimpliciſſimo.

Nouit etiā Deus entia complexa.

Qualis ſit ſcientia Dei.
QVÆSTIO VIII.

Tria hic de qualitate diuinæ ſcientiæ quæruntur.

HACTENVS explicatum eſt quid ſit, quotuplex, & quarum rerum ſit ſcientia Dei; nūc verò tādē quæritur qualis ſit. An, verbi gratia, ſit ſimplex, vel diſcurſiua, aut immutabilis vel mutationi obnoxia, an etiam ſpeculatiua ſit vel practica; quæ tria tribus ſequentibus aſſertionibus explicabuntur.

Prima aſſertio probatur.

Prima aſſertio. Scientia Dei eſt ſimpliciſſima tota ſimul abſque vlla ratiocinatione. Probatur hac ratione D. Thom. hic art. 7. cum duplex diſ-

curſus in ſcientiis reperiatur;alter ſecundũ ſucceſſionem, quo vnum poſt aliud concipitur; alter ſecundum cauſalitatem quo vnum ex alio ſeu per aliud intelligitur, neuter in Deo reperitur:non prior, quia Deus omnia ſimul videt, cũ omnia in vno ſimul omnia repręſentãre videat, nempe in ſeipſo;non etiam poſterior, tùm quia priorem ſaltem vt plurimùm ſupponit, tũ quia procedit ex noto ad ignotum, quod tamen in Deo minimè reperitur, neque enim ipſi vnum altero notius eſſe poteſt.

Secunda aſſertio. Scientia Dei ęſt immutabilis: quod probari poteſt imprimis iiſdem Scripturæ locis quibus ſupra probauimus Deum eſſe omnino immutabilem. Secundò probatur hac ratione D.Th.hîc art.15. Sciẽtia Dei eſt ipſius ſubſtantia ex q.1.huius diſputationis; atqui ſubſtãtia Dei eſt omninò immutabilis, vt oſtenſum eſt diſput. ſexta huius partis. Verùm obiicies, Deum poſſe plura ſcire ſaltem ſcientia viſionis, quàm nunc ſciat: ſi enim determinauiſſet plura facere, quàm quæ fecit, ſanè plura videret quã videat, ſicque ſciẽtiam Dei augeri poſſe ac proindè mutari. Reſpondemus, licèt vltrò concedamus in ſenſu diuiſo Deum poſſe plura ſcire ſcientia viſionis quàm ſciat, non tamen ſequeretur ſcientiam Dei fore tum perfectiorem quã nunc ſit, ſed tantùm importare relationem aliquam rationis ad aliquas creaturas, prout in aliqua tẽporis differẽtia exiſterẽt, quam nunc non importat. Quęres forsã, quid ſit, Deũ plura ſcire poſſe, quã ſcit ſciẽtiã viſionis in sẽſu diuiſo. Reſpõdetur nil aliud eſſe, quã Deum potuiſſe ab æ-

Secunda aſſertio probatur.

Obiectio.

Solutio.

Dubitatio.

Reſolutio.

Digitized by Google

terno plura intueri futura, quã nũc, & ab æterno intueatur, ſi plura fore determinaſſet, non tamen quod Deus in ſenſu compoſito poſſit plura ſcire quam ſciat, ita vt poſſit, ſcire aliqua poſtquàm eadem aliquando non ſciuerit. Verum inſtabis contrà; antequàm Chriſtus, verbi gratia, naſceretur, ſciebat Deus Chriſtum naſciturum, modo autem id non ſcit, aliàs enim ſciret falſum, ergo ſcientia Dei viciſſitudinem patitur. Reſpondeo in Deo eundem penitus eſſe conceptum Chriſti naſcituri, naſcentis, & nati. Namque ſimpliciſſimo intuitu videt nunc, viditque ab æterno natiuitatem Chriſti habere rationem præſentis, comparatione temporis in quo contigit, futuræ comparatione temporis antecedentis, & præteritæ comparatione temporis ſubſequentis, quare negandum eſt, Deum vnquam formaſſe hanc propoſitionem, eo modo quo ſolemus ſeparatim ab aliis temporum differentiis, ſed aſſerimus Deum noſſe ab æterno quod verum ſit, natiuitatem Chriſti futuram reſpectu temporis antecedentis ipſam, quod etiam nunc nouit.

Obiectio.

Solutio.

Tertia aſſertio. Scientia Dei de ſeipſo eſt tantum ſpeculatiua, cùm ipſe non ſit quid operabile, de aliis verò rebus, partim ſpeculatiua eſt, partim practica. De rebus quidem quæ fiunt aut futuræ ſunt, practica eſt, ſi finem ſpectes; ſpeculatiua verò ſi modum illas cognoſcendi; quidquid enim in rebus nos ſpeculatiuè cognoſcimus definiendo & diuidendo, hoc totum Deus multò perfectius nouit, de quibuſque rebus; etiam operabilibus. De rebus vero quæ nũ-

Tertia aſſertio.

Digitized by Google

quam futuræ ſunt, ſcientia Dei eſt etiam partim ſpeculatiua, partim practica; ſpeculatiua quidem, ſi tum modum illos cognoſcendi, cùm finem etiam cognitionis ſpectes; practica verò, ſi res ipſas operabiles (vt operabiles ſunt) conſideres. Vbi nota quod licèt mala non ſint ab ipſo operabilia, nihilominus tamen cadunt ſub ſciētiam eius practicam, inquantum illa permittit & ordinat ad aliquod bonum, vel quatenus illa etiam curat vel impedit, non ſecus ac morbi ſpectant ad ſcientiam practicam medici, quatenus ipſius arte curantur.

Quomodo mala cadunt ſub ſcientiam Dei practicam.

DVODECIMA DISPVTATIO.

DE IDEIS ET VITA DEI.

Cvm ideæ ſint rationes rerum in intellectu diuino atque intellectualis ſubſtantiæ, vita in intelligendo maximè poſita ſit, ideo doctrinæ ordo poſtulat, vt poſtquã de intellectu & ſcientia Dei diſputauimus nonnihil de ideis deque ipſius vita diſſeramus.

An ſint, & quid ſint ideæ in intellectu diuino.

Qvæstio I.

De idea ſeu exemplari in genere, quatenus pertinet ad genus cauſæ efficientis ac formalis dictum eſt in prima parte Phyſ. tr. 2. diſp. 1. q. 3. hîc autem de ideis diuinis ſpeciatim nonnulla breuiter diſquirenda ſunt; & quidem dubitationi propoſitæ duabus ſequentibus aſſertionibus ſatisfiet.

Digitized by

Prima aſſert.o. Prima aſſertio. Idea prout eſt in mente diuina eſt forma ſeu ratio externa rei cuiuſuis à Deo producibilis, eademque æterna & incommutabilis, ad quam reſpiciens Deus, rem ipſam efficit quodammodo illi ſimilem, habetque rationem tùm exemplaris, vt fiat res ipſa factibilis à Deo, cùm ſpeciei intelligibilis, vt ipſamet res cognoſcatur. *Probatur.* Quod igitur admittenda ſit eiuſmodi idea in mente diuina, probatur. Cum omne agens conetur ſibi ſemper ſimile producere, neceſſe eſt, vt in omni agente præexiſtat forma rei faciendæ; in agente quidem naturali, ſecundùm eſſe naturale, in agente verò artificiali ſeu intellectuali, ſecundùm eſſe intellectuale: atqui Deus eſt agens artificiale, ſeu intellectuale reſpectu omnium creaturarum, iuxta illud Pſalmiſtę *Omnia in ſapientia fecisti*; quare neceſſe eſt, vt habeat rerum omnium ideas, ad quarum ſimilitudinē ipſas producat. *Notandū quatuor eſſe conditiones ideæ diuinæ.* Vbi nota quatuor præcipuas conditiones requiri ad rationem ideę diuinæ quatenus eſt exemplar. *Prima.* Prima eſt, vt ſit forma rei extrinſeca, in quo differt à cauſa formali propriè dicta quæ eſt intrinſeca, vt aliàs docuimus in Phyſ. loco citato. *Secunda.* Secunda, vt ſit quid immutabile & æternum, in quo differt idea increata in mente ſupremi artificis, ab idea creata in mente cuiuſlibet inferioris artificis.

Tertia. Tertia, vt ſit principium cognitionis rei, non formale, ſed obiectiuum, non quo, ſed in quo tanquam in ſui ſimili res cognoſcatur, ita vt veluti obiectiuè terminet cognitionem artificis in quo differt idea ab intelligibili ſpecie, quæ quidem non terminat obiectiuè cognitionem.

Digitized by Google

Quarta, vt ſit etiam principium operationis per modum exemplaris, quandoquidem ad eius ſimilitudinem res debent effici, in quo differt idea propriè ſumpta pro exemplari, ab idea minus propriè ſumpta pro ſola ratione formali rei cuiuſuis cognoſcibilis, licet non procreandæ in mente artificis exiſtente. *Quarta.*

Secunda aſſertio Idea rei cuiuſuis producibilis à Deo, non eſt ipſa res etiam vt cógnita à Deo, vt putat Scotus in 1. ſent. diſput. 35. quæſt. vnica, ſed potius iuxta Diuum Thomam quæſt. 15. artic. 1. & 2. eſt ipſamet eſſentia diuina, vt cognita à Deo tanquam id ad cuius imitationem, ſeu ſimilitudinem quandam, res ipſa producitur, & in quo etiam res tanquam in quodam ſui exemplari à Deo cognoſcitur. Probatur hæc noſtra aſſertio primò authoritate Apoſtoli ad Hebræos 11. *Fide*, inquit, *intelligimus aptata eſſe ſecula Verbo Dei*, id eſt, vt præclarè explicat Diuus Thom. lectione ſecunda in illud caput, res omnes ita diuinitùs factas eſſe, vt planè reſponderent ſimilitudini, & quaſi imagini inuiſibili ipſarum quæ erat in ipſo conceptu diuino, ſeu Dei verbo. Secundò ratione; tùm quia idea eſt exemplar rei producendæ, ac proinde aliquid ab ea diſtinctum, ergo non eſt idem cum ipſa re cognita, ſed potius cum ipſa eſſentia diuina; tum quia prius eſt creaturas poſſe fieri diuina potentia, quam habere rationem entis; in tantùm enim aliquid eſt ens, inquantum à ſummo ente Deo eſſe aut fieri poteſt; ergo primum exemplar in quo

Secunda aſſertio.

Probatur authoritate.

Ratione probatur. Primò.

res à Deo fieri poſſe conſpicitur, atque à Deo in quo conſpicitur habere rationem entis, non eſt ipſamet natura creata, ſed potius eſſentia diuina in qua, virtute continetur, & cuius poteſt eſſe ſimilitudine quadam particeps. Si obiicias, exemplar, ſeu ideam dici, id quod artifex extra ſeipſum conſiderat, quod proindè obiectiuè tãtum & non ſubiectiuè in ipſo ineſt. Reſpõdeo, licèt exemplar conſideretur quaſi aliquid extra ipſum artificem, non tamen neceſſe eſt quod ſit verè extra ipſum; licèt tamen hęc ſit differentia quod idea quam quilibet particularis artifex conſiderat, ſit aliquid diſtinctum ab ipſius intellectu, nempè ſpecies ipſius expreſſa ſeu verbum mentis; niſi mauis dicere eſſe phantaſma expreſſum in ipſius imaginatione, quod etiam ab imaginatione ſeu phantaſia diſtinguitur: at verò idea diuina ſit planè idem cum intellectu & eſſentia diuina.

Obiectio.

Solutio.

Quot, & quarum rerum ſint ideæ in mente diuina.

QVÆSTIO II.

DVÆ adhuc ſuperſunt de idæis diuinis difficultates explicandę. Prior, an admittendæ ſint plures ideæ diuinæ in Deo: poſterior, an Deus habeat ideas omnium rerum, quas nouit, quibus enodandis duas ſequentes aſſertiones adhibebimus.

Prima aſſertio.

Prior aſſertio: Non repugnat admittere plures ideas in mente diuina, quæ aſſertio vt clariùs probetur, duo ſupponenda ſunt. Vnum eſt, ideã eſſe in mẽte diuina tanquã id quod intelligitur,

Digitized by Google

non verò id quo aliquid intelligitur, vt conſtat ex tertia cònditione ideæ diuinæ ſuperiùs allate. Alterum eſt non repugnare ſimplicitati intellectus diuini quòd plura cognoſcat, licèt repugnet quod per plura cognoſcat. His poſitis probatur noſtra aſſertio hac præſertim ratione: Eſſentia diuina à Deo cognoſcitur non tantùm ſecundùm quod in ſe eſt, ſed etiam quatenùs variis modis à creaturis participari poteſt, vnaquęque autem creatura, ſuam ſibi naturæ rationem vendicat, ſecundùm quam diuinę eſſentiæ ſimilitudinē refert. Cū igitur Deus ſuam ipſius eſſentiā intuetur ſecundùm aliquē modū quē imitari poteſt aliqua creatura, cenſetur eam intueri vt propriam rationem & ideam eiuſmodi creaturæ. Cùm igitur Deus propriam rei cuiuſque ideam in ſua ipſius eſſentia contēpletur, profectò plures rerum creatarum ideas in ſeipſo cognoſcit. Non igitur immeritò plures ideæ in Deo vulgo à Theologis admittuntur. Obiicies forſan, ſicut Idea eſt principium cognoſcendi & operandi eius in quo eſt, ita ars & ſapientia; atqui in Deo inſulſè quis dicèret eſſe plures artes aut ſapientias, pari igitur modo & plures Ideas. Repondeatur artem & ſapientiam eſſe id quo Deus intelligit, non verò id quod Deus intelligit, cuiuſmodi ſunt Ideæ, ideoque abſurdum eſſet adſcribere Deo plures artes & ſapientias, non verò plures Ideas. Ratio in promptu eſt; quia multiplicatio eius quod ſe habet vt obiectum cognitionis, nullam cognoſcentis imperfectionem arguit, ſed potiùs ſummam eius perfectio-

Probatur ratione.

Obiectio

Solutio.

Digitized by Google

nem indicat. at verò multiplicatio eius quod ſe habet vt principium cognitionis, nonnihil imperfectionis inuoluit: ſicut enim plura cognoſcere perfectionis eſt, ſic è contra pluribus egere ad cognoſcendum imperfectionis eſt.

Secunda aſſertio.

Poſterior aſſertio. Si Idea accipiatur vt eſt principium obiectiuum cognitionis, ſeu vt ratio rei, ſic omnium rerum, quas Deus nouit, admittēdæ ſunt ideæ: ſi verò accipiatur vt eſt principium operationis, ſeu vt exemplar, ſic docet D. Tho. earum tantùm rerum quæ actu fiunt eſſe ideas, non autem earum quę ſunt dumtaxat poſſibiles, & numquam fiunt. At verò nobis valde probabile videtur in Deo ideas eſſe rerum omnium etiam poſſibilium dumtaxat, quatenus idea eſt exemplar operis; ad id enim ſatis eſt quod ad ſimilitudinem ideæ res poſſit fieri, licèt numquam actu fiat: ſic enim intelligimus pictorem exemplar habere animo præconceptum eius imaginis, quam poteſt fingere, etſi eam nunquam pingat.

Notandũ.

Porrò nota (quamuis contrarium videatur ſentire D. Tho.) ſingularum indiuiduarum ſubſtantiarum ſicut & accidentiũ diſtinctas eſſe in Deo ideas, naturarũ verò vniuerſaliũ nō alias eſſe ideas ab ideis ſingulorũ: indiuidua enī per ſe cadũt ſub diuinam prouidentiam, diſtinctiſque productionibus fiunt, naturæ verò communes non niſi ſecundariò & per accidēs. Nota etiam ideam propriam eſſe totius compoſiti, non verò partium ex quibus conſtat; quia generatio per ſe eſt totius, non partium: ſed hęc de Idæis ſatis.

Notandũ.

Digitized by Google

An ſit in Deo vita.

QVÆSTIO III.

Etsi vita (quatenus in rebus phyſicis & naturalibus reperitur,) optimè definiatur, præſentia animæ in corpore, quam aliqua ſemper operatio comitatur, pro qua operatione animæ in corpore plerumque etiam vita vſurpatur, vti docuimus tertia parte Phyſicæ tractatu ſecundo, diſput. 2. quæſt. 6. nihilominus tamen latiùs hîc à Diuo Thoma & aliis Theologis accipitur, & quidem dupliciter: Primò, pro natura ſeu principio quo aliquid etiam in ſuo naturali ſtatu poſitum ſeipſum mouet ſecundũ quamlibet ſpeciem, motus etiam impropriè dicti, ſiue illud principium ſeipſum mouendi diſtinguatur ab eo quod ſeipſum mouet, ſiue non. Secundò, pro motu ſeu operatione immanenti quæ à tali principio procedit, ſiue diſtinguatur à tali principio, ſiue non; vtroque enim modo non tantùm rebus phyſicis viuentibus, ſed etiam ſpiritualibus ſubſtantiis, nempe animabus ſeparatis, & Angelis, immò & ipſi Deo, vita competit: quod probatur primò authoritate ſacræ Scripturæ Ioannis primo. *In ipſo vita erat.* & alias, *Sicut pater habet vitam in ſemetipſo, ſic filio dedit habere vitam in ſemetipſo.* Hinc paſſim in ſacris litteris Deus dicitur viuere, nominaturque viuens.

Vita deſcriptio.

Vita latè ſumpta duplex acceptio.

Prima.

Vitam eſſe inde probatur authoritate.

Secundò, ratione confirmatur in hunc

Ratione cõfirmatur

modum à diuo Thom, hîc quæſt. 18. artic. tertio: quia in eo maximè propriè eſt vita, quod cũ ſit actu maximè propriè, id eſt minimè dependenter ab vllo extrinſeco, ſeipſum mouet: Atqui Deus cùm ſit maximè actu, imo ſupremus actus independenter à quouis extrinſeco ſeipſum mouet, cũ reliqua omnia viuẽtia ab aliquo extrinſeco pendeãt in ſuis vitæ operationibus: quod ſic oſtenditur iuxta doctrinam Diui Th. ex triplici gradu viuentium; Idcircò enim plantæ infimum vitæ gradum tenent, quia omninò determinantur ab extrinſeco, nempe à principio ipſas procreante, tùm quoad formam quæ eſt principium ſui motus, tùm quoad finẽ eiuſmodi motus, cùm neutrum ſibi poſſint comparare, ſed ex ſe ſolum habeant ipſum motum; at verò brutæ animantes altiorem ſeu ſecundùm vitæ gradum obtinent, quia licèt ſuæ operationis finem ſibi ipſis nequaquam præfigere valeant, ſenſuum tamen beneficio poſſunt ſibi formam aliquam, nempe ſpeciem intentionalem, quæ eſt aliquod motus ſenſitiui principium ſibi comparare: & quidem aliæ aliis perfectiùs ſe mouent ac viuũt, quo ſunt præditæ perfectiori facultate ſentiendi, ad acquirẽdum ſibi illas formas ſenſibiles. Denique tertium ſeu ſummum vitæ gradum tenent intellectuales creaturæ, quia non ſolùm per ſe acquirunt formas intentionales quæ ſunt diuerſorum motuum principia, ſed etiam finem vt finem præcognoſcunt, illũque præſertim (ſi de intermedio fine ſermo ſit) ſibi pręſtituunt. Verùm quamuis intellectualis creatura ad aliqua

Quomodo ſe mouent viuentia Plantæ.

Brutæ animantes.

Intellectualis creatura.

ſe agat, nonnulla tamen ei à natura præfiguntur ſicut ſunt principia prima, circa quę non poteſt aliter ſe habere, & vltimus finis quem non poteſt non velle. Quare licèt quantùm ad aliquid ſe moueat: attamen neceſſe eſt quod quantùm ad aliqua ab alio moueatur. Illud igitur cuius natura eſt ipſum eius intelligere & velle, & cui non determinatur ab alio id quod naturaliter habet, illud inquam ſeipſum mouet, ſeu operatur in ſeipſo omnia maximè independenter: atqui eiuſmodi eſt Deus, cuius natura eſt ipſum intelligere & velle, vnde: cùm Philoſophus 12. Metaph. textu 51. oſtendiſſet Deum eſſe intelligentem, concludit ipſum habere vitam perfectiſſimam & ſempiternam, eò quod eius intellectus ſit perfectiſſimus & ſemper actu. *Deus omniũ perfectiſſime viuit.*

Vbi nota quod licèt vita pro operatione immanenti propria rationalis creaturæ ſumpta ſit communis tum intellectioni cùm volitioni; nihilominus tamen communiùs accipi pro ipſa intellectione; vnde ſolent gradus vitæ exprimi per ipſum intelligere & ſentire : adde quod intellectio, volitionis quoddam ſit veluti principium. Nota etiam vitam Analogicè dici de Deo & creaturis, quia in Deo tum natura tum operatio, quæ vitę nomine ſignificari ſolent, ſunt vnum & idem. At in creaturis diſtinguntur, in quibus vita primariò ſignificat naturam, ſecundariò verò operationem. *Notandũ.* *Notandũ.*

Digitized by

An omnia ſint vita in Deo.
QVÆSTIO IV.

Notandũ Creaturæ in Deo eſſe dicuntur tripliciter. Primò.

Ad intelligentiam propoſitæ quæſtionis notandum eſt quod creaturæ in Deo eſſe dicuntur tripliciter. Primò, ſicut in cauſa illas fouente & conſeruante, ſicque dicuntur eſſe in Deo, etiam ſecundùm proprias naturas; quomodo intelligi debet dictum Apoſtoli Actorum 17. *In ipſo viuimus, mouemur, & ſumus.* Secundò ſicut in prima cauſa eminenter omnia continente, & ſic ſunt in Deo, non vt ſunt in propriis naturis, ſed multo nobiliori modo quã in ſeipſis. Tertiò ſicut in intellectu omnia cognoſcente, quomodo etiam non ſunt in Deo ſecundùm proprias naturas, ſed ſecundùm proprias ipſarum rationes ſeu ideas, quæ ſunt ipſamet eſſentia diuina.

Secundò. *Tertiò.*

Aſſertio tenenda.

His poſitis. Reſpondemus quod omnia quatenus dicuntur eſſe in Deo ſecundo & tertio modo, ſunt in ipſo vita: ratio in promptu eſt: quia ſic in Deo ſunt ipſa eſſentia diuina, quæ eſt per ſe vita, cùm ſit ſuum ipſius intelligere & viuere, eoque ſenſu D. Tho. hìc accipit illud Ioan. 1. *Quod factum in ipſo eſt vita erat*, quem locũ ita legendum eſſe putat, iuxta Diuum Auguſtinum ſanctus Tho. licèt probabilius ſit iuxta Diuum Chryſoſtomum & alios patres legendum eſſe, *Et ſine ipſo factum eſt nihil quod factum eſt.* Lege Maldonatum in hunc locum.

Probatur.

Digitized by Google

DECIMA TERTIA DISPVTATIO.

DE VOLVNTATE ET AMORE DEI.

QVEMADMODVM duabus proximè precedentibus diſputationibus de intellectu & ſcientia Dei, deque iis quę ad hęc pertinent, nempe Ideis: & vita Dei dictum eſt: ita duabus ſubſequentibus de Volũtate & Amore Dei, deque iis quæ ad hæc pertinent, Miſericordia & Iuſtitia paucis diſſerendum eſt: & quidem prius de voluntate Dei & pręcipuo eius actu, nempe amore. Vbi nota cùm voluntas Dei dupliciter conſiderari poſſit, nẽpe in actu primo per modum facultatis, & in actu ſecundo per modum actionis, hic vt plurimum indiſcriminatim accipi, tum per modum facultatis, cùm per modum actionis.

Voluntas dupliciter accipi poteſt.

An in Deo ſit voluntas.

QVÆSTIO I.

IN Deo ineſſe voluntatem non modò fide conſtat ad Rom 12. *Vt probetis, quæ ſit voluntas Dei bona, beneplacens & perfecta.* Verum etiam ratione confirmatur, quia neceſſe eſt vt in quolibet habente intellectum inſit voluntas, ſicut in quolibet habente ſenſum ineſt appetitus naturalis. Natura enim intellectiua ad bonum apprehenſum per formam intelligibilem ſimilem habet habitudinem ei quã habet

Aſſertio tenenda Probatur authoritate & ratione.

An recté in Deo diſtinguatur voluntas ſigni & voluntas beneplaciti.

QVÆSTIO II.

ETſi vnica ſit in Deo voluntas, quia tamen variè à nobis conſiderari poteſt ſecundùm varios reſpectus ad diuerſa obiecta, idcirco variè ſolet à Theologis diuidi, & nonnumquam pluraliter ſignificari in ſacris litteris Pſalmo 102. *Notas fecit vias ſuas Moiſi, filiis Iſrael voluntates ſuas.*

Itaque volũtatẽ Dei primò diuidũt Theologi, in voluntatẽ ſigni, & volũtatem beneplaciti, de qua diuiſione nonnihil hîc à nobis dicendũ eſt. Sciendum igitur eſt imprimis non eſſe illam diuiſionem vniuoci in vniuocata, ſed analogi in analogata; docet enim Sanctus Thomas hîc qu. 19. art. 11. voluntatem beneplaciti Deo propriè competere, volũtatem verò ſigni non niſi metaphoricè. Illa enim eſt ipſa inclinatio & propẽſio Dei in omne bonum, hæc verò eſt vel eſſe poteſt ſignum diuinę voluntatis: ſic pręceptum diuinum quod apud nos ſcriptum vel traditum ſeruatur, appellatur volũtas Dei, vt Matthæi 6. *Fiat voluntas tua ſicut in cælo & in terra*; nõ quod ipſum pręceptũ ſit formaliter volũtas Dei, ſed quod apud nos ſoleat eſſe ſignum noſtræ volũtatis: ſicut quod in nobis eſt ſignum alicuius paſſionis, v. g. irę, in Deo nomine illius paſſionis ſignificatur; ſic enim punitio vel vĩdicta, quę eſt plerumque iudicium iræ apud nos, ſignifica-

Prima diuiſio diuinæ voluntatis.

Quid ſit voluntas ſigni, & quotuplex.

Digitized by Google

tur in Deo nomine iræ, quę ipſi nõnũquã tribuitur, non quòd Deus propriè iraſcatur, ſed quod vere puniat, & vindictã ſumat de peccatis, quod nõ niſi irati homines facere ſolent: itaque ſigna voluntatis dicuntur voluntates diuinę, nõ quia ſemper ſint ſigna, quod Deus ſimpliciter & abſolutè velit, ſed quia in nobis ſolent eſſe ſigna volendi: Exempli gratia, præceptum dilectionis erga proximũ non eſt ſignum quod Deus id abſolute velit; ſi enim illud abſolute vellet, id ipsũ procul dubio eueniret, ſed dicitur ſignum diuinæ voluntatis, quaſi illud ipſum pręceptum ab homine fieret, ſignum eſſe quod homo illud abſolutè vellet.

Porrò iſta ſigna voluntatis quinque vulgò aſſignantur à Theologis, nempe, præceptum, prohibitio, permiſſio, conſiliũ, operatio, appellanturque ab aliis, vt à diuo Thoma hîc art. 2. quinque ſigna diuinæ voluntatis, quæ hoc verſiculo cõtinẽtur pręcipit, ac prohibet, promittit, cõſulit, implet: ea autem eſſe quinque, nec plura, nec pauciora, probatur: ſigna enim voluntatis dicuntur ea, quibus conſueuimus demõſtrare nos aliquid velle, poteſt autem quiſpiam iudicare ſe aliquod velle, vel per ſeipſum, vel per alium: per ſeipſum quidem, inquantum facit aliquid, idque vel directè vel indirecte: directe quidẽ cũ per ſe aliquod operatur, & quãtũ ad hoc, dicitur eſſe ſignum, operatio; indirectè autem inquantũ non impedit operationem, & quantum ad hoc dicitur ſignum, permiſſio; per aliũ verò quis declarat ſe aliquid velle ordinando aliũ ad aliquid, idque vel neceſſaria inductione, vel perſuaſoria;

Quinque eſſe ſigna diuinæ voluntatis probatur.

ſi neceſſaria inductione, vel ordinat ſeu inducit ad agendum, quò ſpectat præceptum, vel ordinat, ſeu inducit ad non agendum, quò ſpectat prohibitio: ſi verò ſuaſoriè inducat ad aliquid agendum, aut non agendum, erit cōſilium: quia igitur hîc quinque modis poſſumus declarare nos aliquid velle, idcircò iſta quinque nōnūquam metaphoricè ſignificantur nomine voluntatis diuinæ, quaſi ſint ſigna diuinæ voluntatis. Si quæras, an his ſignis reſpondeat Deo formalis & proprius actus, ſicut cuilibet teſtamento & contractui reſpōdet aliquis actus voluntatis in teſtante & contrahente. Reſpondetur, licèt Deus non sēper velit quod præcipit aut cōſulit, vt cū Geneſeos 22. præcipit Abrahamo immolationē Iſaac, quā tamē nō volebat; quia tamē vult Deus præcipere vel cōſulere, cùm aliquid præcipit aut conſulit, idcircò dicimus cum diuo Thoma iſtiuſmodi ſignis reſpondere sēper actū aliquē in Deo, idemque dici debet de aliis ſignis.

Quod ſpectat ad voluntatem beneplaciti, ea vulgo duplex aſſignatur ex diuo Damaſceno libri ſecūdi de fide orthodoxa c. 29: vt refert hîc Sanctus Thomas q. 19 ar. 6. nempe antecedens & conſequens: quas voluntates licèt varij variè explicent, plus tamen cæteris, nobis arridet explicatio ſācti Thomæ loco citato, vbi pręclarè docet diſtinctionē hanc nō accipi ex parte ipſius voluntatis diuinæ, in qua nihil eſt prius vel poſterius, ſed ex parte volitorū. Ad cuius rei intelligētiā cōſiderādū eſt vnūquodq; in tātū eſſe volitū à Deo in quātū bonū eſt, poteſt autē aliquid in prima ſui conſideratione & abſolutè ſpectatū *Notandū.*

Digitized by Google

videat bonum vel malum, quod tamen ſi cum aliquibus circunſtantiis veluti ſecundario & conſequenter cõſideretur, cõtrario modo ſe habet; ſic hominem viuere eſt bonũ, & hominem occidi eſt malum ſecundùm primariam & abſolutam conſiderationem, at verò ſi conſideretur quòd aliquis homo ſit homicida, vel reipublicę hoſtis, tum ſecundùm ſecundariam hanc & veluti conſequentem conſiderationem, bonum erit eum occidi, & malum erit eum viuere: quare meritò dici poteſt, quod iudex antecedenter vult omnem hominem viuere, & tamen vult cõſequẽter homicidã ſuſpẽdi. Haud ſecus planè Deus antecedẽter vult omnẽ hominẽ ſaluari, & tamen idem conſequenter vult nonnullos quatenus mali ſunt damnari: & quoniam id ſolum ſimpliciter volumus quod in particulari, conſideratis omnibus eius circunſtantiis volumus, quod eſt conſequẽter velle, hinc eſt quod non ſimpliciter, ſed tantùm ſecundùm quid volumus illud quod antecedenter volumus: vnde hæc magis dici debet velleitas (inquit ſanctus Thomas ibidem) quàm abſoluta voluntas. Vbi nota voluntatem Dei conſequentem hîc dici abſolutam, quatenus opponitur voluntati ſecundùm quid, non verò quatenus opponitur voluntati hypotheticę. Neque enim ex mente diui Thomæ voluntas Dei antecedẽs, vt hîc ſumitur, dici poteſt propriè hypothetica, licèt ſub alia conſideratione ita appellari poſſit, ſed tantùm hîc appellatur à D. Th. voluntas ſecundùm quid: quàm proinde fieri non eſt neceſſe, vt ibidem concludit ſanctus Doctor.

Deus antecedenter vult aliquem ſaluari quem conſequenter & abſolute vult damnari.

Quomodo voluntas conſequens dicatur abſoluta.

Digitized by Google

Quænam cadant ſub voluntatem Dei.
QVÆSTIO III.

QVoniam meritò quæri poteſt, vtrùm Deus aliquid extra ſe poſſit velle, & præterea vtrùm poſſit velle malum æque ac bonum, & quidem tam malum culpæ, quam malum pœnę; idcirco non niſi pluribus aſſertionibus difficultas hæc enodari poteſt.

Sit igitur prima aſſertio ex D. Th. hîc art 2. Deus non ſolùm ſeipſum vult, ſed etiam alia à ſe, idque propter ſeipſum tamquam propter ipſorum finem: probatur primò authoritate ſacræ Scripturæ Sap. 11. *Diligis omnia quæ ſunt.* Et primæ ad Theſſal 4. *Hæc eſt voluntas Dei ſanctificatio veſtra.* Secundo ratione: Sicut enim res naturalis per naturalem appetitum non tantùm inclinatur in bonum proprium, vt illud acquirat, velut in ipſo conquieſcat, ſed etiam vt ipſum alteri quantum fieri potèſt communicet, quo fit vt inquantum aliquid eſt actu & perfeſectum ſibi ſimile faciat, ita res intellectiuæ, ex quibus inprimis eſt Deus, pet voluntatem inclinantur, non tantùm vt proprio fruantur bono, ſed etiam vt illud aliis communicent quantum fieri poteſt: quòd ſi hoc ad cuiſque rei perfectionem pertineat, vt bonum ſuum, aliis quantùm poteſt, communicet: non videtur negandum quin pertineat ad perfectionem diuinæ voluntatis, quod per aliquam ſui communicationem declaretur ipſius perfectio, licèt illa communicatio non ſit vlla per ſe diuinitatis

Prima aſſertio.
Authorit. probatur.
Ratione.

Nota. perfectio: ſic igitur Deus vult ſe & alia, ſed ſe vt finem aliorũ, alia verò vt ad finem, itaut nõ ſolũ bonum increatum, ſed alia quoque bona creata ſimul cum increato, voluntatem Dei, inſtar totalis obiecti terminẽt. vbi nota bona creata terminare voluntatem Dei non tantùm ſecundùm illud eſſe eminens quod habẽt in ipſo Deo, ſed etiam ſecundùm ſuum eſſe proprium, quod habent extra Deum, hoc enim ipſum probat ratio allata. Porrò, cùm Deus alia à ſe non velit, niſi propter finem qui eſt ſua bonitas, tota autẽ ratio mouendi ſit finis, non ſequitur quod aliud moueat voluntatẽ Dei, primò & per ſe niſi bonitas ſua: & ſic ſicut alia intelligit intelligendo ſuam eſſentiã, ita alia à ſe vult volẽdo bonitatẽ ſuam, id eſt, non aliud quicquam vellet, niſi ſuã ipſius bonitatem vellet, & eodem actu voluntatis quo fertur in ſeipſum fertur quoq; in alia, ſed primariò in ſeipſum, ſecũdariò verò in alia, quo fit vt ſicut intelligere diuinũ eſt vnũ, quia Deus multa non videt niſi in vno, ita velle diuinum ſit vnum, quia multa non vult niſi per vnum, quod eſt ipſius bonitas.

Secunda aſſertio probatur. Secũda aſſertio. Deus non vult per ſe & formaliter malũ vllũ, quod aſſerit ſanctus Doctor hîc quæſtione 19 art 9. probatq; hac ratione quod fieri nequaquã poſſit, vt vllus appetitus ſiue naturalis, ſiue animalis, ſiue rationalis per ſe & formaliter feratur in id quod nullo modo eſt per ſe appetibile, eiuſmodi eſt malũ, cũ malũ vt ſic per ſe opponatur bono, cuiꝰ ratio formalis eſt ratio appetibilis, & hoc ipsũ aliàs docuimꝰ in Ethicis 1. part. tract. 1. diſp. 1. q. 3.

Tertia aſſertio. Tertia aſſertio. Deus vult per accidẽs malum

pœnæ,& etiã malũ naturalis defectus quatenus vult per ſe aliquod bonũ cui coniũgitur huiuſmodi malũ,quod quidẽ bonũ eſt maius eo bono quo malum iſtud priuat:ſic enim Deus vult malũ pœnæ,quatenus vult iuſtitiã,quæ eſt mai⁹ bonũ quã illud,quo pœna priuat eũ qui punitur:ſic etiã vult Deus res quaſdã naturales interire quod eſt malũ naturalis defectus,quatenus vult ſeruari ordinẽ naturæ,qui abſque vllo rerũ corruptibiliũ interitu incolumis ſtare nõ poſſet: eſt autẽ conſeruatio ordinis vniuerſi maius bonũ,quã ſit incolumitas rei cuiuſpiã ſingulari cui ipſius interitus opponitur. Cõfirmatur hæc aſſertio diui Thomæ loco citato his ſacræ ſcripturæ locis,quibus ſignificatur, Deum efficere ac proinde velle quædã mala,quę loca nõ poſſunt intelligi niſi de malis pœnæ,quatenus per accidens cadũt in voluntatẽ Dei;ſic Deuter 32. *Congregabo ſuper eos mala,&c.* Iſaiæ 43. *Ego Dominus creãs malũ.* Ieremię 36. *Adducã ſuper eos omne malũ quod loquutus ſum.* Amos 3. *Si erit malum in ciuitate, quod non fecerit Dominus.* *Comprobatur authoritate.*

Quarta aſſertio. Deus nullo modo vult malum culpæ neque per ſe,neq;per accidẽs,etiã ſub ratione alicuius boni;quæ aſſertio eſt etiã D. Th. loco citato,militatque aduerſus impium errorem quorundam tum recentium,tum veterum hæreticorum,qui contendunt Deum velle peccatum in ſe tanquam obiectum materiale & immediatum & per ſe ſuæ voluntatis, ſub formali tamen ratione boni, quatenus illud ordinatur ad aliquod bonum , ſicut ipſe iuſtiſſimè vult malum pœnæ ſub ea formali *Quarta aſſertio.*

ratione quę poſita eſt in reſpectu & habitudine ad bonum iuſtitię diuinę. Et ſic licèt dicant Deum non velle mala vt mala ſunt, aiunt tamen Deum velle mala eſſe, & fieri, quia licet mala non ſint bona, bonum tamen eſt (inquiunt) mala eſſe vel fieri, nempe vt inde eueniant bona.

[Pr]obatur authoritate. Aduerſus hunc errorem confirmatur hæc noſtra aſſertio: primò authoritate ſacræ Scripturæ, quæ paſſim teſtatur Deum odiſſe malum culpę, vt Pſalmo 5. *Non Dominus volens iniquitatem tu es* Pſalmo 44 *Dilexiſti iuſtitiam, & odiſti iniquitatem* Sapientię 14. *Similiter odio ſunt Deo impius & impietas ipſius.*

Secundò probatur ex communi conſenſu Patrum, vt Irenei lib. 4. cap. 47. Baſilii Homelia Quod Deus non eſt author peccati: Gregorii Nazian. oratione prima cōtra Iulianum: Theodoreti in epitome diuinorum decretorum cap. de Antichri. & cæterorũ. lege Conciliũ Tridentinũ, ſeſſ. 6. canone 5. vbi error ille dãnatus eſt.

Confirmatur ratione Tertiò ratione hac probatur à diuo Tho. hîc. Tunc malum aliquod poteſt rectè appeti per accidens, ſub aliqua nimirũ ratione boni, quãdo bonũ cũ quo cõiunctũ eſt, magis eſt appetibile quàm bonum illud quo priuat, ſed nullũ bonũ cũ quo ſit cõiũctũ malũ culpæ eſſe poteſt magis appetibile quàm bonũ illud quo priuat malum culpæ, quia nullũ bonũ eſt magis appetendum quã bonũ diuinũ, & rectus ordo creaturæ pręſertim rationalis ad illud in quo ordine poſita eſt ratio totius boni honeſti, hac autẽ boni honeſti ratione priuat malum culpæ, imò etiam quantum eſt ex ſe, tollit ipſum bonũ diuinum, tum quia per malum culpæ pręſertim morta-

Nota quã graue ſit malum culpæ.

Digitized by Google

lis conſtituit ſibi homo alium vltimum finem, quàm ipſum ſummum bonum, tum quia, quantum in ſe eſt Deum contriſtat, & priuat ſumma fœlicitate, quæ eſt illi naturalis & intima. Loca verò ſacrę Scripturæ quæ in contrarium adduci poſſent, vel explicanda ſunt de malo pœnæ, non culpæ, vel de voluntate Dei permiſſiua, non poſitiua, vel de ordinatione malorum ad bonum; non autem de voluntaria Dei complacentia in illis. Cùm autem in iiſdem ſacris litteris ſignificatur Deum nonnumquam homines excæcare, indurare, in errores & peccata inducere: non eſt quod Deus velit excæcationem aut indurationem cordis, neque quod velit hominum peccata & errores; ſed quod ipſe occulto quidem, iuſto tamen iudicio ſuo ſubtrahat illis quamdam gratiam ſingularem, quam non teneatur omnibus dare, per quam homines vitarent peccata & errores, & ſic permittat eos labi. Item quòd ipſis offerat occaſiones non per ſe malas, quibus eos abuſuros eſſe præſcit, licèt non eo fine eas ipſis offerat.

Solutio locorum ſacræ ſcripturæ.

Excæcatio & Induratio.

Obiicies illud: Videmur velle per accidens, cùm aliquid per ſe volumus cui illud annexum eſt: atqui Deus per ſe vult ſubſtantiam actionis malæ, cui tamen malitia adiuncta eſt: ergo vult ipſam malitiam per accidens. Reſpondemus hoc modo aliquid velle per accidens, non eſſe propriè velle, neque enim dici poteſt voluntas Dei ferri in ipſum malum, quod bono adiunctum eſt; at verò noſtra voluntas non tantùm fertur in bonum, quod eſt adiunctum malo, ſi-

Obiectio.

Solutio.

Digitized by Google

cut & voluntas Dei, ſed etiam in malum quod eſt adiunctum bono quatenus habet ſpeciem boni, cùm tamen verè non ſit bonum, quod non poteſt dici de voluntate Dei, quæ cùm falli non poſſit, nequaquam poteſt ferri in malum ſub ſpecie boni. Reſpõderi etiam poteſt Deum quidem velle ſubſtantiam actus mali, vt eſt aliquid phyſicum, non verò vt eſt aliquid morale ſeu voluntarium, aut ſaltem non vt adiunctum malitiæ, ſeu defectui voluntario; At verò homo vult ſuam actionem malam, vt voluntariam, & etiam vt adiunctam malitiæ ſeu defectui voluntario. Vbi obiter nota voluntarium ex ſe non dicere aliquid poſitiuum in ipſo peccato, vt patet manifeſtè in peccato omiſſionis, quod verè eſt voluntarium, vt aliàs docuimus.

Alia ſolutio.

Nota.

Qualiter ſe habeat voluntas Dei circa ea quæ vult.

QVÆSTIO IIII.

DVbitare quiſpiam poſſet quomodo velit Deus ea quæ vult; an neceſſariò, vel liberè; an etiam immutabiliter, vel ſecus. Cui dubitationi tribus ſequẽtibus aſſertionibus ſatisfiet.

Prima aſſertio.

Sit igitur prima aſſertio Diui Thomæ, hîc art. 3. Deus vult ſeipſum neceſſariò & non liberè. Deus enim (inquit Sanctus Thomas) vult neceſſariò ſuam bonitatem, quæ eſt ſua ipſius eſſentia, cùm neceſſariam includat habitudinem ad ipſam. vt potè quæ ſit proprium eius obiectum, ſicut & volũtas noſtra ex neceſſitate vult beatitudinem & quælibet alia potentia, neceſſariò fertur in ſuũ propriũ, & principale obiectũ,

Ratione probatur.

niſi ab aliquo impediatur, vt viſus in colore. Cùm autem non tantùm bonitas, ſed etiam voluntas Dei in actu ſit ipſa Dei immutabilis natura, ſeu eſſentia, hinc fit vt adeò neceſſariò ſe Deus velit, vt nec tantillùm ab ea volitione ceſſare poſſit, alioquin ſequeretur aliqua mutatio in ipſo, ſicque hæc aſſertio veriſſima eſt, non tantùm de neceſſitate quoad ſpecificationem actus, ſed etiam de neceſſitate quoad exercitium actus, vt vocant.

Secunda aſſertio Diui Thomę, Deus vult alia à ſe omninò liberè, proindeque non neceſſariò niſi ſecundùm quid & ex ſuppoſitione, ex quo ſequitur in Deo eſſe liberum arbitrium, quod docet D. Th. hîc art. 10. cùm nil aliud ſit quàm voluntas ipſa, quatenùs fertur liberè in aliqua. probatur hæc noſtra aſſertio Eccleſ. 39. *Si Deus magnus voluerit, ſpiritu intelligentiæ replebit illum*, & ad Epheſios 1. *Qui operatur omnia ſecundum conſilium voluntatis ſuæ*. Ad Rom. 9. *Vt ſecundùm electionem propoſitum Dei maneret*. *Secunda aſſertio.* *Probatur authoritate.*

Secundò ratione hac D. Th. alia enim à ſe vult Deus inquantùm ordinantur ad ſuam bonitatē vt in finem: ea autem quę ſunt ad finem non ex neceſſitate volumus volentes finem, niſi ſint eiuſmodi vt ſine illis finis haberi non poſſit, ſicut quia omninò neceſſarius eſt cibus ad vitæ conſeruationem, quicumque vitam tueri vult, neceſſariò debet cibū capere. Et quia omninò eſt neceſſaria nauis ad transfretandum, quicumque vult transfretare, neceſſariò debet nauim conſcendere; at verò quia equus non eſt omninò neceſſarius ad iter conficiendum, licèt multùm ad id conferat, idcirco qui vult *Ratione confirmatur.*

Digitized by Google

iter conficere non neceſſariò debet equum aſſumere, idemque dici debet de aliis. Cùm igitur Deus ſua ipſius bonitate perfectiſſimè fruatur abſque aliis rebus extra ſe, ſequitur non eſſe abſolutè neceſſarium quod velit alia extra ſe, licèt dici poſſit neceſſarium ex ſuppoſitione; ſuppoſito enim quod velit aliquid, non poteſt vnquam illud non velle; quia voluntas eius non poteſt mutari, vt ſequenti aſſertione patebit.

Obiectio. Verùm obiicies: Sicut ſcientia diuina eſt ipſius Dei eſſentia, ita quoque voluntas diuina. Ergo ſicut ſcientia diuina idcircò eſt neceſſaria, quia eſt ipſa Dei eſſentia, ita quoque voluntas diuina erit neceſſaria. Sicut igitur quidquid Deus ſcit, illud ex neceſſitate ſcit (ſaltem ſcientiâ ſimplicis intelligentiæ) ſic quoque quidquid Deus vult, illud ex neceſſitate vult.

Solutio. Reſpondemus nos vltrò concedere quod ſicut diuinum eſſe, eſt in ſe neceſſarium, ita & diuinum ſcire & diuinum velle, non tamen ſequi quod ſicut diuinum ſcire habet neceſſariam habitudinem ad ſcita, ita quoque diuinum velle habeat habitudinem neceſſariam ad volita. Et ratio eſt, quia ſcientia habetur de rebus ſecundùm quod ſunt in ſciente, voluntas autem comparatur ad res ſecundùm quod ſunt in ſeipſis: quia igitur omnia habent neceſſarium eſſe, quatenùs ſunt in Deo, non autem quatenus ſunt in ſeipſis, hinc fit vt diuinum ſcire importet neceſſariam habitudinem ad ſcita, non autem diuinum velle ad volita, quamuis vtrumque ſit in ſe neceſſarium, ſicque Deus

Digitized by Google

quæcumque ſcit ſcientia ſimplicis intelligentiæ ex neceſſitate ſciat, non autem quæcumque vult, ex neceſſitate velit.

Cæterùm, quòd ipſum velle diuinum, licèt ſit in ſe neceſſarium, non tamen importet neceſſariam habitudinem ad volita, non provenit ex vllo defectu ipſius diuinæ voluntatis, ſed ex defectu rei volitæ, quæ quatenùs creata talis eſt vt ſine ea poſſet eſſe Dei perfecta voluntas, quo fit vt voluntas diuina reſpectu volitorum non debeat dici contingens, ſed libera, quia nomen illud contingentiæ denotat imperfectionem quandam in re vel cauſa quę cõtingens dicitur.

Tertia aſſertio. *Probatur ſimul & explicatur.*

Tertia aſſertio. Quæcumque vult Deus, vult immutabiliter. *Neque enim eſt Deus quaſi homo vt mentiatur, neque vt filius hominis vt mutetur.* Numerorum 23. idque ſibi vult Sanctus Doctor cùm docet hîc art. 7. voluntatem Dei eſſe immutabilem, hoc eſt, voluntatem Dei non habere potentiam ad oppoſita in ſenſu compoſito ſucceſſiuè, ita vt poſito quod Deus ab æterno voluerit aliquid pro aliquo tempore, non poſſit poſtea illud non velle pro eodem tempore, ſed neceſſariò id ex hypotheſi velit ſemper quod voluit, & nolit ſemper quod noluit. Dixi, voluntatem Dei non habere potentiam ad oppoſita in ſenſu compoſito, quod eſt eſſe immutabilem, quia certum eſt ex præcedenti aſſertione voluntatem Dei habere potentiam ad oppoſita in ſenſu diuiſo, quod eſt eſſe liberam; habere autem potentiam ad oppoſita in ſenſu diuiſo, nil aliud eſt, quàm diuiſiuè poſſe velle, & non velle idem, quod conci-

Digitized by

pimus eſſe in diuina voluntate priuſquam concipiamus illam ſe liberè determinauiſſe ad alterum oppoſitorum.

Notãdum. Notandum eſt autẽ ex Diuo Thoma loco citato, quod aliud eſt mutare voluntatem, & aliud eſt velle aliquarum rerum mutationem: poteſt enim aliquis eadem voluntate immobiliter permanente velle quod nunc fiat hoc, & poſtea fiat contrarium, ſed tunc voluntas mutaretur ſi aliquis inciperet velle, quod priùs non volebat: quod in Deum nequaquam cadere poſſe, probatur in hunc modum à Diuo Thoma; Poteſt (inquit) aliquis de nouo incipere aliquid velle, ob alteram duarum cauſarum: vna eſt cùm aliquid incipit de nouo, alicui eſſe bonum, quod non poteſt accidere abſque aliqua ipſius mutatione, ſicut algeſcenti incipit bonum eſſe ſedere ad ignem, quod priùs non erat; altera cùm incipit aliquis noſſe quidpiam eſſe ſibi bonum quod antea neſciebat; atqui neutrum poteſt Deo tribui, cùm ex antedictis conſtet Deum eſſe immutabilem, eiuſque ſcientiam eſſe omnimodam. Adde quod Deus non niſi per ſuam entitatem velit, entitas autem Dei ſit omninò immutabilis, vt aliàs oſtenſum eſt, nempe Diſput. 6. huius tractatus qu. prima. repetantur ſi placent quæ illic diximus.

Obiectio. Obiicies, Deum expreſſis verbis ſignificare ſe mutare conſilium & voluntatem, Hieremiæ 18. *Si pœnitentiam egerit gens illa à malo ſuo, agam & ego pœnitentiam ſuper malo quod cogitaui vt facerem ei.*

Solutio. Reſpondeo, Deum in ſacris literis multa cõminari, licet non habeat voluntatem abſolutam

Digitized by Google

adimplendi ea: quia ergo homines, quando non implent quod comminati ſunt, pœnitere, ac cõſilium ſeu voluntatem mutare ſolent; idcirco Deus metaphoricè dicit ſe pœnitentiam acturum, ad ſignificandum quod non implebit id quod comminatus fuerat. Inſtabis forſan, fieri non poſſe, vt Deus aliquid comminetur quod nolit implere, ſequeretur enim Deum non dicere verum, cùm comminatur aliquid eſſe futurum, quia illud ex hypotheſi verè non eſt futurum. Reſpondeo, licèt id quod Deus comminatur nunquam ſit futurum abſolutè & ſimpliciter, poſitis omnibus circunſtantiis, eſt tamen futurum conditionaliter, poſito quod hoc aut illud eueniat aut non eueniat, & ſic cõminatio Dei cõditionaliter eſt vera, immò etiam poteſt Deus illud quodammodò velle, nempè voluntate antecedenti, licèt illud abſolutè & ſimpliciter non velit, nẽpè voluntate conſequenti, ſicut etiam poteſt aliquid nolle voluntate antecedenti quod vult voluntate conſequenti, vt aliàs docuimus: poteſt enim Deus nonnunquam aliquid velle voluntate antecedenti ſecundùm diſpoſitionem cauſarum ſecundarum, ſiue naturalium, ſiue moralium, quod tamen non vult voluntate conſequenti, ſecundùm abſolutam ordinationem ſeu determinationem æterni ſui conſilij, & è contrà.

Inſtantia.

Solutio.

Comminatio Dei de re non futura quomodo ſit vera.

Digitized by Google

An aliqua poſſit eſſe cauſa diuinæ voluntatis.

QVÆSTIO V.

QVæſtionis propoſitæ ſenſus eſt, vtrùm aſſignari poſſit aliqua cauſa diuinæ volitionis, quæ ſit veluti ratio effectiua cur Deus aliquid velit, aut cur vnum potiùs quàm aliud velit.

Aſſertio tenenda. Ratione probatur. Cui reſpondet ſanctus Doctor, divinæ voluntatis ſeu volitionis nullam poſſe aſſignari cauſam; Ratio eſt, quòd cùm voluntas conſequatur intellectum eodem modo contingit eſſe cauſam alicuius volẽtis vt velit, & alicuius intelligentis vt intelligat; intellectus autem ſic ſe habet, vt ſi ſeorſim intelligat principium, & ſeorſim concluſionem, tunc in ipſo intelligentia principii ſit cauſa ſcientiæ concluſionis; ſi verò in ipſo principio inſpiciat concluſionem vno veluti intuitu, tunc in ipſo ſcientia concluſionis non cauſatur ab intelligentia principiorum, quia idem non eſt cauſa ſuiipſius; & tamen ſi ita res haberet, intelligeret principia eſſe cauſas concluſionis: Pari modò, cùm finis ſe habeat ad ea quæ ſunt ad finem, ſicut principia ad concluſiones; ſic voluntas vno actu velit finem, & alio actu ea quę ſunt ad finem, tunc ipſa volitio finis erit ei cauſa volendi ea quæ ſunt ad finem: ſed ſi vno actu velit finem & ea quæ ſunt ad finem, hoc eſſe non poterit, quia idem non poteſt eſſe cauſa ſuiipſius, & tamen poterit

Digitized by Google

poterit velle in finem ordinare ea quæ ſunt ad finem. Quoniam igitur Deus ſicut vno actu intelligit omnia, ſic vno actu vult omnia, cùm nulla poſſit in Deo eſſe multiplicitas, vt aliàs oſtenſum eſt; hinc fit vt ſicut in ipſo intelligere cauſam, non eſt cauſa intelligendi effectus; ſic in ipſo velle finem, non eſt cauſa volendi quæ ſunt ad finem: vult tamen Deus ea quæ ſunt ad finem ordinari in finem. Quare vult Deus (vt concludit ſanctus Thomas) *hoc eſſe propter hoc, ſed non propter hoc vult hoc.*

Si igitur quæras, vtrùm verè dici poſſit quod Deus velit vnum propter aliud. Reſpondeo: ſi per iſtud velle vnum propter aliud, ſignificetur, quod vnius actus voluntatis aut intellectus, aut altervtrius obiectum ſit cauſa alicuius actus voluntatis, hoc non poſſit dici de Deo; ſi verò per iſtud, ipſum velle vnum propter aliud, nihil aliud intelligas quàm velle aliquid non temerè, ſed certa cum ratione & conſilio, quia nempè id quod quis vult, habet ordinem ac reſpectum ad quidpiam aliud quod idem volens vult aut cognoſcit: hoc ſenſu aſſero rectè dici quòd Deus velit vnum propter aliud, id eſt velit aliquid propter aliud, quod ſit cauſa propter quam illud ſit, non verò quod ſit cauſa propter quam Deus illud velit, quamuis dici poſſit aliquo modo ratio diuinæ volitionis. *Dubitatio.* *Reſponſio.* *Rectè dicitur Deus velle vnũ propter aliud.*

Sic igitur aſſerimus Deum velle vnum propter aliud, vt omnia extra ſe velit propter ſemetipſum, tanquam propter finem rerum omnium, & vnumquodque ex illis propter aliud: ſicut vnumquodque eſt cauſa alterius: ſic Deus

dici poteſt velle merita Petri propter ipſius beatitudinem tanquam propter cauſam finalem ipſorum meritorum; & è contra velle ipſius beatitudinem propter ipſius merita tanquam propter cauſam diſpoſitiuam & meritoriam ipſius beatitudinis: quò fit vt ſub diuerſa conſideratione Deus dicatur priùs velle vnum quàm velit aliud (ſaltem ſecundùm noſtrum intelligendi modum) aut vnum velle eo quòd velit vel ſaltem pręſciat aliud.

Notandũ. Vbi nota cùm dicimus Deum velle quidpiã, eo quòd velit aut præſciat aliud, Item velle ſeu præſcire vnum prius quàm aliud velit, itemque voluntatem vel præſcientiam vnius eſſe rationem volendi aliud in Deo, nos non ſignificare diuerſos actus in ipſo, quorum vnus verè & à parte rei præcedat alterum, ſed tantùm actum illum vnicum quo diuerſa cognoſcit aut vult, priùs à nobis concipi vt tendit in illud quod eſt Deo ratio vt velit aliud, quàm vt tendit in illud aliud; quod enim homines non niſi pluribus actibus præſtant, Deus præſtat vnico ſimplici actu, qui ob infinitam ſui perfectionem pluribus diſtinctis actibus æquiualet.

An voluntas Dei ſit cauſa rerum.

QVÆSTIO VI.

QVÆSTIO hæc inſtituitur de voluntate Dei proprie dicta, nempe de voluntate beneplaciti, non antecedenti, ſed conſequenti. Certum enim eſt neque voluntatem

ſigni, neque voluntatẽ beneplaciti antecedentẽ eſſe rerũ cauſam, ex iis quæ ſupra docuimus. Quæſtio igitur eſt, num voluntas Dei propriè dicta (quæ eſt voluntas conſequens) ſit cauſa rerum efficax, ita vt numquam fruſtrari poſſit ſuo effectu; cumque alii effectus eueniant neceſſariò, alii verò contingenter, vt ſunt omnes actus liberi; quæſtio intelligitur de voluntate Dei tã circa actus liberos, quàm circa quoſlibet effectus neceſſarios. Vt igitur res tota clariùs explicetur, duas aſſertiones hîc ſubiiciemus.

Sit igitur prima aſſertio D. Thomæ hîc art. 4. Voluntas Dei eſt cauſa rerum, quod idem eſt, ac Deum eſſe cauſam rerum, ſeu omnia facere quæ facit, per ſuam voluntatem. Probatur primò authoritate ſacræ Scripturę, quæ non rarò ſignificat Deum dicendo, hoc eſt, volendo efficere quæ facit Geneſeos 1. *Dixit Deus, fiat lux, &c.* Pſalmo 148. *Quia ipſe dixit, & facta ſunt, ipſe mandauit & creata ſunt.* Sapientiæ vndecimo, *Quomodo aliquid poßit permanere niſi tu voluiſſes?* Secundò, iis rationibus quibus hîc probat ſanctus Doctor, Deum agere ex voluntate, non verò ex neceſſitate naturæ: hoc autem probat primùm ex ordine cauſarum agentium: cùm enim propter finem agat intellectus & natura, ex ſecundi Phyſicorum textu 49. neceſſe eſt vt agenti per naturam, prædeterminetur finis & media neceſſaria ad finem ab agente per intellectum, quod idem eſt agens per voluntatem, ſicut ſagittæ prædeterminatur finis & certus modus à ſagittante; vnde neceſſe eſt quod agens per intellectum &

Prima aſſertio. *Probatur authoritate.*

Ratione cõfirmat Primo.

Digitized by Google

voluntatem, ſit prius agente per naturam: cũ igitur primum agens in ordine agentium ſit Deus, neceſſe eſt quod per intellectum & voluntatem agat. Secundò, ex ratione naturalis agentis, quod cùm habeat eſſe determinatum, idcircò determinatum effectum producit: Atqui Deus non habet eſſe determinatum, cùm omnem perfectionem poſſibilem in ſe contineat; ac proinde non poteſt agere ex neceſſitate naturæ, quia ſic produceret effectum indeterminatum ſeu infinitum in eſſendo, quod eſt impoſſibile; neceſſe igitur eſt vt effectus determinati procedant ab infinita eius perfectione ſecundùm determinationem voluntatis ac intellectus ipſius.

Tertiò. Tertiò denique ex habitudine effectuum ad cauſam; ſecundùm hoc enim effectus procedunt à cauſa agente, ſecundùm quod pręexiſtũt in ea, quia omne agens agit ſibi ſimile: præexiſtunt autem effectus in cauſa ſecundùm modum cauſæ, vnde cùm ipſum eſſe diuinum ſit intelligere, præęxiſtunt in eo effectus ſecundùm modum intelligibilem, & per modum intelligibilem procedunt ab eo, ſicque ex conſequenti per modum voluntatis, nam inclinatio ad agendum, quod intellectu conceptum eſt, ad voluntatem pertinet. Adde rationes quas ſupra quæſt. 4. huius diſputationis, aſſertione ſecunda adduximus, vt probaremus Deũ liberè agere circa creaturas.

Secunda aſſertio. Secunda aſſertio Diui Thom. hìc articulo ſexto. Voluntas Dei eſt efficax; id eſt à nullo impediri poteſt, ſed ſemper impletur. Probatur

Authoritas.

primò authoritate ſacrę Scripturæ Geneſeos 50. *Non Dei poſſumus reſiſtere voluntati*. ad Roman. 9. *voluntati quis reſiſtit*? & Pſalmo 113. *omnia quæcumque voluit fecit.* Probatur ſecundò ratione: tunc cenſetur quiſpiam aliquid abſolutè & ſimpliciter velle fieri, cùm ad id faciendum omnem vim ſuam applicat: quò fit vt ſi nihil ipſius potentiæ poſſit obſiſtere, nihil non impleatur eorum quæ ſimpliciter & abſolutè vult: Atqui nihil omnipotentiæ Dei poteſt obſiſtere, cùm ſit infinita; vt colligere eſt ex iis quæ ſupra diximus de infinitate Dei, & poſteà clarius patebit, vbi de ipſa Dei potentia: Ergo nihil non impletur eorum quæ Deus ſimpliciter & abſolutè vult. *Ratio.*

Obiectioni occurritur.

Neque obſtat id quod obiici ſolet ex primæ ad Timoth. 2. cap. *Deus vult omnes homines ſaluos fieri.* tametſi non omnes ſalutem conſequantur. Reſponderi enim poteſt cum Diuo Thoma loco citato, quòd ibi ſit ſermo de voluntate Dei antecedenti, non conſequenti: At ſupra docuimus, nempe quæſtione ſecunda huius diſput. voluntatem Dei antecedentem non ſemper impleri, cùm non ſit propria & abſoluta Dei voluntas, ſed potius quædam velleitas, vt docet hîc ſanctus Thomas.

Quomodo Deus vult voluntate conſequẽte omnes homines ſaluos fieri.

Quòd ſi velis id etiam intelligi de voluntate Dei conſequenti: Reſpondeo cum eodem Diuo Thoma loco citato, duobus modis rectè poſſe explicari: primo quidem vt ſit accommoda diſtributio ſecundùm hunc ſenſum; Deus vult ſaluos fieri omnes homines qui ſaluantur,

Digitized by Google

non quia nullus homo ſit quem Deus non velit ſaluum fieri, ſed quia nullus ſaluus ſit quem non velit ſaluari, vt exponit ſanctus Auguſtin. in Enchiridio cap.102.& lib.4.contra Iulianum cap.8.

Secundo modo ita poteſt intelligi vt fiat diſtributio pro generibus ſingulorum, & non pro ſingulis generum ſecundùm hunc ſenſum: Deus vult de quolibet ſtatu hominum aliquos ſaluos fieri, tùm mares cùm fæminas, tùm *Obiectio.* Iudæos cùm gentiles, paruos, & magnos, non tamen omnes de ſingulis ſtatibus. Inſtabis ſaltem aliquid eſſe quod Deus non vult, nempe malum, præſertim culpæ, quod *Solutio.* Deum nolle ſuprà docuimus. Reſpondetur, malum vt malum non eſſe verè & realiter ſeu poſitiuè, ſed tantùm negatiuè ſeu priuatiuè. Verùm contra inſtabis, ſaltem ſubſtantiam actus mali eſſe poſitiuè. Reſpondetur, nos etiam ſupra docuiſſe Deum velle ſubſtantiam actus mali ſecundùm eſſe phyſicum & reale, licèt non velit deformitatem illi adiunctam, quam negamus exiſtere realiter.

Quomodo ſtare poßit libertas arbitrii cum efficacia diuinæ voluntatis

QVÆSTIO VII.

Si quæ difficultas eſt in concilianda libertate humani arbitrii cùm infallibilitate diuinę ſcientiæ, quod ſupra præſtitimus;

Digitized by Google

nempe diſput 11. quæſt. 7. ſanè non minor eſt, immò maior in concilianda eadem arbitrii libertate cum efficacia diuinæ voluntatis; quod hîc (Deo dante) præſtabimus, ſi priùs nonnulla quæ ad propoſitę difficultatis expoſitionem non mediocriter conferunt, præmiſerimus.

Notandum igitur imprimis eſt, quod quemadmodum libertas arbitrii nihil aliud eſt quàm ipſum arbitrium, ſeu humana voluntas, quatenus circa ſuos actus libera eſt; ita efficacia diuinæ voluntatis nihil aliud eſt quàm ipſa diuina voluntas quatenus circa res volitas efficax eſt: voluntatem autem Dei eſſe efficacem, nihil aliud eſt, quàm illud certò & infallibiliter euenire, quod Deus vult eſſe aut fieri, & quidem eo modo quo ipſe vult. Notandum ſecundò, nos hîc loqui præſertim de volitione Dei circa futuros actus liberi arbitrii (nam de volitione Dei circa præſentes actus, alia erit difficultas, vbi de concurſu Dei cum libero abitrio) quæ volitio circa futuros actus dici poteſt prædeterminatio diuinæ voluntatis circa eiuſmodi actus; idem enim eſt Deum velle efficaciter aliquid eſſe futurum, & prædeterminare ſeu ſtatuere apud ſe illud futurum. Ex quo intelligis ſenſum propoſitæ quæſtionis eumdem eſſe, ac ſi quæreretur quomodo ſtare poſſit libertas arbitrii cum immutabili decreto, ſeu prędeterminatione diuinę voluntatis.

Notandũ primo.

Notandũ ſecundo.

His poſitis, reſpondemus, efficacem Dei vo-

Aſſertio tenenda.

Digitized by Google

lũtatẽ qua vult ſeu decernit ac prædeterminat hos vel illos actus liberi arbitrii futuros nihil detrimenti afferre humanæ voluntati: quod liquidò conſtabit ſi oſtẽderimus illam Dei voluntatem nullam planè neceſſitatem rebus cõtigẽtibus, ſeu liberis imponere, vt docet hîc ſanctus Thomas art. 8. hac præſertim ratione: Neceſſe eſt (inquit) res eo modo euenire quo Deus vult, cùm voluntas Dei ſit efficax, vt ſuprà oſtenſum eſt: Atqui vult Deus quædam fieri neceſſariò, quędam contingenter, vt ſit ordo in rebus ad complementum vniuerſi, ideoque quibuſdam effectibus aptauit neceſſarias cauſas, quę deficere non poſſunt ex quibus effectus neceſſariò proueniunt; quibuſdam verò aptauit cauſas cõtingẽtes defectibiles, ex quibus effectus cõtingenter proueniunt: non igitur (inquit) propterea effectus voliti à Deo eueniunt contingenter, quia cauſæ proximæ sũt contingentes; ſed quia Deus voluit eos contingenter euenire, idcircò contingentes cauſas ad eos præparauit. Quibus verbis ſignificat ſanctus Doctor primam & principalem cauſam contingentium, eſſe ipſam Dei voluntatem efficacem, non verò cauſas ſecundas & proximas, niſi ſecundariò & minus principaliter. Ex ipſis igitur facile eſt colligere efficaciam diuinę voluntatis non repugnare libertati voluntatis humanæ, aut actuum humanorum qui ab ipſa proueniunt, cùm potius ſit cauſa eiuſmodi libertatis & contingentię.

Ratione probatur

Vbi nota quod quamuis Deus dici poſſit Præparaſſe liberum arbitrium ad tales actus

Nota Deũ dici poſſe

Digitized by

exercendos quos voluit,ſeu apud ſe determinauit contingenter,ſeu liberè fieri, quatenus illud ipſum liberum arbitrium creauit in homine talis conditionis, vt ſuppoſitis omnibus rebus neceſſariis ad agendum, poſſet agere vel non agere; non tamen dici poteſt prædeterminaſſe illud ad agendum, cùm illud ipſum reliquerit omninò liberum; repugnat autem hominis arbitrium eſſe liberum, & tamen ad aliquid eſſe determinatum,licèt verè dici poſſit præparatum ſeu ordinatum ad eos actus eliciẽdos quos Deus prædeterminauit futuros: & quamuis poſito quod Deus prædeterminauerit ſeu voluerit tales actus euenire,neceſſe ſit quod eueniãt, non tamen neceſſe eſt quòd fiant neceſſariò, ſed potiùs neceſſe eſt quòd fiant contingenter ſeu liberè,cùm Deus ita prædeterminauerit. Et ſic,licèt præſuppoſitâ prædeterminatione diuinæ voluntatis ſequatur aliqua neceſſitas hypothetica ſeu cõditionalis in rebus volitis,non tamen vlla neceſſitas abſoluta,cùm ſimpliciter & abſolutè loquendo,res illæ ſint contingentes ac liberæ,ſeu contingenter ac liberè fiant. Itaque quamuis poſito quod Deus voluerit ſeu determinauerit aliquem actum liberi arbitrij euenturum, voluntas certò & infallibiliter illum exerceat, nihilominus tamen, antequam illum actum exerat, manet in ſe indifferẽs & indeterminata ad illum exercendum,vel non, ſicque poſita voluntate diuina neceſſe eſt illum actum fieri in ſenſu compoſito,non verò in ſenſu diuiſo, ſicut aliàs explicauimus poſitâ infallibili Dei præſcientia.

præparaſſe liberum arbitrium ad ſuos actus, non vero prædeterminaſſe.

Neceſſitas hypothetica contingenter futurarum.

Digitized by Google

Quæſtio quomodo Deus prædeterminauerit actus liberi arbitrij.

Si quæras, an verè dici poſſit, quod Deus prædeterminauerit actus liberi arbitrij. Reſpondeo. Si, cùm dicis quod Deus eiuſmodi actus prædeterminauerit, nihil aliud intelligas quam futuros eſſe voluerit; item ſi intelligas quod liberum arbitrium ad illos exercendos ordinauerit ſeu præparauerit, ſeu quod determinauerit ſe daturum homini liberum arbitrium tanquam cauſam illorum contingentem; item quod ſtatuerit inclinare ſeu ſuauiter allicere liberum arbitrium ad tales actus ſi boni ſint; item quod determinauerit ſe præbiturum ſuum concurſum, ſiue naturalem, ſiue ſupernaturalem etiam cum talibus circunſtantiis, vt iis poſitis præuideat actum liberi arbitrij infallibiliter ſequuturum, licèt non neceſſariò, ſed liberè & contingenter. Reſpondeo (inquam) Deum dici poſſe iſto multiplici ſenſu, actus liberi arbitrij prędeterminaſſe, ſi tamen intelligas quòd Deus intrinſecè & phyſicè prædeterminauerit, ſeu potius ſtatuerit determinare phyſicè liberum arbitrium ad ſuos actus, ita vt non poſſit amplius ſeipſum determinare ad quod voluerit, ſed veluti neceſſitetur ad hoc vel illud agendum per aliquod auxilium efficax, quod ſtatuerit illi exhibere, vel etiam ſine tali auxilio ſola ſuâ efficaci voluntate, negamus hoc modo Deum prædeterminare actus liberi arbitrij.

Decretum dandi gratiam efficacem non prædeterminant liberũ arbitrium.

Quamuis igitur Deus determinet ſe præbiturum quibuſdam auxilium gratiæ efficax ad agẽdum, non tamen propterea ordinariè loquendo determinat efficaciter & phyſicè liberum arbitrium ad agendum, licèt illud valdè inclinet; ap-

Digitized by Google

pellatur enim tale auxilium gratiæ efficax, non quòd planè determinet liberum arbitrium ad agendum, impediendo ipſius libertatem; ſed quod infallibiliter ſuum effectum ſortiatur, vt aliàs explicabimus, vbi de concordia gratiæ & liberi arbitrij in tertia parte huius Summę. Nũc verò hęc dicta ſufficiant de concordia liberi arbitrij cum prædeterminatione diuina ſeu efficacia diuinæ voluntatis circa ipſius actus.

An, & qualis ſit amor in Deo.

QVÆSTIO VIII.

QVIA præcipuus voluntatis actus, amor eſt, idcircò viſum eſt ad calcem huius diſputationis nõnullas difficultates de amore, quatenus eſt actus diuinæ voluntatis, breuiter explicare.

Prima eſt: an ſit amor in Deo. Reſpondeo ita eſſe; vt paſſim affirmat ſacra Scriptura quæ ab ipſo actu appellat Deum ipſum charitatem 1. Ioannis 4. Et probatur à D. Th. hîc quęſt. 20. ar. 1. Nam in eo omni in quo eſt voluntas & aliquis actus voluntatis, neceſſe eſt vt ſit actus amoris, cùm primus ac præcipuus voluntatis, & cuiuſlibet appetitiuæ virtutis actus ſit amor; quippè qui verſatur circa ipſum primarium obiectum voluntatis in communi, nempè circa bonum; atqui in Deo eſt voluntas, vt conſtat ex prędictis, ergo etiam amor. *Prima difficultas.*

Secunda difficultas. An Deus omnia diligat. Reſpõdetur ita eſſe, quatenùs omnia entia sũt & bona. Sap. 11. *Diligis omnia quæ ſunt, & nihil odiſti eorũ quæ feciſti.* Ratione confirmatur hîc à D. Th. art. 2. Amare enim nil eſt aliud quàm velle bonum alicui: atqui Deus omni exiſtenti vult *Secunda difficultas.* *Amare quippiam eſt ipſi velle bonum.*

bonum, nempè ipſum eſſe, quod eſt bonum; cùm vt ſuprà oſtenſum eſt 1. qu. huius diſputationis, voluntas Dei ſit cauſa ipſius eſſe rerum omnium: in quo vides diſcrimen inter amorem Dei, & amorem noſtrum, quòd amor Dei ſit cauſa ipſius eſſe, ac proindè omnis bonitatis rerum creatarum: at bonitas rerum ſit cauſa amoris noſtri, quo ipſis volumus conſeruari & augeri bonum quod habent.

Tertia difficultas. *Magis vel minus amare dicitur tripliciter.*

Tertia difficultas, an Deus optimus æquè amet omnia. Reſpondetur cum Diuo Thoma hîc art. 3. cùm amare ſit velle bonum alicui, duplici ratione aliquid poteſt magis vel minùs amari: vno modo ex parte ipſius actus voluntatis, qui eſt magis aut minùs intenſus; & ſic Deus non magis quædam amat quàm alia, quia amat vno, & ſimplici, eoque infinito actu voluntatis, ſemperque eodem modo ſe habente; alio modo ex parte ipſius boni quod aliquis vult rei amatæ; ſic enim dicimus aliquem magis amare quàm alium, cui volumus maius bonum, licèt non magis intenſâ voluntate; & hoc modo dicendum eſt, quod Deus quædam magis amat quàm alia: cùm enim amor Dei ſit cauſa bonitatis rerum, vt conſtat ex præcedenti difficultate, non eſſet aliquid alio melius ſi Deus non vellet vni maius bonum quàm alteri: atqui conſtat multa eſſe aliis meliora. Cùm autẽ dicitur Deo æqualiter eſſe cura de omnibus, Sapientiæ. 6. illud intelligendum eſt non quod æqualia bona omnibus diſpenſet, ſed quia æquali ſapientia & bonitate omnibus prouideat.

Quarta diſſicultas.

Quarta difficultas: An Deus meliora magis

diligat. Reſpondet Diuus Thom. art. 4. ita eſſe; probatque ratione hac, quia Deus dicitur aliquid magis diligere, quia maius bonum ipſi vult; atqui conſtat ex eo quædam eſſe aliis meliora quod Deus velit quibuſdam maius bonum quam aliis, ex præcedenti difficultate; neceſſe igitur eſt, vt meliora Deus plus amet.

Cæterùm vtrùm quiſpiam ſit melior aut ſanctior altero, ac proinde plus quàm alter à Deo diligatur; verbi gratia, vtrùm Dominus Diuum Petrum plus amauerit quàm Diuum Ioannem, præſumptuoſum eſt diiudicare (inquit hîc Diu. Thomas ad Tertium) quia vt dicitur Prouerbiorum 16. *Spirituum ponderator eſt Dominus.*

DECIMA DISPVTATIO.

DE IVSTITIA ET MISERICORDIA DEI.

QVONIAM hæc duo attributa per modum habitus in voluntate diuina ſimul conſiderari ſolent ſicuti ſimul in cunctis Dei operibus elucent, idcircò de iis vnica hæc diſputatio inſtituitur.

An ſit in Deo iuſtitia tum commutatiua, tùm diſtributiua.

QVÆSTIO I.

DEVM eſſe iuſtum, ſicque in eo iuſtitiam ineſſe apertius eſt in ſacris litteris, quàm

opus ſit in hoc probando diutiùs immorari. Sic Pſalmo 10. *Iuſtus Dominus, & iuſtitias dilexit.* Et Pſalmo 119. *Iuſtus es Domine, & rectum iudicium tuum, &c.*

Prima difficultas de Iuſtitia commutatiua.

Verùm cùm duæ ſint ſpecies iuſtitię, commutatiua nempè & diſtributiua, vti docuimus in Ethicis 3. part. tractatu 3. diſp. 2. ſect. 2. quæſt. 5. dubitari poteſt meritò de iuſtitia commutatiua vtrùm Deo verè competat: negat Sanctus Thomas hîc quæſt. 21. art. 1. nec immeritò, ſi (vt vulgò ſolet) nomen iuſtitiæ commutatiuæ accipiatur quâ quiſque reddit alteri debitum ad quod ratione rei datæ ſimpliciter & abſolutè ſecundùm intentionem dantis obligatur: Et ratio eſt, quia quidquid nos dare Deo poſſumus, id totum ab eo accipimus. ad Roma. 11. *Quis prior dedit illi?* quare non poſſumus ratione rei quam illi damus abſolutè loquendo ipſum obligare, vt tantundem nobis reddat ſecundùm æqualitatem arithmeticam in quo conſiſtit ratio iuſtitiæ commutatiuæ: Si tamen iuſtitia commutatiua accipiatur, quâ aliquis reddit alteri æquale ſecundùm æſtimationem ad quod obligatur, ſi non ex ſolo valore intrinſeco rei acceptæ, at ſaltem ſimul ex præſuppoſita promiſſione ſeu pacto; ſanè non videtur hoc ſenſu deneganda Deo iuſtitia cõmutatiua; quia cùm reddit gloriam æternam piis fidelium operibus quibus ſe præmium iſtud æternæ vitæ exhibiturum promiſit, ad quod proindè ex tali promiſſione obligatur, exercet opus iuſtitiæ commutatiuæ. Et licèt actiones noſtræ ſecundùm valorem, quem ex conditione

Propoſitio tenenda.

Ratione probatur.

Alia propoſitio etiam tenenda.

Ratione probatur.

Digitized by

ſua per ſe habent, etiam vt proficiſcuntur ex gratia, non prorsùs æternæ beatitudini adæquentur, licèt provt fiunt in gratia, aliquam habeant cum illa proportionem, quam non habent quatenùs ex ſolo libero arbitrio proficiſcuntur) & ſic non obligatur Deus ſecundùm rationem iuſtitiæ ad illas remunerandas, vitæ æternæ præmio; ſi tamen conſiderentur non tantùm vt procedunt ex gratia, ſed ſimul vt ſubſunt diuinæ promiſſioni & legi, quâ ex certâ ipſius Dei ordinatione debetur eis gloria, tunc ſanè ſecundùm æſtimationem adæquantur æternæ beatitudini, id eſt, tanti iure ac merito æſtimari poſſunt, quanti ipſa gloria, ſuntque dignæ tali præmio ſecundùm rationem iuſtitiæ, quod eſt propriè eſſe meritorias de condigno vitæ æternæ, vt aliàs docebimus, vbi de gratia & meritis operum; ſicque obligatur Deus ſecundùm rationem iuſtitiæ ad illas compenſandas.

Secunda difficultas de Iuſtitia diſtributiua.

Aſſertio tenenda probatur.

Quod ſpectat ad iuſtitiam diſtributiuam, non eſt dubium quin Deo conueniat in ordine ad omnes creaturas. Probatur hîc à Diuo Thom. quia Deus vnicuique rei tribuit quod illi debetur, tum ſecundùm ſuum ipſius propoſitum, tùm ſecundùm rationem naturę & conditionis cuiuſque rei, vt exponit idem Doctor ibidem ad tertium, in quo Deus ordinem totius vniuerſi ſeruat ac tuetur; quare ſicut ordo congruus familiæ, vel cuiuſcunque multitudinis benè gubernatæ demonſtrat eiuſmodi iuſtitiam in gubernante; ita ordo totius vniuerſi, qui in omnibus rebus tàm naturalibus

dia & veritas. Et Pſal. 84. *Miſericordia & veritas obuiauerunt ſibi. &c.* Diſtributiua quidem, quatenùs conſtituit ordinem in rebus ſemper conformem rationi diuinæ ſapientiæ, quæ eſt lex eius æterna, ſicque ſemper cōcordat cum intellectu diuino qui eſt regula omnis veritatis; commutatiua verò, quatenùs præmia & ſupplicia reddit, ſicut ſuo æterno decreto ac lege reddere ſtatuit, ſicque ſemper concordat & conſentit cum ordinatione intellectus & ſapientiæ diuinæ.

An in Deo ſit Miſericordia.
QVÆSTIO II.

HOc ita eſſe innumeris locis ſacrę Scripturæ teſtantur ſic Pſalm. 110. *Miſericors & miſerator Dominus.* Et alias, *Miſericors Dominus & iuſtus & miſerationum eius non eſt numerus.* & alibi, *Quia apud Dominum miſericordia, &c.* Notandum autem eſt quod hìc docet Sanctus Thomas art. 3. miſericordiam Deo maximè tribuendam eſſe ſecundùm effectum, non ſecundùm paſſionis affectum. Affectus miſericordiæ eſt triſtitia affici ob alterius miſeriam; effectus verò eſt eniti miſeriam ab altero repellere, qui effectus in nobis ex affectu naſci ſolet, triſtari: ergo de miſeria alterius non competit Deo; ſed repellere miſeriam alterius, hoc maximè ei competit, illudque facit communicando alteri aliquam perfectionem, cuius origo, ipſius bonitas eſt.

Aſſertio tenenda probatur.

Nota ex D. Thoma.

Cæterùm. Nota hìc ex D. Th. quod commu-

Nota adhuc ex eodē

Digitized by Google

nicare perfectiones rebus ſimul pertinet ad bonitatem Dei, iuſtitiam, liberalitatem, & miſericordiam, diuerſa conſideratione: quatenus quidem illæ perfectiones abſolutè communicantur, pertinet ad bonitatem; quatenùs verò Deus illas communicat ſecundùm rei cuiuſque proportionem, pertinet ad iuſtitiam; quatenùs non propter vllam ipſius vtilitatem, pertinet ad liberalitatem: denique quatenùs communicantur ad expellendum omnem defectum ſeu miſeriam, pertinet ad miſericordiam.

An in omnibus Dei operibus ſimul eluceant ipſius Dei Miſericordia & Iuſtitia.

QVÆSTIO III.

Aſſertio tenenda probatur authoritate.

ITA eſſe communiter docent omnes Theologi iuxta illud Pſalmi 24. *Vniuerſa via Domini miſericordia, & veritas*, hoc eſt, iuſtitia; probatque hîc Sanctus Thomas art. 4. ſuppoſito quod miſericordia ſumatur pro expulſione miſeriæ propriè dictæ, quæ quia, vt ſic, fœlicitati opponitur, ſoli rationali creaturæ conuenit, quam ſolam propriè contingit eſſe fœlicem. Neceſſe eſt igitur (inquit Sanctus Thomas) iuſtitiam ſimul & miſericordiam in quouis opere Dei reperiri: iuſtitiam quidem, quia cùm debitum quod ex diuina iuſtitia redditur, ſit vel debitum Deo vel debitum alicui creaturæ; neutrum poteſt in vllo opere Dei prætermitti, non enim poteſt facere aliquid Deus quod non ſit conueniens ſapientiæ & bonitati ipſius ſecundùm

Ratione confirmatur.

Digitized by Google

quem modum concipimus aliquid eſſe debitum Deo; ſimiliter quidquid in rebus creatis facit, ſecundùm conuenientem ordinem & proportionem facit, in quo conſiſtit ratio iuſtitiæ, ſicque oportet in omni opere Dei iuſtitiam reperiri: Miſericordiam vero, eò quod opus diuinæ iuſtitiæ ſẽper præſupponat opus miſericordiæ, eique innitatur; creaturę enim non debetur aliquid niſi propter aliquid in ea prędexiſtens aut præconſideratum, & rurſus, ſi illud creaturæ debetur, hoc erit propter aliquid prius, & ſic deinceps. Quare ne detur progreſſus in infinitum, deueniendum eſt ad aliquid quod ex ſola bonitate diuinæ voluntatis dependeat, quæ eſt vltimus finis, eſtque etiam fons omnis miſericordiæ.

Ceterùm, nota aſſertionem hanc intelligendam maximè eſſe iuxta mentem Diui Thomæ, de operibus propriis diuinæ prouidentiæ quæ exercentur circa creaturas iam conditas, in quibus nullum opus miſericordiæ reperitur in quo non reperiatur aliqua ratio iuſtitię, & ecõtra nullum opus iuſtitiæ in quo non reperiatur aliqua ratio miſericordiæ; quamuis quædam opera dicantur iuſtitiæ, alia verò miſericordiæ, quatenus in quibuſdam clariùs apparet iuſtitia, in aliis verò miſericordia: ſic in punitione dãnatorum, quod eſt inſigne opus iuſtitiæ, ſe oſtendit miſericordia, quatenùs nimirùm Deus illos punit citra cõdignum: ſicut ecõtrà beatos remunerat vltra condignũ, non quòd Deus plus præmij pro meritis, aut minus ſupplicij pro peccatis retribuat, quã æterna immutabilique lege

Notãdum circa prædictam aſſertionem.

ſua conſtituerit, ſed quod habita ratione meritorum & peccatorum in ſe, potuiſſet Deus ſalua ratione iuſtitiæ ab ęterno ſtatuere minùs ſe pręmij retributurum pro meritis, & plus pœnæ pro peccatis quàm iam ab æterno ſtatuit: & licèt tunc non foret eadem proportio arithmetica quæ nunc eſt, quia non foret eadem proportio pręmij aut pœnæ vnius ad meritum aut demeritum ipſius; eadem tamen ſeruaretur proportio geometrica, ita vt ſemper eſſet eadem proportio præmij aut pœnæ vnius ad præmium aut pœnam alterius, quæ eſſet meritorum aut peccatorum vnius ad merita aut peccata alterius: ſicque etiam in iuſtificatione peccatoris, quod eſt opus, inſigne miſericordiæ, reperitur iuſtitia dùm culpas Deus relaxat propter dilectionem quàm ipſe miſericorditer infundit. Et licèt in infundenda dilectione non ſit ratio iuſtitię quaſi illud ſit debitum creaturę, eſt tamen ratio iuſtitiæ quia illud debetur Deo quatenùs debitum eſt, vt agat conuenienter ſuæ ſapientiæ & bonitati, quâ ſtatuit ab æterno ſe actum dilectionis miſericorditer operaturum per auxilium ſupernaturale in eiuſmodi peccatore: cùm autem iſtud æternum diuinæ voluntatis decretum non ſit inter opera ſubiecta prouidentię Dei, non eſt neceſſe quòd in Deo ratio debiti vel iuſtitiæ reperiatur, ſed ſufficit quod ex ſola bonitate diuinę voluntatis, quæ eſt radix omnis miſericordiæ, proficiſcatur.

Decretum futuræ iuſtificationis eſt mera Dei miſericordia.

Concludendum igitur eſt quod in omnibus operibus Dei temporariis ſeu diuinæ ipſius prouidentiæ ſubiectis circa creaturas rationales

iam conditas ſemper ſimul elucent miſericordia & iuſtitia.

DECIMA QVINTA DISPVTATIO.

DE PROVIDENTIA DEI.

HActenùs quatuor præcedentibus diſputationibus, tùm de iis quæ ad intellectum diuinum, tùm de iis quæ ad voluntatem diuinam ſpectant, diſſeruimus; reſtat vt de iis dicamus quę partim ad intellectum, partim ad voluntatem diuinam pertinent, quæ ſunt Prouidentia circa omnes, Prædeſtinatio circa bonos, & Reprobatio circa malos: de quibus tres diſputationes ſequentes inſtituemus: & prima quidem ex iis, quæ ordine eſt 15ª. erit de prouidētia quæ vt concipitur tanquam aliquid poſterius diuinâ rerum omnium pręcognitione, de qua iam actum eſt, ſic concipitur tanquam aliquid prius prædeſtinatione & reprobatione, de quibus poſtea diſſeretur.

An Prouidentia Deo competat. QVÆSTIO I.

PRouidentia, iuxta Diuum Thomam hîc art. 1. eſt ratio rerum ordinandarum ad ſuum finem in intellectu ordinantis exiſtens, eſtque præcipua pars prudentiæ, ad quam aliæ duæ partes integrantes prudentiæ, nempè memoria præteritorum, & intelligentia præſen-

tium ordinantur, quatenùs ex præteritis memoratis & præſentibus intellectis coniectamus de futuris prouidendis. Cùm autem prudentiæ ſit ordinare alia in finem, ex cap.12.lib.6.Ethicorum; idque duplici modo; nempe vel reſpectu ſuiipſius, quomodo cenſetur homo prudens qui rectè ordinat actus ſuos ad finem ſuæ vitæ; vel reſpectu aliorum, vt in familia vel ciuitate contingit, quomodo Matth.24. dicitur *Fidelis ſeruus, & prudens quem conſtituit Dominus ſuper familiã ſuã*; Prudẽtia ſiue prouidẽtia priori modo ſpectata non conuenit Deo, cùm nihil in ipſo ordinari poſſit ad finem, cùm quidquid in ipſo eſt, ſit ipſe qui eſt rerum omnium finis vltimus: Quod verò prouidentia poſteriori modo ſpectata in ipſo ſit, probatur, primùm authoritate ſacrę Scripturæ Sapientiæ 11. *Tua autem pater prouidentia ab initio cuncta gubernat*. Secundò ratione probatur; quia prouidentia eſt ratio ordinandorum ad finẽ, atqui eiuſmodi ratio ordinãdorũ eſt in Deo, eſt enim in ipſo ratio omnis boni ab ipſo creati, cùm ſit ipſa prima ratio omnis boni agẽs per intellectũ, in qua proinde præexiſtere debet ratio cuiuſlibet ſui effectus; ordo verò rerũ ad ſuũ finem eſt bonum creatũ à Deo; ergo ratio ordinis eius, qui nihil aliud eſt quàm prouidentia, neceſſariò eſt in Deo admittenda.

Prouidentiam eſſe in Deo probatur. Authoritate. Ratione.

Vbi nota nos hîc loqui de ordine rerum ad finem, non de ordine partium in toto, cuius ratio in ordinante non prouidentia, ſed diſpoſitio propriè appellatur, ſicut etiam ipſa executio ordinis etiam rerum ad finem, quæ propriè dicitur gubernatio, nonnumquàm etiam appella-

Qui differat prouidentia à diſpoſitione

Digitized by Google

tur diſpoſitio: eſt autem hæc ordinis executio, tẽporaria; at verò ratio ordinis, æterna; poteſtque altera dici prouidẽtia in actu primo, altera verò prouidentia in actu ſecundo. Nota etiam diuinam prouidentiam nonnumquam appellari conſilium, vt ad Epheſios 1. non propter inquiſitionem, quaſi Deus conſilio ſeu deliberatione vtatur ad inquirenda media, ſed propter certitudinem cognitionis quæ ſolet per conſilium ac deliberationem maturam comparari.

Qui differat prouidẽtia à gubernatione

Cur prouidentia dicatur conſilium.

An omnia Diuinæ Prouidentiæ ſubſint.

QVÆSTIO II.

EXploſis variis veterum Philoſophorum & quorumdam hæreticorum erroribus, qui vel omnes vel permultas res diuinæ Prouidentiæ ſubtrahere impiè conati ſunt, docet recta ratio ſimulque fides orthodoxa, omnes omninò res diuinæ Sapientiæ conſilio ſeu ęternâ Dei prouidentiâ regi, ſeu in ſuos fines ordinari ac dirigi. Probatur hæc aſſertio primùm authoritate ſacræ Scripturæ Sapientiæ 6. *Æqualiter eſt illi cura de omnibus*, cuius rei rationem ſubdit Sapiens: *Quia nempè puſillum & magnum ipſe fecit*. Et Sapientiæ 8. loquens de diuina Sapientia, *Attingit à fine ad finem fortiter & diſponit omnia ſuauiter*. Ratione confirmatur à Diuo Thoma hîc art. 2. quia omnia quæ vult Deus dirigi in finem ſeu ordinari in finem, cadunt ſub ipſius prouidentiam; atqui Deus ordinat omnia in finem, quia omnia facit propter finem, idque per intellectum & voluntatem quæ ſunt cauſa efficax illius ordinationis, & includunt ratio-

Aſſertio tenenda.

Authoritate probatur

Ratione cõfirmatur.

Primo.

Digitized by Google

Notãdum de prouidentia Dei circa mala.

nem ordinis in ordinante. Vbi nota rationem hanc concludere tantùm omnia bona etiam minima diuinæ prouidentiæ ſubiici; mala enim eâ tantùm ratione in diuinam prouidentiam cadunt quatenùs à Deo propter bonum aliquem finem permittuntur, cùm tamen abſoluta ipſius voluntate poſſent impediri: neque enim *omnipotens Deus* (inquit Sanctus Auguſtinus in Enchiridio, cap. 11. *cui ſumma eſt poteſtas, vt infideles fatentur, cùm ſummè bonus ſit, vllo modo ſineret mali aliquid eſſe in ſuis operibus niſi vſque adeò eſſet omnipotens & bonus vt benefaceret etiã de malo.* Cõfirmatur adhuc hæc aſſertio hoc præcipuo argumento, quod fermè continet omnes rationes quibus tùm hanc tum præcedentis quęſtionis aſſertionem confirmant Sancti Patres. Si enim Deus omnibus rebus non prouidet, cauſa eſt quia vel eas non cognoſcit, vel prouidere non poteſt, vel non vult: at primum dici non poteſt, cùm ſit ſummè ſapiens, omniſcius, & nil ipſum latere poſſit, vt docuimus ſuprà, vbi de eius intellectu & ſcientia; nec ſecundum dici poteſt, cùm ſit ſummè potens, vt oſtendemus poſtrema diſputatione huius tractatus; nec denique tertium, cùm ſit ſummè bonus, vt etiam oſtenſum eſt, vbi de ipſius bonitate. Lege in confirmationem huius & pręcedentis aſſertionis omnes ſanctos Patres, vt D. Dionyſium cap. 12. de diuinis nominibus, Euſebium de præparatione Euangelica cap. 5. & 6. Cyrillum Hieroſolymitanum Catecheſi 8. Cyrillum Alexandrinũ lib. 5. contra Iulianum: Baſilium homel. in Pſal. 48. Chryſoſt. homel. 9. & 10. ad populum Antioch.

Digitized by Google

Auguſt.lib.5.ſuper Geneſim ad literam cap. 21. & lib.1.& 2. de ordine: Diuum Ambr.lib. 1. de Officiis cap.13. & ſequentibus, Hieronymum in caput 32. Hieremiæ: Gregor.lib 4. Moralium cap.16. Caſſianum collat. 13. cap. 7.

Verùm obiicies; indignum videri diuina majeſtate de rebus minimis curam habere, iuxta illud Apoſtoli 1. ad Corinthios 9. *Nunquid de bobus cura eſt Deo?* Reſpondeo non magis eſſe indignum diuina maieſtate res minimas tueri, & gubernare, quàm illas procreare: non negat autem Apoſtolus Deum prouidere brutis animantibus, verùm ſignificat non eſſe parem curam Deo de illis ac de hominibus, ſeu non eodem modo Deum illis prouidere ac hominibus. *Prima obiectio.* *Solutio.*

Obiicies ſecundò: Si omnia ex certo diuinæ prouidentiæ decreto fierent, nihil vmquam caſu aut fortuito eueniret, quod falſum eſt. Reſpondetur, licèt nihil reſpectu diuinæ prouidẽtiæ dici poſſit caſuale aut fortuitum, vti aliàs docuimus in Phyſicis, vbi de caſu & fortuna, cũ ſit ipſe cauſa vniuerſalis rerum omnium etiam contingentium & fortuitarum, illas ordinãs ad aliquem finem, hoc tamen nihil impedit quo minus permulta reſpectu cauſarum particularium fieri dicantur à caſu & fortunâ. *Secunda obiectio.* *Solutio.*

Obiicies tertio: Deum conſtituiſſe ab initio hominem rectum, vt loquitur Sapiens, & reliquiſſe eum in manu conſilii ſui, ac proinde hominem non videri ſubditum diuinæ prouidentiæ. Reſpondemus his verbis ſignificari tantùm hominem libero arbitrio præditum, non *Tertia obiectio.* *Solutio.*

Inſtantia ad vnum determinari à Deo ſicut res naturales, non tamen inde ſequi ipſum non ſubeſſe diui-
Solutio.. næ prouidentiæ. Inſtabis ſaltem impios diuinę prouidentię non ſubeſſe, cùm dicatur Deus illos dimittere in deſideria cordis eorum. Reſpõdemus hoc ita dici, non quòd impii diuinæ prouidentiæ haudquaquam ſubſint, alioqui ne momento quidẽ poſſent ſubſiſtere, ſed quòd Deus non videatur tantam curam de iis agere, quantã de iuſtis & electis; inquãtum eos iuſto quidem, ſed occulto Sapiẽtiæ conſilio nõ retrahit à malo culpę, neque ab illis auocat occaſiones peccãdi, quod ſollicitè facit erga electos, ne ſaltem finaliter impediatur ipſorum ſalus.

Quomodo verò diuina prouidentia ſimul ſtare poſſit cum libertate & contingentia rerum humanarum paulo poſt quæſtione quinta explicabimus.

An Deus immediatè omnibus prouideat.

QVÆSTIO III.

Duo ad prouidentiam pertinent.

AD intelligẽtiã propoſitæ quæſtionis prænotandum eſt ex D. Th. hîc art. 2. duo ad prouidentiam pertinere, nẽpè rationem ordinis rerum prouiſarum in finem, & exequutionem huius ordinis, quæ eſt ipſa rerum prouiſarum gubernatio. Quo poſito, duplici aſſertione propoſitæ quæſtioni reſpondemus.

Prima aſſertio.

Prior aſſertio. Si conſideretur ſola ipſa ordinatio rerum in ſuos fines per certa media, pro-
Ratione probatur. cul dubio Deus per ſeipſum immediatè rebus omnibus prouidet, cùm ipſe ſolus ab æterno

Digitized by Google

ſuâ ineffabili ſapientiâ & bonitate abſque alterius conſilio rebus omnibus ordinem ad ſuos fines impoſuerit, ipſisque cauſas, effectus, & media ad eiuſmodi fines conducibilia præſcripſerit; ſicque accipiendũ eſt illud Iob. 34. *Quem conſtituit alium ſuper terram? aut quem poſuit ſuper orbem quem fabricatus eſt?* In quem locum ſanctus Gregor. lib. 24. Moralium cap. 26. *Mundum*, inquit, *per ſeipſum regit quem per ſeipſum condidit.* *Authoritate confirmatur.*

Poſterior aſſertio: Si ſpectetur ipſa diuinæ prouidentiæ executio, nempè rerum gubernatio, Deus nonniſi mediatè & per cauſas ſecũdas rebus creatis prouidet: namque inferiora nonniſi per ſuperiora gubernat, non vlla propriæ virtutis inopiâ, ſed ſuę bonitatis abundantiâ, quâ nõ tantùm creaturis eſſendi perfectionem, ſed etiã cauſandi rationem abundè communicat. *Secunda aſſertio* *Ratione probatur.*

Vbi nota obiter, quod ſi in iſta gubernatione conſideretur Deus non tantũ vt exequitur illum prouidentię ordinem per cauſas ſecundas, ſed etiam vt ſuo actuali concurſu attingit effectus cauſarum ſecundarum, poſſe etiam dici immediatè agere, tùm immediatione virtutis, cum ſuppoſiti, vt notum eſt. *Notandũ.*

An res omnes ſemper aſſequantur finem ad quem ex diuina prouidentia ordinantur.

QVÆSTIO IV.

AD propoſitæ quæſtionis intelligentiã notandum eſt primò, voluntatem quã habet Deus exequendi ex parte ſua ordinem præconceptum mediorum ad finem non eſſe in eo *Notandũ primò.*

voluntatem abſolutam finis comparatione cuiuſcunque ordinis ſuæ prouidẽtiæ. Secundò notandum eſt, ordinem rerum per media conducibilia ad ſuos fines, itemque actualem exhibitionem ex parte Dei eiuſmodi mediorũ, ad finẽ aſſequendum, non eſſe actualem vſum eiuſmodi mediorum ad finem, & multò minus eſſe aſſequutionem finis. Tertiò notandum eſt, quod licèt prouidentia diuina includat ſemper abſolutam voluntatem exhibendi media, non tamẽ ſemper includit abſolutam voluntatem finis cuiuſque particularis conſequendi, ſed nonnunquam voluntatem tantùm conditionatam ſeu impropriè dictam, quæ voluntas antecedens dici poteſt.

Notandũ ſecundo.

Notandũ tertio.

His poſitis, aſſerimus res non ſemper aſſequi ſuum finem particularem ad quem ordinantur. Probatur primò in naturalibus: nam virtus ingenita ſemini non ſemper id præſtat ad quod ab authore naturę ordinatur, vt cũ interuentu alicuius impedimẽti corpus mutilum procreatur. Secundò in moralibus ſeu in malis actibus, non enim omnes homines vitam æternã conſequũtur, ad quam tamen ex diuina prouidentia ordinantur. Cæterùm licèt ex iis pateat, aſſequutionem finis in iis rebus quæ illum non aſſequuntur, non pertinere ad prouidentiam diuinam; cùm tamen accidit vt res ſuum finem aſſequantur, dicendum eſt in iis aſſequutionem finis ad diuinam prouidentiam pertinere; etenim quod Deus ſtatuerit talia media rei cuipiam ſe exhibiturum, quibus poſitis prouidebat rem talem certò ſuum finem conſequuturam, diuinę ipſius

Aſſertio tenenda Ratione probatur primo.

Secundò.

Nota aſſecutionem finis in iis quæ ipſum aſſequuntur pertinere ad prouidentiam diuinam.

prouidentię tribuendum eſt, cui ſemper adiuncta eſt infallibilis præuiſio ſeu præſcientia omnium futurorum euentuum, ratione cuius dicitur falli non poſſe: in quo diſtinguitur à noſtra, quæ errori ſæpenumero obnoxia eſt, iuxta illud Sapientiæ 9. *Cogitationes mortalium timidæ, & incertæ prouidentiæ noſtræ.*

Porrò diligenter notandum eſt, ſi ſermo ſit de fine vniuerſali quē Deus propoſuit rebus omnibus quibus prouidet, quæ eſt perfectio vniuerſi, hoc ſenſu, Res omnes aſſequi ſuum finem ſaltem vniuerſalem, ſicque ordinem diuinæ prouidentiæ reſpectu finis vniuerſalis, rerum omnium nequaquam peruerti poſſe. *Notandũ de vniuerſali fine rerũ omniũ creato.*

Quomodo ſtare poßit diuina prouidentia cum contingentia & libertate rerum.

QVÆSTIO V.

PEndet huius diſputationis explicatio ex iis quæ ſupra docuimus diſput. 11. q. 7. de concordia præſcientiæ diuinæ cum noſtro libero arbitrio, & diſput. 13. q. 7. de cōcordia voluntatis diuinæ efficacis ſeu prædeterminationis ipſius cum eodem libero arbitrio ex quo præcipue pendet contingentia & libertas rerum; ratio enim diuinę prouidentiæ ex vtroque illo actu diuini intellectus, & voluntatis intelligitur.

Diuinam prouidentiam non tollere libertatē agētiũ ſed potius ſtabilire probat.

Cùm igitur cōſtet ex iis quæ locis citatis docuimus, neque infallibilem præſciētiam diuini intellectus, neque immutabilem prædetermi-

Digitized by Google

nationem diuinæ volũtatis vllam neceſſitatem liberis agentibus aut ipſorum actibus imponere; hinc etiam ſequitur diuinam prouidentiam nullam quoque vim liberis agentibus inſerre, imò ad diuinam prouidentiam pertinebat (vt pręclarè docet hîc ſanctus Tho. ar. 4.) vt agẽtia quædam libera eſſent ſicut & quædam ſunt neceſſaria; ac proinde quædam euenirent contingenter & liberè, quędam verò neceſſariò: diuinę enim prouidẽtiæ eſt ordinare res ad finem; finis autem rerum omnium præcipuus, in rebus exiſtens, eſt bonum ſeu perfectio vniuerſi, ſicut finis præcipuus ſeparatus à rebus creatis & ſummum bonum abſolutè eſt bonitas Dei; atqui ad perfectionem vniuerſi pertinet vt omnes gradus eſſendi reperiãtur in rebus, ac proinde quædam ſint entia neceſſaria, alia contingẽtia. quare diuinæ prouidentię erat vt quibuſdã affectibus præpararet cauſas neceſſarias vt neceſſariò euenirent, quibuſdam verò cauſas contingẽtes vt euenirent contingenter ſecundũ conditionẽ cauſarum proximarum. Ex quo intelligis, licèt immutabili diuinæ prouidentiæ decreto liberũ arbitrium ſit præparatum ſeu ordinatum, tùm ad omnes actus quos poteſt producere, tum ad finem quem per tales actus conſequi poteſt; nõ tamẽ propterea eſſe determinatũ ad illos actus aut ad finem, ſiue illi actus aut finis ſint intenti, aut abſolutè voliti à Deo, ſiue nõ. Ratio eſt, quia ſi per ordinem diuinę prouidentiæ liberum arbitrium eſſet determinatum, verè non eſſet cauſa contingens & libera ſuorum actuum, quod repugnat ordini diuinæ illius prouidentię.

Finis rerũ omnium vniuerſalis ac præcipuus 2.

Corollariũ

Obiectio.

Obiicies forſan, illud quod ſcribit Boëtius lib.

Digitized by Google

4. de Cõſol. proſa 6. *Fatum* (inquit) *ab immobilibus diuinæ prouidentiæ proficiſcens exordiis actus fortunaſque hominum indiſſolubili cauſarum connexione aſtringit*. Reſpondemus cum D. Th. hîc ad 3. immobilitatem illam & indiſſolubilitatem quam Boëtius loco citato innuit, pertinere ad certitudinem & infallibilitatem diuinę prouidentię, quæ nũquàm deficit à ſuo effectu, ſiue effectus ille reſpectu cauſarum ſecundarum ſeu proximarum ſit neceſſarius, ſiue liber & contingens; non autem ad neceſſitatem & ineuitabilitatem effectuũ, quæ nulla eſt etiam poſitâ immutabili Dei ꝓuidẽtiâ, niſi ſecũdũ quid & ex hypotheſi; neque enim concedẽdũ eſt abſolutè loquendo effectũ liberũ ineuitabiliter euẽturũ, licèt certò & infallibiliter ſit euẽturus: nã ineuitabilitas attẽditur penes cauſã, quę cũ ſit libera & cõtingẽs, hinc fit vt nõ poſſit dici effectus ineuitabilis: at infallibilitas & certitudo attenditur penes notitiã quã de ipſo Deꝰ habet prorsꝰ immutabilẽ. *Solutio.*

Cæterũ, nota ex D. Thoma hoc loco, in hoc, immobilem & certum diuinæ prouidentiæ ordinẽ eſſe ac dici, quod ea quæ à Deo prouidẽtur cuncta eueniunt eo modo quo ipſe prouidet, ſiue neceſſariò, ſiue cõtingẽter, ſicque negãdũ eſt abſolutè ea prouideri quæ nuſquã eueniunt: ea enim omnia & ſola propriè loquẽdo cadũt ſub diuinã prouidẽtiã quæ cadũt ſub ipſius efficacẽ voluntatẽ, licèt nõnulla etiã dici poſſint aliquo modo & impropriè pertinere ad ipſius prouidẽtiã quæ tantũ cadunt ſub voluntatẽ ipſius antecedentem, vt ſunt, verbi gratia, actus boni, itẽque finis vltimus formalis ad quæ omnia dicitur ordinari à diuina prouidentia liberum *Notandũ de immobili ac certo diuinæ prouidẽtiæ ordine.*

Digitized by Google

arbitriũ hominis peruerſi & reprobi, licèt illos actus non exerceat, neque finẽ ad quẽ ordinatus erat conetur adipiſci: intantũ autẽ illa dicũtur pertinere ad ordinem prouidentiæ diuinæ, quatenus iuxta illũ ordinem paratus erat Deus exhibere illi homini peruerſo gratiam ſufficiẽtem vt illos actus exerceret, ac per illos ſalutem conſequeretur. Cæterùm qua ratione mala ac peccata quæ permittuntur, ad ordinem diuinæ prouidentiæ pertineant, intelligere eſt ex iis quæ ſupra diximus qu. 2. huius diſputationis. nempe quatenus ex malis à Deo eliciuntur bona quæ ad ipſius prouidentiæ ordinem per ſe referuntur.

Porrò nonnulla hîc de gubernatione quatenus eſt effectus diuinæ prouidentiæ, deque cõcurſu Dei cum omnibus rebus & eius cõcordia cũ libero arbitrio diſputari potuiſſent: verùm alius erit de gubernatione dicendi locus in tertio tractatu huius partis, vbi de Deo Creatore & Gubernatore rerum omnium: de concordia verò concurſus diuini ſiue naturalis ſiue ſupernaturalis cum libero arbitrio dicetur in tertia parte, vbi de Gratia & Iuſtificatione.

DECIMA SEXTA DISPVTATIO DE PRÆDESTINATIONE.

CVM Prędeſtinatio diuinæ prouidentiæ quædam pars ſit, doctrinę ordo poſtulat vt poſtquam de diuina prouidẽtia egimus, deinceps de Prędeſtinatione, deque ipſi oppoſita reprobatione diſſeramus; & quidẽ priùs in hac

diſputatione

Digitized by Google

diſputatione de prædeſtinatione, de reprobatione verò in proximè ſequenti.

Quid ſit, & an ſit Prædeſtinatio.
QVÆSTIO I.

PRÆDESTINATIO, ſi vim nominis ſpectes, idem eſt ac pręcedens deſtinatio. Deſtinare autem eſt vel aliquid omnino apud ſe ſtatuere, vel aliquid ad aliquem finem deſignare, vel etiam, vt ſcribit ſanctus Thomas hîc art. 1. quippiam aliquò tranſmittere: quæ omnes ſignificationes pertinent ad rationem prędeſtinationis, vt ex ſequentibus patebit. *Vnde dicta prædeſtinatio.*

Eſt autem prædeſtinationis acceptio duplex generaliter loquendo, vna lata & impropria pro ordinatione facta à Deo rationalis creaturę in quemlibet finem ſiue beatitudinem, ſiue pœnam æternam. Altera ſtricta & propria pro ordinatione facta a Deo naturalis creaturæ ad beatitudinem ſeu vitam æternam. *Prædeſtinationis acceptio duplex.*

Et quidem in iſta propria acceptione prędeſtinatio variè à variis deſcribitur. Antiqui enim Patres ante Diuum Auguſt. vt Clemens Alexandrinus lib. 7. Stromatum, Ambroſius l. 5. de fide, cap. 3. & alii prędeſtinationem definiebant communiter, electionem hominis ad gloriam; ſeu æternum Dei conſilium quo decreuit quibuſdam hominibus dare gloriam. At verò definitur à Diuo Auguſt. lib. de bono perſeuerantiæ cap. 14. *præparatio beneficiorum Dei, quibus certiſſimè liberantur quicumque liberantur.* Neque multùm abeſt ab ipſa deſcriptione ea quam *Prædeſtinationis deſcriptio.*

Digitized by Google

tradit ſanctus Thom. hîc art. 1. qua prædeſtinatio deſcribitur *Ratio tranſmißionis creaturæ rationalis in finem vitæ æternæ.* & art. 2. *Ratio ordinis aliquorũ in ſalutem æternam in mente diuina exiſtens:* Ex quibus variis deſcriptionibus poteſt colligi iſta, vt nempe prædeſtinatio definiatur *Æternũ propoſitum ſeu decretum quo Deus homines quoſdam ordinat ac dirigit in beatitudinem ſupernaturalem per media ſupernaturalia reipſa conſequendam.* Et qui hoc modo in beatitudinem diuinitùs ordinati ſunt, appellãtur prædeſtinati, nonnumquam etiam electi: item metaphoricè vaſa miſericordiæ, & vaſa in honorem præparata, ab Apoſtolo nuncupantur.

Accurata prædeſtinationis definitio.

Quod autem prædeſtinatio rectè dicatur propoſitum Dei, patet ex variis locis epiſtolarũ Diui Pauli, vbi per propoſitum Dei intelligit prædeſtinationem. Sic ad Rom. 8. *Omnia cooperantur in bonum his qui ſecundùm propoſitum* (id eſt prædeſtinationem) *vocati ſunt ſancti, nam quos præſciuit hos & prædeſtinauit, &c.* & ad Epheſ. 1. *Qui prædeſtinauit nos in adoptionem filiorum per Ieſũ Chriſtum in ipſum ſecundum propoſitum voluntatis ſuæ.* & ibidem *Prædeſtinati ſecundum propoſitum eius.*

Porrò ex illa prædeſtinationis ratione ſeu deſcriptione tria neceſſariò conſequuntur.

Prædeſtinationem admittẽdã eſſe probatur.

Primum eſt vere admittendam eſſe prædeſtinationem, ac proinde aliquos verè prædeſtinari. Probatur primò authoritate ſacræ Scripturæ locis ſupra allatis, & aliis poſtea in mediũ adducendis: Secundò ratione hac Diui Thomæ hîc art. primo. Prædeſtinatio nihil eſt aliud quàm

ratio tranſmiſſionis rationalis creaturæ à ſtatu naturæ ad finem ſupernaturalem; Atqui neceſſariò admittenda eſt ratio huius trāſmiſſionis in Deo: cùm enim ſit agens per intellectum, neceſſe eſt quòd in ipſo ſit ratio cuiuſlibet rei quam operatur. Vbi nota ordinationem & directionem rationalis creaturæ ad vitam æternã appellari à D. Th. tranſmiſſionem, eo quòd non poſſit ſua virtute ad eiuſmodi finem peruenire, ideoque neceſſe ſit quod à Deo in eum finem veluti tranſmittatur, ſicut neceſſe eſt ſagittam à ſagittante tranſmitti ad ſcopum ad quem non poſſet ingenita vi pertingere. *Notandũ.*

Alterum quod ex ſupradictis ſequitur, eſt, prędeſtinationem eſſe partem quandam diuinę prouidentię tùm ex parte obiectorum, cùm ſecundùm noſtrum concipiendi modum. Eſt enim prouidentia diuina decretum commune quò res omnes omninò ad ſuos fines per certa media ordinantur: prędeſtinatio verò decretum ſpeciale quo nonnulli homines infallibiliter diriguntur in ſupernaturalem finem per ſupernaturalia media. *Prædeſtinatio eſt pars prouidentiæ.*

Tertium quod ſequitur, eſt prædeſtinationẽ in Deo tum actum intellectus cùm actum voluntatis complecti. Vox enim iſta propoſitum ſeu decretum æquè ad actum intellectus ac voluntatis pertinet, quò fit vt ſacra Scriptura nonnumquam prędeſtinationem exprimat per actum voluntatis, vt cùm eam appellat electionem, interdum verò per actum intellectus, vt cùm eam conſilium vocat. *Prædeſtinatio ad intellectum ſimul ac voluntatẽ pertinet.*

Licèt autem audito nomine prædeſtina-

Digitized by Google

tionis plerique intelligant primò per ſe actum diuinę voluntatis eligentis ac determinantis aliquos, & media ipſis conducibilia ad finem ſupernaturalem; ſecundariò verò & quaſi connotando actum intellectus & rationis diuinæ qui cum tali actu voluntatis coniungitur, quomodo accipiunt prædeſtinationem ſanctus Bonau. in primum Sententiarum, D. 40. art. primo, quæſt. 2. & Scotus ibidem quæſt. prima. Nihilominus tamen doctiores Theologi, vt ſanctus Thom. hîc art. 1. Alexander Halenſis 1. part. ſuæ Summę quęſt. 28. Richardus in primũ ſent. diſt. 40. art. 1, quęſt. 1. & alii audito nomine prędeſtinationis intelligunt primò per ſe actum diuini intellectus quo prædeſtinatus ordinatur ad finem ſupernaturalem per media ad id conducibilia; ſecundariò verò & quaſi connotando actum voluntatis, non tantùm quo prædeſtinatus diligitur & eligitur, ſed etiam quo prædeterminantur media quibus prędeſtinatus finem illum conſequitur: nec abs re, cùm ſit prædeſtinatio pars diuinæ prouidentię ad quam ſpectat ordinare res in ſuos fines. Ordinare autẽ primò & per ſe ad intellectum pertineat, vt pręcedenti diſp. oſtenſum eſt, & aliàs in Ethicis, vbi de Prudentia.

Quomodo actus dilectionis & electionis ſe habeāt ad actum prædeſtinationis.

Vbi nota diligenter actum dilectionis & electionis diuinæ dici ſecundariò ſignificari nomine prędeſtinationis, non quòd poſterius ordine concipiantur quàm ipſa prædeſtinatio formaliter ſumpta, ſed quod minùs pręcipuè ſignificentur nomine prædeſtinationis; cùm tamen ipſam ſecundùm noſtrum concipiendi modum

pręcedant. Prędeſtinatio enim (inquit S. Tho. hîc ar. 4.) ſecundùm rationem pręſupponit electionem, & electio dilectionem. Ratio (inquit) eſt, quia prędeſtinatio eſt pars prouidentię, prouidentia autem ſicut & prudentia eſt ratio in intellectu exiſtens pręceptiua ordinationis aliquorum in finem, non autem pręcipitur aliquid ordinandum in finem niſi pręexiſtente voluntate finis: vnde prædeſtinatio aliquorum in ſalutem æternam pręſupponit ſecundùm rationem quod Deus velit illorum ſalutem; ad quod pertinet electio & dilectio; dilectio quidem inquantùm vult eis hoc bonum ſalutis æternæ, electio autem inquantum hoc bonum aliquibus præ aliis vult.

Grauiſſima dubitationis reſolutio.

Si quęras, ad quod genus ſcientię diuinę pertineat actus ille intellectus diuini in quo formaliter poſita eſt ratio prædeſtinationis. Reſpondemus pertinere ad eam ſcientiã quã aliàs mediam conſtituimus inter ſcientiam hypotheticam & ſcientiam merè liberam, ſeu viſionis quam appellauimus ſcientiam approbationis & practicam, ſicque pręd eſtinatio formaliter eſt ratio practica ſeu iudicium practicum ordinis mediorum ad finem ſupernaturalem, quo quidem iudicio practico iudicat ſeu nouit practicè Deus ab æterno conueniens eſſe vt per hæc & illa media eos perducat ad gloriam quos ad eam elegit; quod iudicium practicum coniungitur cum determinatione diuinæ voluntatis quâ Deus determinat ſeu ſtatuit ſe de facto per hęc & illa media perducturum electos ad gloriam.

Quinam ſint effectus prædeſtinationis.

QVÆSTIO II.

SVPPONENDVM eſt hîc quod docet ſanctus Doctor hoc loco art. 2. in quo conſentiunt Theologi, prædeſtinationem ſecundùm ſe ſpectatam vt eſt actus intellectus immanens, ſiue vt eſt ratio ordinis in Deo, non eſſe aliquid in prædeſtinato, ſed in prędeſtinante, ſicut prouidentia non eſt in rebus prouiſis, ſed in prouiſore ſeu prouidente; at verò exequutionem eius ordinis, nempe gubernationem paſſiuè eſſe in prædeſtinatis, actiuè autem in Deo: ex quo intelligere eſt, quod licèt prædeſtinatio in ſe formaliter non ſit aliquid in prędeſtinato, attamẽ vt executioni mandatur, aliquid proculdubiò in ipſo efficit. Quid autem illud ſit quod prędeſtinatio ſic ſpectata efficit in prædeſtinato dubitatur; an ſit ordo mediorum ſupernaturalium ad finẽ ſupernaturalem, an verò aſſequutio eiuſmodi finis, an denique vtrumque.

Aſſertio tenenda. Sit igitur hæc noſtra aſſertio, quæ communis eſt Theologorũ. Effectus prædeſtinationis eſt tũ ordo mediorũ ad beatitudinẽ ſupernaturalem, tum conſequutio ipſius beatitudinis: ſeu (vt aliter loquamur) effectus prædeſtinationis, ſunt tum media ad finem ſupernaturalem infallibiliter conſequendum conducibilia, tum etiam ipſe finis ſupernaturalis: quod apertè ſatis docet ſanctus Thomas hîc art. 2. Eſt autem (inquit) exequutio prædeſtinationis vocatio & *Probatur a. thoritate.*

magnificatio, ſeu glorificatio iuxta illud Apoſt. ad Rom. 8. *Quos prædeſtinauit hos, & vocauit, & quos vocauit hos & iuſtificauit, & quos iuſtificauit illos & glorificauit ſeu magnificauit.* Vbi Apoſt. nomine vocationis & iuſtificationis complectitur ordinem omnium mediorum, ſeu omnia media quibus prædeſtinatus beatitudinem adipiſcitur; nomine autem glorificationis conſequutionem finis ſeu ipſam beatitudinem ſupernaturalem.

Confirmatur ratione

Confirmatur præterea ratione, quia cùm prædeſtinatio ex Diuo Auguſt. loco ſupra citato, ſit quædam beneficiorum Dei pręparatio, ſumma autem diuinorum beneficiorum ſit gratia ſimul & gloria, iuxta illud Pſal. 83. *Gratiam & gloriam dabit Dominus.* Non igitur ſola gratia aut gloria, ſed vtraque erit effectus diuinę prædeſtinationis.

Non quácumque vocatio & iuſtificatio eſt effectus prædeſtinationis.

Vbi nota, non quamcumque vocationem aut iuſtificationẽ eſſe effectũ prædeſtinationis, licèt ſit ſemper effectus diuinæ prouidentiæ, ſed efficacem dumtaxat, quæque habet reſpectum ad finalem perſeuerantiam in prædeſtinatis. Neque obeſt ſi quando iuſtificationis gratia fuerit excuſſa per peccatum, reuiuixit enim illa amiſſa iuſtificationis gratia per pœnitentiam ſecundùm ipſius pœnitentiæ proportionem, ex probabiliori Theologorum ſententia, & ita gratia per pœnitentiam recuperata tanquam medium confert ad beatitudinẽ in tali vel tali gradu conſequendam; quod etiam de meritis per peccatũ mortificatis, & poſtea per pœnitentiã reuiuiſcẽtibus, vt Theologi tradũt ſentiendũ eſt: neq; enĩ exiſtimãdũ eſt eos eſſe tantũ effectus prædeſtinationis qui ad cõ-

Digitized by

ſequendã ſimpliciter beatitudinẽ ſed etiam qui ad talem vel talem gradum beatitudinis conſequendum pertinent.

Notandũ.

Nota etiam nomine vocationis & iuſtificationis includi cooperationem, ac quemuis vſum bonum liberi abitrii quo perficitur & completur tũ vocatio cùm iuſtificatio in ordine ad finalem perſeuerantiam, quatenùs nempe iſte bonus vſus liberi arbitrii eſt à Deo prædeſtinante tamquam ab vniuerſali rerum omniũ cauſa, vt hîc docet ſanctus Thomas.

Quænam ſint cauſæ prædeſtinationis, QVÆSTIO III.

QVONIAM magni momenti eſt ad vniuerſam Theologiam preſens queſtio, multiſque difficultatibus implicatur; idcircò operæ pretium eſt eam paulò fuſiùs pertractare, ac maioris facilitatis gratia in quædam veluti capitula diſtinguere.

Capitulum primum, notanda quædam circa hanc quæſt. continens.

Primum notandum de triplici decreto.

NOTANDVM eſt imprimis tria veluti decreta diuinæ voluntatis circa prædeſtinatos conſiderari poſſe, nempè decretum abſolutum conferendi eis gloriam & non aliis, quæ dicitur electio quam ordinatio mediorum ad illam conducibilium præſupponit ex D. Tho. deinde decretum conferendi illis media ad talẽ gloriam infallibiliter aſſequendam conducibilia, quod quidem ad ordinationem mediorum

pertinet;denique decretum conferendi illis aliquando prædictam gloriam propter talia media, quod decretum concipitur poſterius ipſa ordinatione mediorum. Eſt autem diſcrimen inter illa decreta,quod primum licèt adiunctam habeat, immò & præſupponat ſcientiam naturalem mediorum, tùm ſimplicis intelligentiæ cùm mediam ſeu hypotheticam,non tamen habet adiunctam præuiſionem ipſorum niſi ex conſequenti:ſecundum verò,non tantùm ſupponat ſcientiam naturalem, ſed etiam adiunctam habeat liberam ſcientiam tùm approbationis, ſeu practicam cùm etiam viſionis mediorum,ac proindè meritorum abſolutè futurorum,licèt eam non ſupponat: tertium denique ſupponat ſcientiam approbationis & viſionis ipſorum mediorum.

Secundum notandum de 4ᵗⁱ acceptione prædeſtinationis.

Notandum ſecundò quadruplicem eſſe acceptionem prædeſtinationis apud Theologos: quidam enim accipiunt prædeſtinationem quatenus ſolum primum decretum continet; alij quatenus ſolum ſecundum complectitur; nonnulli quatenus vtrumque includit; non deſunt etiam qui prædeſtinationem accipiant quatenus ſolum tertium decretum complectitur:quo fit vt licèt varij variè,verè tamen nonnunquam de cauſis prædeſtinationis ſentiant.

Tertium notandum de modo quo hic accip tur prædeſtinatio.

Notandum tertiò,licèt optimè S.Thomas formalem rationem prædeſtinationis poſuerit in ſola ordinatione ſeu ratione ordinis mediorum quibus prędeſtinatus in vitam æternam tranſmittitur, ſicque in ſolo actu rationis illam formaliter conſtituerit,cui tamen adiunctus ſit ali-

quis actus diuinæ voluntatis, non tamen adeò accuratè accipienda eſt hîc prædeſtinatio: quare hîc prædeſtinationem cum maiori parte Theologorum vſurpamus in tertia acceptione, quatenùs nempè tùm electionem ad gloriam, cùm ordinationem mediorum complectitur: quo modo prædeſtinatio duo priora diuinæ voluntatis decreta continet; vnum quo ſtatuit abſolutè quibuſdam dare gloriam; alterum verò quo ſtatuit media ad ipſam conducibilia electis exhibere; quò ſpectat vulgaris diſtinctio prædeſtinationis in eam quæ dicitur prædeſtinatio ad gloriam, & eam quæ dicitur prędeſtinatio ad gratiam.

Quartum notandum de duplici cauſa prædeſtin.

Notandum 4° prędeſtinationis hoc tertio modo ſumptę, quatenus duplicem illum actum diuinę voluntatis includit, cauſam ſeu rationem, quæri poſſe dupliciter; nempè vel ex parte Dei, vel ex parte prædeſtinati: ex parte quidem Dei, vtrùm ſit aliquid in Deo quod ſit cauſa vel ratio cur Deus aliquos prædeſtinet; ex parte verò prædeſtinati, vtrùm ſit aliquid in prædeſtinato quod ſaltem, vt præuiſum ſeu præſcitum ſit cauſa vel ratio cur Deus ipſum prædeſtinet.

Quintum notandum de duplici conſideratione prædeſtinat.

Notandum quintò, prædeſtinationem diuinã conſiderari poſſe dupliciter: nẽpè vel in ordine ad omnes ſuos effectus, v.g. tùm ad gloriá cũ ad gratiá & quælibet gratiæ beneficia; vel in ordine ad aliquos, v.g. ad gloriá tãtũ, vel tãtũ ad gratiam, aut ad aliqua duntaxat gratiæ beneficia, nõ ad omnia, ſicq; aſſignari poſſe cauſam prædeſtinationis dupliciter, nẽpè vel ipſius ſpectatæ ad omnes ſuos effectus, vel ad aliquos duntaxat.

Capitulum ſecũdum, nonnullas propoſitiones indubitatas circa propoſitam quæſtionem continens.

PRIMA propoſitio: Non poteſt eſſe vlla cauſa propriè dicta prædeſtinationis quatenus eſt actus quidam immanens in Deo, ſeu decretum diuinæ voluntatis, ſuprà enim docuimus (nempè d. 13. q. 5.) nullam aſſignari cauſam propriè dictam diuinę volitionis, licèt vnum poſſet dici ratio diuinæ volitionis circa aliud, ac proindè cauſa cur Deus aliquid velit impropriè dicta. Nota tamen Deum ipſum dici poſſe aliqua ratione cauſam prædeſtinationis per intellectum & voluntatem, iuxta illud ad Roma. 9. *cui vult miſeretur.* & Epheſ. 1. P*rædeſtinati ſecundùm propoſitum voluntatis eius.* *Prima propoſitio.*

Secunda propoſitio. Poteſt aſſignari ex parte Dei ratio diuinæ prędeſtinationis ſumptę tùm pro electione ad gloriam, cum pro ordinatione mediorum, nempè diuina bonitas, & gloria, itemque ſpecialis Dei erga aliquos dilectio. Idcircò enim, aliqui dici poſſunt prædeſtinati ad vitam æternam, vt per hoc manifeſtetur diuina bonitas & dilectio erga homines, tùm etiam vt ipſe Deus in ſanctis glorificetur, & idcircò dici poteſt Deus aliquos prædeſtinare, quia ipſe bonus eſt, & quia nonnullos ſpecialiter ab æterno dilexit. *Secunda propoſitio.*

Tertia propoſitio. Si prædeſtinatio accipiatur pro ſola ordinatione mediorũ quibus prædeſtinatus trãſmittitur ad gloriam præſuppoſitâ eius electione ad ipſam, non tantùm Dei bonitas, & dilectio, verùm etiam ipſa electio dici poteſt *Tertia propoſitio.*

ratio prædeſtinationis, immò gloria ipſa quatenùs eſt finis præuiſus & volitus à Deo, dici poteſt ratio huius prædeſtinationis: etſi enim volitio finis in Deo non poſſit eſſe cauſa volitionis mediorum, poteſt tamen volitio finis, ac proindè ipſe finis volitus dici ratio volitionis mediorum; ſic enim cùm ſcribit Apoſt. ad Eph. 1. c. *Deum nos elegiſſe in Christo, Vt eſſemus ſancti & immaculati*: ſatis apertè ſignificat Deum ex eo velle nobis conferre gratiam innocentiæ, & ſanctitatis, quòd nos ab æterno in gloriam ſuam elegerit.

Quarta propoſitio.

Quarta propoſitio: Si prędeſtinatio impropriè accipiatur, nempè 4° modo, pro eo decreto quo ſtatuit Deus ſe daturum gloriam ſuis prædeſtinatis propter ipſorum merita: quod quidem decretum non tam eſt prædeſtinatio de qua loquimur, quàm aliquid poſterius prædeſtinatione, ſaltem ſecundùm noſtrum concipiendi modũ, ſi prædeſtinatio, inquã, eo modo accipiatur, nihil abſurdi eſt aſſerere aliquã eſſe cauſam ſeu rationem prædeſtinationis ex parte prædeſtinati, nempe ipſius merita, vt pręuiſa & à Deo volita. Itaque ſicut ex præcedenti aſſertione colligere eſt Deum velle electorum merita eſſe propter ipſorum gloriam tanquam propter cauſam meritorum finalem; ſic ex iſta colligere eſt Deum velle etiam ipſorum futuram gloriam eſſe propter eorumdem merita tanquam propter cauſam ipſius gloriæ diſpoſitiuam ac meritoriam.

Nota duplicem eſſe in Deo voluntatem dandi gloriam.

Vbi notandum eſt diligenter duplicem eſſe in Deo voluntatem dandi gloriam electis, vnam ſine præuiſione meritorum, vtpotè quæ conci-

Digitized by Google

piatur antecedere rationem ordinis mediorum, & hanc non dicimus eſſe propter præuiſa electorum merita, ſed tantùm propter ipſum Dei beneplacitum; aliam verò ratione poſteriorem ipſâ ordinatione mediorum, quàm verè aſſerimus eſſe propter merita electorum, & ſecundùm quam dicimus Deum velle dare gloriam electis propter ipſorum merita.

Quinta propoſitio.

Quinta propoſitio. Poteſt vnus effectus prædeſtinationis 3° modo ſumptæ (quo modo prænotauimus D. Aug. & alios Theol. communiter prædeſtinationis vocabulum vſurpare) eſſe non tantùm ratio, ſed verè cauſa alterius effectus eiuſdem prædeſtinationis, vt docet expreſsè ſanctus Thom. hîc art. 5. ſicque vnus effectus poteſt eſſe ratio, & cauſa ſaltem impropriè dicta prędeſtinationis diuinæ relatę ad alium effectum; ſic gloria ſeu vita æterna eſt cauſa finalis gratię & meritorum, & econtrà gratia & merita ſunt cauſa moralis ſeu diſpoſitiua ac meritoria glorię; quo fit vt gloria æterna quatenus præuiſa & volita ſit ratio cur Deus velit, & ſtatuat conferre gratiam electis ad gloriam, ac proindè eſt ratio prædeſtinationis conſideratæ in ordine ad gratiam; licèt non econtra gratia vt præuiſa & volita, ſit ratio Deo cur primò per ſe & abſolutè voluerit quibuſdam conferre gloriam, ſed tantùm cur voluerit ipſis iam electis & præordinatis conferre gloriam propter merita. Decretum enim illud quo abſolutè quoſdam præ cęteris elegit ad gloriam, præcedit præuiſionem gratię, & meritorum, pendetque ex ſola bonitate & beneplacito voluntatis diuinę: at verò de-

cretum quo ſtatuit ſe daturum ipſis electis, & prædeſtinatis gloriam propter ipſorum merita tanquam iuſtitiæ coronam ac præmium ſequitur præuiſionem gratiæ & meritorum, fitque non ex ſolo beneplacito Dei, ſed ex pręuiſa cooperatione & meritis pędeſtinatorum.

Sexta propoſitio. Sexta propoſitio: Chriſtus Dominus vt præuiſus volitus & electus à Deo, eſt ratio prædeſtinationis cæterorum omnium electorum: eſt enim Chriſtus per ſuam ipſius paſſionem & mortem cauſa meritoria omnium effectuum ſupernaturalium prædeſtinationis qui in ipſo prædeſtinato peraguntur, id quod ſatis apertè indicat Apoſt. ad Epheſ.1. cap. *Qui benedixit nos in omni benedictione ſpirituali in cæleſtibus in Chriſto, ſicut elegit nos in ipſo.* & ibidem, *qui prædeſtinauit nos in adoptionem filiorum per Ieſum Chriſtum.*

Septima propoſitio. Septima propoſitio. Non datur ex parte prædeſtinati vlla ratio prædeſtinationis paruulorũ baptizatorum qui ante vſum rationis ex hac vita diſcedunt. Neque enim audiendi ſunt quidam ex reliquis Pelagianorum, qui aiebant eos tantùm paruulos prædeſtinari quos Deus præſciebat bona opera facturos, eos verò reprobari quos Deus præuidebat mala opera facturos ſi diutiùs vixiſſent: iſta enim gratis dicuntur, & ſine fundamento; immò contrarium conſtat ex cap.4. Sapientiæ, vbi Sapiens teſtatur iuſtum eſſe ereptum ex hac vita & in refrigerio poſitum, & ſi in peccatum lapſurus eſſet, ſi diutius vixiſſet, *Raptus eſt,* (inquit) *ne malitia mutaret intellectum eius,* &c. *placita enim erat Deo anima illius.* Adde Apoſtolum 2. ad Corinth. 5. aſſerere

Digitized by Google

vnumquemque mercedem accipere non prout geſturus eſt ſi diutius viueret, ſed prout geſſit in corpore dum vixit ſiue bonum ſiue malum.

Capitulum 3. quæſtionis præcipuæ, ſtatum ac variarum circa illam opinionum refutationem continens.

Svpradictis omnibus poſitis, de quibus non eſt hîc præſertim quæſtio, difficultatis nodus eſt, vtrũ nulla detur ex parte prædeſtinati adulti ratio prædeſtinationis tertio modo ſumptæ, nempè tum pro electione ipſius ad gloriam, cũ pro ordinatione mediorum quibus ipſe electus ad illam certò & infallibiliter perducitur: quod idem eſt ac ſi quæratur, vtrùm nil ſit in prædeſtinato, quod ſaltem vt præuiſum ſit cauſa meritoria omnium effectuum prædeſtinationis tertio modo ſumptæ. Verùm quia variæ fuerunt tùm hæreticorum cum Catholicorum ſententiæ circa hoc, aut falſæ, aut minus probabiles, operæpretium eſt illas diſcutere, & refutare, vt probabilioris ſententiæ veritas magis eluceſcat. *Difficultatis nodus.*

Prima igitur opinio fuit hæretica Origenis lib. 1. Periarchon: cap. 8. & l. 2. cap. 10, cauſam meritoriam prædeſtinationis ſaltem quoad ſuos effectus in prædeſtinato eſſe bona opera quæ anima illius geſſerit antequam corpori vniretur, & ſimul etiam reprobationis eſſe mala opera, quæ anima geſſerit antequam corpori vniretur. Verùm hic error vel hac vnica authoritate D. Pauli ad Rom. 9. reuincitur. *Cùm* (inquit) *nondum nati eſſent, neque quicquam boni aut mali egiſſent, vt ſecundùm electionem propoſitum Dni* *Prima opinio.*

Digitized by Google

maneret, non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt, quia maior ſeruiet minori, ſicut ſcriptum eſt Iacob dilexi, Eſau odio habui: Adde fictitium eſſe quod ille cenſuit de exiſtentia animarum antequàm corporibus vniantur, vti aliàs in tertia parte Phyſicæ tract.4.diſp.1.q.1.docuimus.

Secunda opinio. Secunda opinio, eaque ſimiliter hæretica eſt Pelagij, Celeſtii, & ſectatorum, qui cùm in viribus naturæ ſitum eſſe dicerent iuſtificationem promereri, ac in ipſa perſeuerare, gratiam verò ad id quidem conducere, non tamen eſſe abſolutè neceſſariam, exindè aſſerebant cauſam meritoriã electionis & prædeſtinationis eſſe actiones naturales liberi arbitrii præuiſas. Verùm hîc Pelagianorum error de vi & meritis naturalium actionum liberi arbitrii fuſiùs refutabitur in 3. part. huius Summę, vbi de gratia & merito: hoc autem errore ſublato ſequitur actiones illas naturales non poſſe dici cauſas meritorias prędeſtinationis noſtræ ad gloriam; quod vel ex illo Apoſtoli dicto ad Eph.1. ſatis liquet, *Elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem vt eſſemus ſancti & immaculati*. Non igitur quia futuri eramus, ideo quippè tales futuri eramus, quia elegit ipſe prædeſtinans vt tales per gratiam eius eſſemus.

Refellitur.

Tertia opinio. Tertia opinio eſt quorumdam, qui reliquiæ Pelagianorum dicti ſunt: arbitrabantur illi hominem poſſe viribus liberi arbitrii ita credere & velle ſaluari, vt meritò talis fidei & bonæ voluntatis gratiam iuſtificationis poſſet obtinere, & per liberum arbitrium poſſet perſeuerare in fide, ſicque aiebant huiuſmodi fidem & bonam voluntatem à Deo præſcitam eſſe cauſam meritoriam

ritoriam prædeſtinationis. Verùm hic error facilè reuincitur ex iis ſacræ Scripturæ locis, quibus aſſeritur fidem ac perſeuerantiam in fide, immò & bonam voluntatem non eſſe ex meritis, ſed ex gratia Dei. Ioan. 15. *ſine me nihil poteſtis facere.* Ad Roma. 9. *Non eſt volentis neque currentis, ſed miſerentis Dei.* 1. ad Corinth. 4. *Quid habes quod non accepiſti?* ad Philipp. 2. *Deus eſt qui operatur in nobis velle & perficere.* Et 1. ad Timoth. 4. *Miſericordiam à Deo conſequutus ſum, vt fidelis eſſem*: Non verò dicit Apoſtolus, *quia fidelis eram.* Eſt autem hic error ſolemniter damnatus in Concilio Arauſicano, vbi definitum eſt neminem poſſe credere aut perſeuerare abſque diuinæ gratiæ auxilio. *Refellitur.*

Quarta opinio, quæ non eſt hęretica eſt Thomæ Argentinenſis & Gabrielis, quod ſpectat ad eos qui ordinariè prędeſtinantur, opera bona ipſorum moralia antecedentia gratiam iuſtificationis vt præuiſa & pręſcita eſſe cauſam meritoriam prædeſtinationis ex congruo. Verùm refutatur hæc ſententia tùm authoritate Apoſtoli negantis electionem & prædeſtinationem eſſe propter opera. ad Roma. 9. ſecundæ ad Timoth. 1. ad Tit. 3. tùm etiam ratione; namque gratia vocationis, quæ eſt effectus prædeſtinationis, antecedit iuſtificationem, immò etiam illa bona opera quæ ante iuſtificationem exercentur: Adde etiam nonnullos prędeſtinari, quorum conuerſionem & perſeuerantiam in gratia nulla bona opera præceſſerunt. *Quarta opinio.* *Refellitur.*

Digitized by Google

Quinta ſententia eſt eorum qui dixerunt vel arbitrati ſunt cauſam prædeſtinationis eſſe merita gratiam ſubſequentia, quatenus præuiſa ſunt. Sed refellitur hæc opinio, namque bonus vſus gratiæ, ac proinde meritum omne ſunt effectus diuinæ prædeſtinationis, ac proindè non poſſunt dici cauſa meritoria prędeſtinationis relatæ ad omnes ſuos effectus.

Refellitur.

Sexta ſententia eſt Henrici Gandauenſis, actiones illas quibus homo prædeſtinatus cooperatur diuinæ vocationi, & acquirit gratiam, ac in ea acquiſita perſeuerat obſeruando mandata quatenus ſunt à libero arbitrio, eſſe cauſam meritoriam ex congruo diuinæ prędeſtinationis quoad omnes ſuos effectus. Verùm refellitur hæc ſententia, quia actiones illæ prædictæ, quatenùs ſunt à libero arbitrio, non diſtinguuntur à ſeipſis quatenus ſunt à Deo prædeſtinante, & vocante per gratiam præuenientem. Non eſt (inquit ſanctus Thom. hìc art. 5.) diſtinctum quod eſt ex libero arbitrio, & ex prędeſtinatione, ſicut nec eſt diſtinctum quod eſt ex cauſa ſecunda, & cauſa prima: ſicque quoquo modo ſpectatæ illæ actiones, ſunt ſemper effectus diuinæ prædeſtinationis, immò etiam effectus gratiæ, vt aliàs oſtendemus.

Sexta opinio.

Refellitur.

Capitulum quartum, probabiliorem Diui August. & D. Thomæ ſententiam continens.

EXPLOSIS omnibus minùs probabilibus de cauſis prædeſtinationis opinionibus, re-

ſtat veriſſima ſententia D. Auguſt. in libris aduerſus Pelagianos quæ habentur 7° Tomo operum ipſius, & D. Thom. hîc art. 5. ac reliquorum nobiliorum Theologorum, nullam aſſignari poſſe ex parte prædeſtinati cauſam meritoriam, aut rationem prædeſtinationis quoad omnes ſuos effectus; ſeu nihil eſſe in prædeſtinato quod poſſit eſſe cauſa meritoria ſuæ prædeſtinationis integraliter ſumptæ, aut ratio cur Deus ipſum primò per ſe elegerit, ac ſimul per omnia media conducibilia ipſum ad finem vitæ æternæ infallibiliter obtinendum ab æterno ordinauerit. *Explicatur noſtra quæ eſt D. Aug. ac D. Th. ſententia.*

Probatur autem hæc ſententia pluribus ſacræ Scripturæ locis vel teſtimoniis, quibus apertè ſignificatur præordinationem Dei circa omnia ſalutis media non ex alio quàm ex ipſius beneplacito, bonitate, & miſericordia prouenire. Sic Matth. 11. *Confiteor tibi pater*, &c. *ita pater, quia ſic placitum fuit ante te.* Et cap. 20. *An non licet mihi facere quod volo, an oculus tuus nequam eſt, quia ego bonus ſum?* Ad Rom. 9. *vt ſecundum electionem propoſitum Dei maneret, non ex operibus, ſed ex vocante*, &c. Item ad Epheſ. 2. *Gratia enim eſtis ſaluati per fidem, & hoc non ex vobis, Dei enim donum eſt; non ex operibus ne quis glorietur, ipſius enim factura ſumus creati in Chriſto Ieſu in operibus bonis quæ præparauit Deus, vt in iis ambulemus*: Vbi vides opera bona beneficio prædeſtinationis nobis fuiſſe præparata. & ſecundæ ad Timoth. 1. *Qui liberauit nos & vocauit vocatione ſua ſancta, non ſecundum opera noſtra, ſed ſecundùm propoſitum ſuum, & gratiam quæ data eſt nobis ante tempora ſæcularia:* vbi non dicit ſecundũ opera præuiſa, ſed ſecũdũ *Probatur eadem ſententia Authoritate:*

gratiam ab æterno electis præparatam : & ad Tit. 3. *Non ex operibus iuſtitiæ quæ fecimus nos, ſed ſecundum miſericordiam ſuam ſaluos nos fecit.* Ex quo loco rectè colligit ſanct. Thomas, quod cùm Deus eo modo nos voluerit ſaluari quo de facto nos ſaluat; nos autem de facto ſaluet à peccatis & poteſtate diaboli, non ex operibus, ſed ſecundùm miſericordiam ſuam, ſequitur quod ab æterno voluerit nos ſaluari, non ex operibus, ſed ſecundùm ſuam miſericordiam. Probatur 2° ex communi conſenſu nobiliorum Theologorum, non tantùm D. Aug. & ſancti Thom. ſed etiam ſancti Bonauent. in 1um ſentent. diſput. 41. qu. vnica, Scoti, Richardi, Ægidij, & aliorum ibidem: Halẽſis etiam in 1. part. ſuę Theo. q. 28. membro 3. art. 3. Probatur 3° ex refutatione aliarum ſententiarum capitulo præcedenti. Quartò confirmatur hac potiſſimùm ratione : ſi eſſet ex parte prædeſtinati aliquid, quod eſſet cauſa meritoria prædeſtinationis relatæ, ad omnes ſuos effectus, ſeu quod vt præuiſum eſſet ratio cur Deus aliquem primò per ſe eligeret ad gloriam, ſtatueretque illi exhibere omnia media ad ipſam conducibilia, deberet illud eſſe cauſa meritoria omnium effectuum prædeſtinationis, (neque enim aliter concipi poteſt aliquid pręuiſum ex parte prædeſtinati, eſſe rationem cur Deus ipſum totaliter prędeſtinauerit, niſi quatenus illud eſt cauſa meritoria omnium effectuum prædeſtinationis) atqui hoc dici non poteſt; hinc enim ſequeretur dari poſſe ex parte prædeſtinati aliquid quod eſſet cauſa meritoria vocationis efficacis, ac proindè

Confirmatur ratione primò oſtẽſiuè.

iuſtificationis, quod Pelagianiſmũ redolet: certum enim eſt, imò & de fide tenendum, initium iuſtificationis non eſſe ex nobis, ſed ex Deo, vt definitum eſt in Concilio Arauſicano c. 5. & 7° & Tridentino Seſ. 6. C. 5. & Cano. 3. Denique eadem ſententia confirmatur ex multis abſurdis quę ex oppoſita ſententia conſequuntur: Si enim Deus prædeſtinaret ex præuiſis meritis, hoc eſt propter præuiſa merita, ſequeretur primò prædeſtinationem pendere ex meritis, non verò ex beneplacito Dei; Secundò, Deum non eſſe liberum in prædeſtinando, ſed obſtringi per merita præuiſa; Tertiò, collationem gratiæ non eſſe effectum prædeſtinationis, vtpotè cuius præuiſionem prædeſtinatio ſupponeret, cùm nulla poſſint eſſe prçuiſa merita abſque præuiſione futuræ gratiæ; Quartò, nullam fore difficultatem in aſſignanda ratione prædeſtinationis, cùm tamen tantam Apoſtolus agnouerit, vt coactus fuerit exclamare: *Tu qui es qui reſpondeas Deo?* Et Rom. *O altitudo diuitiarum*, &c. *Secundo ductu ad abſurdum.*

Concludendum igitur eſt cum Diuo Thoma totum prædeſtinationis effectum nullam habere cauſam ex parte noſtra, licèt habeat ex parte Dei, nempe diuinam voluntatem & bonitatem à qua procedit ſicut à principio primo mouente, & in quam ordinatur vt in finem; ſicque prędeſtinationem electorum primò per ſe referendam eſſe in ſolam Dei abſolutam voluntatem ſimul & ipſius bonitatem infinitam. *Concluſio.*

Neque præterea Deus argui poteſt iniuſtitiæ aut acceptionis perſonarum quod nulla ratione habita meritorum aliquos potiùs quam alios *Obiectioni taci a occurritur.*

Digitized by Google

ad gloriam eligat ac prædeſtinet, cùm iſtud ſit opus diuinæ bonitatis, miſericordiæ & liberalitatis, non verò iuſtitiæ, præſertim cùm gloriam, aut gratiam nulli mortalium debeat, vtpotè quæ naturalem hominis conditionem longè ſuperent.

Dubitatio. Si quæras: quomodo igitur ſe habeat præſcientia, ſeu pręuiſio meritorum, & boni vſus liberi arbitrij ad prędeſtinationem.

Reſolutio. Notandum eſt, præſcientiam illam meritorum & præuiſionem duplicem in Deo concipi, nempè abſolutam, quæ eſt merè libera, vel conditionalem quæ dicitur media ſeu hypothetica. Quod igitur ſpectat ad præſcientiam abſolutam meritorum, facile eſt ex pręcedentibus intelligere eam neque eſſe cauſam, neque rationem cur aliquos Deus prædeſtinauerit, cùm illa præſcientia in Deo ſit quid poſterius noſtro concipiendi modo, quàm prædeſtinatio propriè ſumpta, licèt dici poſſit ratio ſeu cauſa prædeſtinationis impropriè, ſeu quarto modo ſumptæ, nempe pro decreto dandi gloriam, propter merita tanquam debitam ipſis mercedem, ſicque non poſſe dici prędeſtinationem eſſe ex præuiſis meritis, ſi ſermo ſit de prędeſtinatione propriè dicta, ac de iſto priori genere præuiſionis, licèt dici poſſit, ſi intelligatur de prædeſtinatione impropriè dicta, ſeu quarto modo ſumpta. Quod verò ſpectat ad præſcientiam conditionalem meritorum, licèt ſit verè aliquid prius noſtro concipiendi modo quàm prædeſtinatio propriè dicta, non tamen propter-

Digitized by Google

ea dici debet cauſa vel ratio diuinæ prędeſtinationis : licèt enim eos ſolos adultos Deus prædeſtinet quos præſcit gratiæ cooperaturos, ſaltem finaliter, ſi eam velit illis exhibere, non tamen inde ſequitur eos prædeſtinare, quia pręſcit ipſos gratiæ cooperaturos ſi eam ipſis exhiberet ; poteſt enim fieri, vt ſtante illa conditionali præſcientia, aliquos tamen non prædeſtinet : ſicque, licèt bonus vſus liberi arbitrij conditionaliter pręuiſus dici poſſit conditio ſine qua Deus non prædeſtinaret, non tamen dici poteſt cauſa, ſeu ratio propter quam prædeſtinet. Si igitur de hoc poſteriori genere præſcientiæ, ſeu pręuiſionis ſermo ſit, dici poteſt prædeſtinatio propriè ſumpta fieri, ſeu eſſe ex pręuiſis meritis ; modò iſta particula *ex* ſignificet ſolam prioritatem rationis ſecundùm quam concipimus præſcientiam conditionalem meritorum antecedere prædeſtinationem ; non verò cauſam ſeu rationem propter quam ſit prędeſtinatio.

Verùm hîc ſciſcitari aliquis poſſet, num ſaltem iuuari poſſit prædeſtinatio precibus ſanctorum, ac bonis operibus? Reſpondet ſanctus Thom. hîc art. 8. Duo in prædeſtinatione conſideranda eſſe, ſcilicet ipſam prædeſtinationem, & ipſius effectum. Quantùm igitur ad primum, nullo modo iuuatur prædeſtinatio precibus ſanctorum, aut aliis bonis operibus ; non enim iis bonis operibus fit, vt aliquis prædeſtinetur à Deo ; quantùm verò ad ſecundum, dicitur prædeſtinatio iuuari precibus ſanctorum,

Dubitatio.

Reſolutio.

Quomodo prædeſtinatio iuuetur bonis operibus.

Digitized by Google

aliiſque bonis operibus, nam ita prædeſtinatur ſalus alicuius, vt etiam ſub ordinationem prædeſtinationis cadat quidquid hominem promouet ad ſalutem; vt orationes ſiue propriæ, ſiue aliorum, & alia id genus bona opera. Quare prædeſtinati totis viribus eniti debent ad bene operandum & promerendum de Deo, quia per eiuſmodi bona opera, prædeſtinationis effectus certitudinaliter impletur, iuxta illud 2. Petri 1. c. *Satagite vt per bona opera certam veſtram vocationem & electionem faciatis.*

An prædeſtinatio certa ſit, & immutabilis, & quomodo ſtare poſſit ipſius immutabilitas cum libertate arbitrij.

QVÆSTIO IV.

Reſolutio propoſitæ quæſtionis.

CVM prædeſtinatio ſit pars diuinæ prouidentiæ, ordo autem diuinæ prouidentiæ ſit infallibilis, ita vt ea omnia quæ ordinata ſunt ſeu à Deo decreta, infallibiliter eueniant; inde neceſſariò ſequitur ordinem prædeſtinationis eſſe infallibilem, ita vt ea omnia quę à Deo iuxta hunc ordinem præfinita ſunt, certò, & infallibiliter eueniant; ſiue ea ſint in poteſtate ſolius Dei, vt eſt vocatio, infuſio gratiæ, &c. ſiue etiam in noſtra poteſtate ſaltem ex parte, vt eſt conuerſio cordis ad Deum, cooperatio, & omnis bonus vſus liberi arbitrij.

Nota. Sicut ordo diuinæ prouidentiæ non tollit rerum cōtingētiam,

Nihilominus tamen quemadmodum ordo infallibilis diuinę prouidentię nō tollit cōtingētiā

rerum,vt ſupra oſtenſum eſt, diſp. præcedenti queſt.5. ſic licèt ordo diuinæ prædeſtinationis ſit certus & infallibilis , non tamen tollitur libertas arbitrii ex qua contingenter prouenit prædeſtinationis effectus.Repete ſi placet quæ ſuprà dicta ſunt de ſcientia,voluntate,& prouidentia diuina; quæ licèt ſint certiſſima & infallibilia,non tamen contingentiā,nec proindè arbitrii noſtri libertatem è medio tollunt,vt illic fuſè docuimus. *ita nec ordo prædeſtinationis arbitrii libertatem.*

Licèt igitur poſito infallibili ac immutabili Dei decreto quo Deus decreuit aliquem ſaluare per hæc & illa media,neceſſe ſit ex hypotheſi eiuſmodi hominē ſaluari,& media illa omnia euenire per quę ſalutem conſequitur, v.g. conſenſum liberi arbitrii,& bonum vſum gratiæ ſaltem ſub finem vitæ,non tamen abſolutè neceſſe eſt iſta omnia euenire, ſicque poſito prædeſtinationis ordine iſta omnia certò & infallibiliter eueniunt, & etiam neceſſariò ex hypotheſi,non tamen abſolutè neceſſariò,ſed liberè & contingenter ; adeoque ita conſentit gratiæ vocanti liberum arbitrium , vt tamen etiam poſito prædeſtinationis ordine ſit ei liberum non conſentire. *Verbi gratia.*

Verùm obiicies primò,coronam ſeu præmiū æternæ vitæ eſſe effectum prędeſtinationis certiſſimum, & tamen amitti poſſe , iuxta illud Apocal.3.*Tene quod habes,ne alius accipiat coronam tuam*.Reſpondetur coronam illam futuræ vitæ (quam etiā in hac vita ſpe licèt, nō re,tenemus, poſſe dupliciter dici noſtram, primò ex prædeſtinatione diuina,& ſic nullus coronam ſuam *Obiectio.* *Solutio.*

amittit; altero modo ex merito gratiæ, quod enim meremur, quodam modo noſtrum eſt, & ſic poteſt quiſpiam ſuam coronam amittere per peccatum mortale ſequens; alius autem illam coronam amiſſam accipit inquantum loco eius ſubrogatur, non enim generatim loquendo Deus permittit aliquos cadere, quin alios erigat; iuxta illud Iobi 34. *Conteret multos & innumerabiles & ſtare faciet alios pro eis.* ſic enim in locum angelorum cadentium ſubſtituti ſunt homines, & in locum Iudæorum Gentiles.

Secunda obiectio. Obiicies ſecundo. Poſito poſſibili nullum ſequitur abſurdum; poſſibile autem aliquem prędeſtinatum, vt Petrum peccare, & tunc occidi: hoc autem poſito ſequitur fruſtrari prædeſtinationis effectum, ſicque non omninò certum & infallibilem eſſe prædeſtinationis ordinem. *Solutio.* Reſpondetur maiorem propoſitionem intelligendam eſſe de eo quod dicitur poſſibile conſideratis omnibus circunſtantiis; licèt autem poſſibile ſit quemcumque hominem ſecundũ ſe ſpectatum mori in peccato mortali, non tamen illud poſſibile eſt ſpectata hac circunſtantia, quòd ſit prædeſtinatus. *Inſtantia.* Inſtabis, inde ſequi prędeſtinatum vt prædeſtinatum, non poſſe peccare ſub finem vitæ, ac proindè nõ eſſe liberũ. *Reſolutio.* Reſpondemus prædeſtinatum etiam vt prædeſtinatum eſſe ſemper liberum, ac ſic poſſe peccare; non tamẽ poſſibile eſſe vt tunc actu peccet: non enim idem eſt aliquẽ poſſe peccare; & poſſibile eſſe ipſum actu peccare; illud enim dicit ſolam potentiam liberam in malum defe-

ctibilem, quæ nullomodo tollitur poſita prædeſtinatione, at verò hoc dicit actum vitioſum verè & de facto futurum, qui non poteſt ſaltem ſub finem vitæ ſimul ſtare cum prædeſtinationis immutabilitate.

Obiicies tertiò. Quidquid Deus potuit, id ipſum poteſt, atqui Deus potuit non prędeſtinare quē prædeſtinauit: ergo etiam poteſt non prædeſtinare prædeſtinatum, ſicque mutari poteſt prędeſtinatio. Reſpōdetur primò ad maiorem, illam veram eſſe, ſi nihil repugnet ex parte rei, alioquin poteſt eſſe falſa; ſic enim potuit olim Deus hominem primò condere, at verò nunc non poteſt amplius hominem primum condere; neque poteſt fieri vt tempus quod præteritum eſt, ſit futurum. Secundò, reſpondetur ad minorem, licèt abſolutè loquendo potuerit non prædeſtinare quem Deus prædeſtinauit, quia libera eſt Dei voluntas circa omnia quæ ſunt ad extra, ex hypotheſi tamen quod ab ęterno prędeſtinauerit, iam non poteſt non prædeſtinare, eo quod ipſa Dei voluntas ſit immutabilis. Si quęras, an illa propoſitio (prędeſtinatus poteſt non ſaluari) ſit vera, an falſa? Reſpondeo, licèt aliquo modo dici poſſit vera, nempe in ſenſu diuiſo, abſolutè tamen eſſe falſam, quia fieri non poteſt vt is qui eſt prædeſtinatus, non ſaluetur.

Tertia obiectio.

Reſponſio ad maiorē.

Ad minorem.

Dubitatio.

Reſponſio.

Digitized by Google

Vtrùm certus ſit prædeſtinatorum numerus.

QVÆSTIO V.

Prædeſtinatorum numerus aliquo modo certior quã reproborum.

QVOMODO certus ſit apud Deum prædeſtinatorũ numerus explicat S. Doctor hîc ar.7. vbi docet non tantùm dici certum ratione cognitionis, quia nempe nouit Deus quot ſint ſaluandi, ſicut etiã nouit quot ſint damnandi, ſed etiam ratione cuiuſdam principalis præfinitionis, quia nẽpè eiuſmodi creaturæ rationales, quæ immediatius attingunt vltimum finem, principaliùs ordinantur ad bonum vniuerſi; nõ item reprobi, quorum numerus licèt Deo ſit cognitus, non tamen propriè dici poteſt ab ipſo præordinatus.

Quotnam ſint ſaluãdi.

Præterea docet idem ſanctus Doctor, licèt quidam probabiliter aſſerant tot ex hominibus ſaluandos eſſe quot ex Angelis ceciderunt; alii verò tot quot angeli remanſerunt, alii denique tot quot Angeli ceciderũt, & præterea tot quot ſunt Angeli creati, melius tamen dici quod ſoli Deo cognitus ſit numerus electorum in ſuperna fœlicitate locandus.

Dubitatio.

Si quæras, vtrùm ex hominum multitudine plures ſint prædeſtinati quàm reprobi.

Reſolutio. Plures dãnandi quã ſaluandi.

Reſpondeo conſtare plures eſſe reprobos quàm prædeſtinatos; tum quia ante aduentũ Chriſti per quatuor annorum millia eo amplius totus orbis ſola excepta Iudæa, quę admodum exigua terræ portio eſt, fuit infidelis, & adhuc poſt Euangelium promulgatum ma-

Digitized by Google

ior pars in infidelitate verſata eſt : tùm quia Matthei 7. dicitur. *Lata porta & ſpatioſa via eſt quæ ducit ad perditionem , & multi ſunt qui intrant per eam : Anguſta verò porta & arcta via eſt quæ ducit ad vitam, & pauci ſunt qui inueniunt eam.* Et primę ad Corinth.9. *omnes quidem currunt, ſed vnus accipit brauium:* tum quia ex innumera hominum multitudine quę generali diluuio periit, octo tantùm animę ſuperſtites emerſerunt, & ex ſexcentis millibus qui ex Ægypto egreſſi fuerant, duo homines tantùm terram promiſſionis ingreſſi ſunt: hæc autem in figuram ſaluandorum & reproborum contingebant illis. Et ratiò affertur à Diuo Thoma, quia bonum naturæ proportionatum accidit in pluribus, & deficit in paucioribus; contra verò bonum excedens naturæ ſtatum, vt eſt vita æterna ad quam ordinantur prædeſtinati, accidit in paucioribus, & in pluribus deficit, quod tamen intelligendum eſt vt plurimum.

Cæterum, licèt multò pauciores ſint prædeſtinati quam reprobi, & ideò illi pauci dicantur reſpectu iſtorum; non eſt tamen negandũ quin abſolutè loquendo multi ſint, iuxta illud Mat.8. *Multi ab oriente & occidente venient & recumbent, &c.* & Apoc. c.7. *poſt hæc vidi turbam magnam &c.* Adde etiam plerumque his & ſimilibus locis ſignificari multo plures ex gentilibus quàm ex Iudęis ſaluandos. *Multi ſunt ſaluandi.*

Verùm, ſpecialis difficultas eſt de Christianis præſertim adultis, num ipſorum maior pars *Grauior difficultas.*

reprobetur ac damnetur. Nonnulli enim leuioribus ducti coniecturis arbitrati ſunt maiorem partem ſaluari & minorem reprobari. Verùm probabilius alii communiter ſentiunt ex adultis Chriſtianis, multò pauciores ſaluari quàm damnari: ita cenſet Auguſt. lib. 3. contra Creſconium c. 26. & lib. de vera & falſa pœnitēt. Greg. homil. 19. in Matth. vbi parabolam ſeminis exponit de fide infidelium cordibus inſita, quod tamen ſemen maiori ex parte periit Chryſ. homil. 65. in Mat. exponens verba illa quæ habentur Matth. 20. & 22 Multi vocati pauci verò electi; affirmat ex Chriſtianis vix cētū ex mille ſaluari. Lege Abulenſem in locum citatum Matth. Ratio autem eſt, quod maior pars Chriſtianorum non imitatur nec ſequitur Chriſtum, imò carni & mundo viuit, ac in peccatis moritur abſque congruenti pœnitentiâ. Plura lege apud authores citatos.

Quid probabilius tenendū ſit. *Probatur authoritate.* *Confirmatur ratione*

An prædeſtinatis certa ſit prædeſtinatio.

QVÆSTIO VI.

ITA eſſe aſſerit Caluinus lib. 3. Inſtitutionum c. 24. ſeſſ. 7. vbi audacter ſcribit, nil magis eſſe contrarium ſpei Chriſtianæ ambigere quid de nobis futurum ſit vnde ſeſſ. 9. ſanctum Gregorium impudenter arguit, quod vocationis noſtræ conſcios eſſe nos dicat, electionis incertos. Nititur autem Caluinus iis teſtimoniis quibus generales continentur promiſſiones quæ futurum tempus reſpiciunt, vt eſt iſtud quod habetur Ioan. 6. *Omne quod dat mihi pater, ad me veniet, & eum qui venit ad me non eiiciam foras.* & ibidem, *Hæc eſt voluntas eius qui miſit me patris, ne*

Caluini error.

quid perdam ex omnibus quæ dedit mihi,& 10. cap. *Oues meæ vocem meam audiunt*, & *ſequuntur me*, & *ego cognoſco eas*, & *vitam æternam do eis*. Verùm hæ omnes generales promiſſiones vel fiunt tantum electis & prædeſtinatis, de quibus an ſimus meritò dubitare poſſumus, ac proindè an de nobis intelligendæ ſint, quò ſpectat illud Chriſti apud Ioan. *Non de omnibus loquor, ſcio quos elegerim*; vel fiunt omnibus cum conditione tamen ſubintellecta noſtræ cooperationis & finalis perſeuerantiæ. Cùm igitur incertus ſit ille futurus euentus qui ſubintelligitur, non poteſt eiuſmodi conditionalis promiſſio nos reddere prorſus certos. *Loca ſacra ſcriptura allata à Caluino explicātur.*

Itaque refellitur iſte error Caluini ex iis quibus probant orthodoxi doctores, neminem eſſe certum de ſua gratia: ex hoc enim ſequitur multò potiori iure neminem certum eſſe de ſua prædeſtinatione; multò enim facilius eſt certum eſſe de præſenti ſtatu quàm de futuro: atqui gratia ſpectat præſentem ſtatū, prædeſtinatio verò futurum. Quare doctrina ſancti Gregorii (quam peſſimam & pernicioſam peſſimus ille & pernicioſiſſimus Catholicæ Eccleſiæ hoſtis appellat) non eſt illius tantùm, ſed etiam Salomonis Prouerb. 27. *Ne glorieris* (inquit) *in craſtinum, ignorans quid ſuperuentura pariat dies*. Accedit noſter Bernardus ſer. 1. de Septuageſima: *Quis poteſt dicere ego electus ſum. Ego de prędeſtinatis ad vitam, ego de numero filiorum?* Quis hęc (inquam) dicere poteſt reclamante nimirum Scripturâ, *Neſcit homo ſi ſit dignus amore an odio: certitudinem vtique non habemus* *Error Caluini refellitur.*

Digitized by Google

ſed ſpei fiducia conſolatur nos ne dubitationis huius anxietate penitus cruciemur. Denique conſtat aliquos ex fidelium numero non ſaluari, vt docet Auguſt. primi de ciuitate Dei cap. 8. *Habet* (inquit) *Eccleſia ſecum connexos communione Sacramentorum ſecum non manſuros in æterna ſorte ſanctorum:* Ergo Deus non exigit ab omnibus fidelibus vt fidei certitudine credant ſe ſaluandos eſſe, alioquin fidei poſſet ſubeſſe falſum; nihilominus tamen ſi de certitudine morali ſeu coniecturali ſermo ſit quæ anxietatem omnem ex fidelium animis tollit, aſſerimus permulta poſſe nobis ſuppetere ſigna prædeſtinationis; vt ſunt imprimis ea quæ octo beatitudinibus continentur Matth. 5. deſiderium ardens audiendi & cuſtodiendi verbum Dei Iuxta illud *Qui ex Deo eſt, verba Dei audit*: Contemptus rerum mundanarum; frequens vſus sacramentorum; inſignis & repentina ad Deum conuerſio; vocatio ad ſtatum perfectionis; zelus animarum, &c.

Signa ſeu indicia prædeſtinationis.

An prædeſtinatorum numerus augeri vel minui poßit.

QVONIAM non aliter prędeſtinatorum numerum augeri poſſe concepimus, quàm ſi aliqui reproborum ſaluari poſſent, nec aliter poſſe minui prædictum numerum quàm ſi aliqui prædeſtinatorum damnarentur; idcircò optimè propoſitæ quęſtioni reſpondet Magiſter ſenten. lib. 1. diſt. 40. idque iuxta D. Aug. li. de correctione & gratia c. 13. prædictũ numerũ electorum non poſſe augeri, nec minui, quia, inquit

Reſolutio propoſitæ quæſtionis.

inquit non poteſt vtrumque ſimul eſſe, ſcilicet vt aliquis ſaluetur & non ſit prædeſtinatus, vel vt aliquis prędeſtinatus ſit & damnetur. Quò fit vt iſta propoſitio; Prędeſtinatus poteſt damnari ſicut & ita reprobus poteſt ſaluari, prout communiter accipitur, nempè in ſenſu compoſito, ſit abſolutè falſa: ſenſus enim vtriuſque propoſitionis compoſitus iſte eſt, prioris quidem, poteſt fieri vt quis ſit prędeſtinatus, & damnetur; poſterioris vero, poteſt fieri vt quis ſit reprobus, & ſaluetur: atqui ſēſus iſte apertè falſus eſt: Si tamen vtraque propoſitio in ſenſu diuiſo accipiatur, tunc poterit dici vera, licèt obſcurius; ſenſus enim vtriuſque propoſitionis diuiſus eſt, iſte, poteſt damnari quem dico prædeſtinatum; iſte poteſt ſaluari quem appello reprobum: hoc autē duplici adhuc ſenſu verum eſt; vno quidē, quatenus is qui nunc eſt prædeſtinatus, poteſt non eſſe prædeſtinatus, quia potuit ab ęterno nō prædeſtinari, & is qui eſt reprobus poteſt non eſſe reprobus, quia potuit ab æterno non reprobari, ſi quidem potuit Deus abſolutè loquendo eos non prędeſtinare quos prædeſtinauit, & eos non reprobare quos reprobauit, cum ſit in agēdo circa creaturas liberrimus: altero vero ſenſu vtrumque verum eſſe poteſt, quatenus is qui eſt prædeſtinatus habet poteſtatem ratione ſui liberi arbitrii non conſentiendi gratiæ finali, ſicque ſalutem non conſequendi, & is qui eſt reprobus habet poteſtatem per ſuum liberū arbitrium conſentiendi gratiæ finali ſufficienti quę ipſi offertur ſicq; per ipsā, ſalutē conſequēdi, finali gratiæ infallibiliter ſit conſenſurus, ac

proinde ſalutem adepturus, licèt prædeſtinatus infallibiliter, reprobus vero eidem gratiæ infallibiliter ſit reluctaturus; ac proinde infallibiliter damnandus. Verùm, cùm veritas harum propoſitionũ in vtroque prædicto ſenſu diuiſo ſubobſcura ſit, idcircò dicendum eſt abſolutè nullum prędeſtinatorum poſſe damnari, & nullum reproborum poſſe ſaluari, proindeque numerum electorum nec minui nec augeri poſſe.

Obiectio. Verùm obiicies iſtud ex Deuter 1. *Dominus Deus noſter addat ad hunc numerum multa millia.* quibus verbis ſignificatur augeri poſſe numerum prædeſtinatorum; nam iuxta Gloſæ expoſitionem hoc intelligitur de iis quos nouit Deus ſuos eſſe.

Solutio. Reſpondetur, poſſe Deum præſcire ſeu prænoſſe aliquos tanquam ſuos, ratione tantùm præſentis iuſtitię ſeu gratiæ quæ in iis pro tempore exiſtit, non verò ratione finalis iuſtitiæ in qua perſeuerent, aut vitæ æternæ quam aſſequãtur, & hos non eſſe prædeſtinatos, licèt pro aliquo tempore ſecundùm ſtatum iuſtitiæ præſentis dici poſſint ordinati ad vitam æternam; & horum quidem numerum augeri vel minui poſſe fatemur, non verò eorum qui propriè prædeſtinati ſunt. Inſtabis, aliquos deleri poſſe de libro vitæ, iuxta illud Pſalmi 68. *Deleantur de libro viuentium*, hoc enim nihil aliud eſſe videtur quàm aliquos prædeſtinatos poſſe reprobari; verùm facilè ſoluetur hęc obiectio ex ſequentis quęſtionis explicatione.

Inſtantia.

Solutio differtur in ſeq. q.

Digitized by Google

Quid ſit liber vitæ, & an aliquis de eo deleri poßit.

QVÆSTIO VIII.

QVoniam mos eſt, vt ij qui in republica deliguntur ad aliquod munus obeundum, in aliquo libro cōſcribantur, vt pote milites, conſiliarii, &c. haud ſecùs qui ad vitam æternam eliguntur, à Deo dicuntur conſcripti in libro vitæ, hoc eſt, notati in ipſa Dei memoria ſeu notitia qua firmiter retinet ſe aliquos prædeſtinaſſe ad vitam æternam, & hic liber vitæ eſt qui à D. Th. dicitur conſcriptio prædeſtinatorum: quo ſpectat illud 2. ad Tim 2. *Firmum fundamentum Dei ſtat habens ſignaculum hoc, cognouit dominus qui ſunt eius.*

Ex quo intelligis librum vitæ eſſe idem reipſa cum prędeſtinatione, & pro ipſa nonnunquam accipi, quamuis formali aliqua ratione ſecundùm noſtrum concipiendi modum ab ipſa diſtingui poſſit tanquam aliquid poſterius, quod ſpectat ad ſcientiam viſionis quæ prędeſtinationem ſupponit. *Liber vitæ idem re cum prædeſtinatione.*

Cæterùm nota librum vitæ non tantùm accipi pro æterna illa conſcriptione electorum ad vitam æternam, ſed etiam nonnunquam vſurpari pro temporali & litterali conſcriptione mediorum conducibilium ad vitam, quomodo nouum ac vetus teſtamentum dicitur liber vitæ, ſicque realiter diſtinguitur à prædeſtinatione: ſicut liber militiæ dupliciter dici poteſt; vel is in quo conſcripti ſunt *Liber vitæ in alia acceptione diſtinguitur à prædeſtinatione.*

ij qui electi ſunt ad militiam; velis in quo conſcripta eſt ratio militandi, ſeu ars militaris.

Notandũ. Notandum præterea diligenter, librum vitæ propriè ſumptum inuoluere ordinem ſeu reſpectum ad vitam gloriæ, & non tantùm gratiæ: eſt enim liber ille conſcriptio electorum, diuina autem electio hominũ eſt reſpectu finis ſupernaturalis, non verò mediorum; vndè non dicuntur homines propriè eligi ad gratiam, quia non habent rationem finis, ſicut non dicuntur eligi ad vitam naturalem, quia non eſt aliquid ſupernaturale, ſed propriè dicuntur eligi ad vitam gloriæ: vnde cùm illi qui ad gratiam tantùm pro tempore præordinati ſunt non ſint electi ſimpliciter, ſed tantùm ſecundùm quid; fit etiam vt dicantur tantum ſecundum quid conſcripti in libro vitæ, non verò ſimpliciter.

Soluitur instantia ſub finem præcedentis quæſt. propoſita. Ex quibus facilè poteſt explicari difficultas propoſita, an videlicet aliqui deleri poſſint de libro vitæ adhibitâ diſtinctione illius duplicis conſcriptionis in libro vitæ, nempe ſimpliciter & ſecundùm quid: qui enim ſunt ſimpliciter conſcripti in libro vitæ, hoc eſt, ex diuina prædeſtinatione ordinati ad vitam æternam, cùm ab illa ordinatione nunquam deficiant, nunquam poſſunt deleri de libro vitæ; qui verò ſecundùm quid conſcripti ſunt in libro vitæ, hoc eſt, ordinati ad vitam eternam ſolùm ex vi præſentis gratiæ, ſeu ſecundùm meritum dumtaxat præſentis iuſtitiæ, cùm deficere poſſint ab illa ordinatione per peccatum mortale, procul dubio deleri poſſunt de libro vitæ; ita tamen

Digitized by Google

vt illa deletio non referatur ad notitiam Dei, quaſi Deus aliquid ſciat,& poſtea neſciat;ſed ad rem ſcitam, quia Deus ſcit aliquem priùs ordinari in vitam æternam per gratiam in qua ſtat, & poſtea non ordinari cùm à gratia deficit.

DECIMA SEPTIMA DISPVTATIO

DE REPROBATIONE.

QVoniam contrariorum eadem eſt diſciplina,idcirco ad eandem Theologiæ partem pertinet de Prædeſtinatione ſimul ac Reprobatione diſſerere; vnde fit etiam vt eadem fermè de reprobatione quæri poſſint, quæ de prædeſtinatione, vt ex ſequentibus patebit.

Quid ſit Reprobatio.
QVÆSTIO I.

Reprobatio diuina prouidentiæ pars.

REprobatio non ſecus ac prædeſtinatio diuinæ prouidentiæ pars quædam eſt: ſicut enim prædeſtinatio eſt actus diuinæ prouidentiæ reſpectu eorum quæ diuinitùs ordinantur in ſalutem æternam, ita reprobatio reſpectu illorum qui ab hoc fine decidunt. Quare ſicut prædeſtinatio non dicit ſolum actum intellectus quo Deus iudicat eſſe conueniens hos & illos ordinare per hæc & illa media ad gloriam, ſed præterea includit tùm voluntatem conſe-

Digitized by Google

rendi gratiam, cùm voluntatem conferendi gloriam; ita reprobatio non tantùm dicit actum intellectus quo Deus iudicat non expedire hos aut illos eligere vel ordinare ad vitam æternam, ſed præterea includit tum voluntatem permittendi aliquem cadere in culpam, cùm voluntatem inferendi damnationis pænam pro culpa, præſertim ſi de reprobatione poſitiua ſermo ſit: Eſt enim reprobatio duplex; negatiua, qua Deus non voluit aliquibus dare gloriam, opponiturque electioni quorundam ad gloriam; ſicque ex hoc ſimpliciter quod Deus aliquos non elegerit, cenſetur eos reprobaſſe; & ad hanc pertinet ex conſequenti aliquorum excluſio ab æterna vita, & eorundem ordinatio ad æternam damni pœnam ex præuiſo originali peccato: Reprobatio verò poſitiua dicitur, qua quidam ordinantur ad ęternam ſenſus pænam propter præuiſa in ipſis delicta; & hæc formaliter pertinet ad intellectum, cuius eſt ordinare non ſecùs ac prædeſtinatio, meritoque dicitur pars prouidentię. Namque ad prouidentiam pertinet, vt impius propter ipſius peccata conſiderata ipſorum grauitate ad certum damnationis gradum ordinetur. Licèt autem prouidentia hæc poſitiua conſiſtat formaliter in actu intellectus, habet tamen adiunctos aliquos voluntatis actus, nempè voluntatem permittendi peccata, ac finalem in ipſis perſeuerantiam. Vbi nota, quod cùm Deus non ſit author peccatorum quæ ſunt media reprobationis ſeu deſtinationis ad pęnam, Deus

Reprobatio 2. Negatiua.

Poſitiua reprobatio.

Nota, Deũ non præordinare peccata.

non illa præordinat, ſed permittit & præuidet, & propter ipſa præuiſa ordinat peccatorem ad pœnam.

Quinam ſint effectus reprobationis.

QVÆSTIO II.

ET ſi omnia quæ per ſe conferunt ad conſequendam æternam vitam, quę eſt finis vltimus prædeſtinationis, verè ſint effectus ipſius prædeſtinationis, quia Deus eorum omnium author eſt, non tamen omnia quæ per ſe conferunt ad incurrendam æternam pænam quæ eſt effectus ſimul & finis vltimus reprobationis, dici poſſunt proprie effectus ipſius reprobationis, quia nempe Deus non eſt eorum omnium author. Vt igitur agnoſci poſſint veri effectus reprobationis, aliquas propoſitiones in medium adducemus. *Non omnia quæ in dãnationem inducunt ſunt effectus reprobationis.*

Prima propoſitio. Peccata non ſunt effectus reprobationis Cùm enim reprobatio ſit pars diuinę prouidentiæ, ſi peccata eſſent effectus reprobationis, ſequeretur eſſe effectus diuinæ prouidentiæ, ſicque Deum eſſe authorem peccati, quod aſſerere impiũ eſt, vt aliàs oſtẽdimus vbi de voluntate Dei. Accedit authoritas Apoſtoli ad Rom. 9. aſſerentis *Deum ſuſtinere in multa patientia vaſa iræ apta in interitum* : ridiculũ enim videtur aſſerere Deum eſſe authorem eorum quæ in multa patientia dicitur ſuſtinere, *Prima propoſitio.* *Ratio.* *Authoritas.*

vt potè ſibi valdè diſplicentia. Lege Diuum Auguſt. ad articulos ſibi falsò impoſitos, præſertim ad 10 & 11. item lib. de ſpiritu & littera cap. 31 & lib 2. de peccatorum meritis & remiſſione cap. 17. idque apertè docet ſanctus Thom. hîc ar. 2. ad 2. Aliter (inquit) ſe habet reprobatio in cauſando, quam prædeſtinatio: nam prædeſtinatio eſt cauſa, & eius quod expectatur in futura vita, ſcil. gloriæ, & eius quod percipitur in præſenti ſcilicet gratiæ; Reprobatio verò, licet ſit cauſa eius quod redditur in futuro, ſcilicet pœnæ æternæ, non tamen eſt cauſa eius quod perpetratur in præſenti, ſcilicet culpæ. Eſt autem hæc noſtra propoſitio contra Caluinum qui l. 3. Inſt. c. 24 affirmat Deum prouidentiâ ſuâ inclinare & mouere corda reproborum ad peccata, ſicque peccata eſſe effectus reprobationis: Nota tamen quod licèt peccata non ſint per ſe ordinata a Deo ad æternam pænam, ſicut merita ad ęternam vitam, illa tamen neceſſario antecedere vt aliquid præſuppoſitum quod euenit præter intentionem Dei; ſicuti iudex vult quidem punire reorum crimina quæ non poteſt punire niſi accidant, & tamen non ipſe facit vt accidant.

Notandũ. *Notandũ.*

Secunda propoſitio ratione probatur primò.

Secunda propoſitio. Permiſſio peccati etiam paſſiuè ſumpta & vt aliquid à Deo tranſiens in creaturas, nõ eſt ſemper effectus reprobationis: nã effectus reprobationis debet eſſe volitus ob finem reprobationis, ſicut effectus prędeſtinationis ob finem prædeſtinationis; atqui peccati permiſſio nõ eſt ſemper volita à Deo ob finem

reprobationis, neque enim generaliter loquendo Deus vult permittere peccata vt creaturas damnet vel puniat, ſed propter ſuauem rerum diſpoſitionem qua plenam arbitrij libertatem homini reliquit. Deinde peccati permiſſio generatim ſpectata communis eſt tam prædeſtinatis quàm reprobis: atqui certum eſt in prædeſtinatis non eſſe effectum reprobationis; quod etiam non ſit ſemper effectus reprobationis in reprobis, ex eo patet quod ſæpenumerò illis non contingat ex vi reprobationis, ſed potiùs ex ſuaui diſpoſitione diuinæ prouidentiæ qua ſinit illos in agendo liberos. Denique nihil aliud videtur eſſe peccati permiſſio quam vel ipſa diuina voluntas qua Deus relinquit creaturam rationalem in manu conſilij ſui, vel certè id quod ex tali Dei voluntate in rationali creatura relinquitur. Eſt autem effectus per ſe ſuauiſſimæ Dei prouidentiæ, non item reprobationis vt res quæque iuxta naturæ ſuæ conditionem operetur. Tertia propoſitio. Permiſſio peccati ſumpta præſertim non quatenus concipitur vt actus immanens in Deo, ſed vt actus Dei, tranſiens in rationali creatura, tunc eſt effectus reprobationis, quando Deus ob aliquod vel aliqua præcedentia delicta vult reprobum punire; tunc vt illud faciat, permittit illum in peccatis ſuis perſeuerare, & noua ſemper peccata veteribus addere; quinimmò in pœnam præcedentium illorum peccatorum multa illi denegat auxilia partim interna partim externa quæ communiter largitur omnibus, quod quidem iis accidit quos ſcriptura ſpecialiter appel-

Secundo.

Tertia propoſitio.

Digitized by Google

lat obduratos, aggrauatos, excæcatos, ac traditos in reprobum ſenſum. Ex quo intelligis indurationem vel excæcationem reprobi, vt eſt actus temporaliter tranſiens à Deo in creatura, non eſſe effectum reprobationis reipſa diſtinctum ab illa ipſa permiſſione etiam tranſeunter ſumpta, qua Deus permittit reprobum magis ac magis vitio & malo errori adhærere, dum ab ipſo ſubſtrahit, aut ipſi denegat peculiarem aliquam gratiam qua cor eius emolliretur, & intellectus illuminaretur; quò ſpectat illud D. Auguſtini lib. 1. ad Simplicium quęſt. 2. *obduratio Dei* (inquit) *eſt nolle miſereri, non vt ab illo irrogetur aliquid quo ſit homo deterior, ſed tantùm quo ſit melior non arrogetur.* Et Epiſt. 105. ad Sixtum: *Deus non obdurat impartiendo malitiam, ſed obdurat non impartiendo miſericordiam.* Ceterùm nota diligenter, quod licèt Deus velit permittere reprobos perſeuerare in peccato, non tamen propriè loquẽdo vult ipſam perſeuerãtiã in peccato, cũ reipſa nõ diſtĩguatur à peccato; quò fit vt nõ poſſit dici propriè effectus reprobationis, licèt permiſſio ipſius dici poſſit effectus reprobationis.

Nota. Deus vult permiſſionem peccati ac perſeuerantiæ in peccato; nõ ipſum peccatum aut perſeuerãtiam in ipſo.

Quarta propoſitio. Damnatio æterna, hoc eſt excluſio à gloria, & inflictio pœnæ ęternæ, ſunt effectus vltimus reprobationis; eſt enim Deus author ipſius: non quod Deus primò per ſe velit malum pœnæ, ſicuti aliàs docuimus, ſed quod velit bonum ipſi malo adiunctum, quod eſt ſatisfactio diuinæ iuſtitiæ. Cùm igitur tria in exequutione reprobationis conſideranda ſint, nempè permiſſio peccati, perpetratio ipſius, & eiuſdem æterna punitio; primùm ex illis tribus

Quarta propoſitio.

Tria in exequutione reprobationis conſideranda.

Digitized by Google

tãquam bonum Deus vult; ſecundum Deus nõ vult, ſed tãtùm permittit; tertium denique vult & facit, præſuppoſito tamen peccato. Ex his omnibus colligere eſt neque peccatum, neque perſeuerãtiam in peccato, eſſe poſſe effectus reprobationis; neque adhuc permiſſionẽ peccati aut perſeuerantiæ per aliquod tempus in peccato eſſe ſemper effectus reprobationis; at verò permiſſionem aliquorum peccatorum, & perſeuerantiæ finalis in peccato, item ſubſtractionem, & denegationem gratiæ ſpecialis, & vt probabile eſt nonnumquam gratiæ ſufficientis ſaltem pro aliquo tempore; item obdurationem & excæcationem, ac tandem æternam excluſionem glorię, & inflictionem pœnæ eſſe ac verè dici poſſe effectus reprobationis.

Concluſio ex prædictis.

Quænam ſint cauſæ reprobationis.

QVÆSTIO III.

VT propoſita quæſtio faciliùs explicetur nõnulla prius notãda ſunt. Imprimis, cùm reprobatio ſit duplex, vt ſupra monuimus, negatiua nẽpe, & poſitiua, inſigne diſcrimẽ inter vtrãque reperiri: Illa enim ſecundùm rationẽ prior, hæc poſterior in Deo cõcipitur; illa ex ſolius originalis, hęc ex actualis peccati præuiſione fit; illa ad vniuerſos * excepto Chriſto Saluatore & Beata eius matre, hæc verò ad adultos & maximè Chriſtianos ſpectat; illa ad ſolã pœnã dãni, hæc verò ad pœnã ſẽſus ordinat: ex quo intelligere eſt, nõ eaſdẽ vtrique cauſas aſſignãdas eſſe. Notandùm ſecundò reprobationẽ negatiuam dupliciter conſiderari poſſe; primò quidem formaliter ſecundùm præciſam ſui rationem,

Notãdum primo.

Diſcrimen inter reprobationem negatiuam & poſitiuam.

** Non quod vniuerſi actu reprobati ſint, ſed quod neminẽ illorũ repugnet iſto reprobationis genere reprobari.*

Notãdum ſecundo.

quomodo dicit ſolam negationem electionis ac prædeſtinationis; ſecundò verò conſequenter ſecundùm id quod ex conſequenti neceſſariò importat, nempè voluntatem permittendi vt aliquis in peccato originali moriatur, & voluntatem infligendi pœnam damni. Tertio notandum eſt non hîc quæri cauſam propriè dictam reprobationis, vt in Deo eſt, cùm nulla poſſit eſſe cauſa propriè dicta vlli⁹ diuini actus, vt aliàs docuimus, ſed tantùm cauſam impropriè dictam, ſeu rationem propter quam Deus aliquos reprobauerit. Quartò notandum eſt cauſam eiuſmodi impropriam ſeu rationem diuinæ reprobationis ſumi poſſe vel ex parte Dei, vel ex parte reprobi; vti etiam fieri poſſe in prędeſtinatione dictum eſt in præcedenti diſputatione quęſt. 3. cap. 1. ita vt id quod concipitur eſſe Deo ratio cur aliquem reprobauerit, vel ſit in ipſo Deo, vel in reprobo. Quinto notandum eſt præterea reprobationem ſicut & prędeſtinationem conſiderari poſſe, vel in ordine ad omnes ſuos effectus, vel in ordine ad aliquos dumtaxat, ác proindè quęri poſſe cauſam reprobationis vel primo vel ſecundo modo ſpectatæ. Denique repetendum eſt quod ſupra docuimus diſput. 13. quæſt. 5. dici poſſe Deum velle vnum propter aliud, vt ſi dicamus Deum velle reprobo pœnam propter ipſius culpam. His igitur præſuppoſitis propoſitæ queſtioni ſequentibus propoſitionibus ſatisfiet.

Notãdum tertio. *Notãdum quarto.* *Notãdum quinto.* *Notãdum ſexto.*

Prima propoſitio. Prima propoſitio: Datur ex parte Dei cauſa aliqua reprobationis, ſeu ratio cur aliquos ipſe reprobet, nempè ſumma eius ſapientia & æqui-

Digitized by Google

tas, ſeu ipſius æquiſſima voluntas; imò dici poteſt ipſe Deus aliquomodo cauſa reprobationis per ſuum intellectum & voluntatem; eſt autem diuina ſapientia cauſa reprobationis, quatenùs ad ipſam pertinet aliquos reprobare vt per illum iuſtitiæ actum magis commendetur ſumma eius miſericordia erga electos; eſt enim iuſtitiæ opus reprobatio, cùm non fiat niſi propter præuiſum peccatum ſiue originale ſiue actuale: quod tamen Deus hoc iuſtitiæ opus erga aliquos potiùs quàm erga alios exerceat, prouenit ex ſolo eius beneplacito, eoque ęquiſſimo. *Reprobatio eſt Iuſtitiæ opus à diuinâ ſapientiâ.*

Secunda propoſitio. Non datur ex parte reprobi cauſa reprobationis negatiuæ formaliter ſumptæ pro ſola non electione ſeu non prædeſtinatione; hoc eſt, nihil eſt in reprobo quod ſit Deo ratio cur ipſum non eligat ac prædeſtinet. *Secunda propoſitio.* Si enim aliqua eſſet cauſa, maximè eſſet peccatum originale præuiſum, non poteſt autem dici originale peccatum cùm Deus nullos eligat quos non præuideat originali peccato inquinãdos; non etiam actuale, quia multos eligit qui ſæpiſſimè in eiuſmodi peccatum lapſuri ſunt; ſicque dicendum eſt reprobationem hoc modo ſumptam nullatenus fieri ex præuiſis peccatis; licèt enim fiat præſuppoſito originali peccato, non tamen fit propriè ex ipſo præuiſo, hoc eſt, propter ipſum præuiſũ. *Ratione probatur.* Et ſanè de reprobatione hoc modo ſumpta intelligenda eſt imprimis ſententia Magiſtri Sententiarum lib. 1. diſt. 40. & 41. Itemque Durandi & Ariminenſis in hunc locum; deque ea reprobatione negatiua

Digitized by Google

accipienda ſunt multa quibus malè vtuntur Caluiniſtæ ad ſuæ impietatis confirmationem, vt patebit ex ipſorum ſolutione, quibus tamen rectè vti poſſumus ad huius noſtræ aſſertionis confirmationem.

Tertia propoſitio.

Tertia propoſitio. Datur ex parte reprobi cauſa reprobationis negatiuę conſequenter ſpectatæ: nempè quatenus reprobatio negatiua ex cõſequenti importat deſtinationem reprobi ad

Explicatur et probatur

pœnam damni; hoc eſt, datur aliquid in iis qui non prædeſtinãtur, quod eſt ratio cur Deus ipſos ad æternam damni pœnam deſtinet, nempè peccatum originale præuiſum cui ex ratione iuſtitiæ talis pœna debetur. Et hæc quidem ſola eſt cauſa reprobationis in iis qui ſolo originali peccato inquinati ex hac vita diſcedunt, vt ſunt omnes paruuli non baptiſati, & etiam adulti, ſi qui poſſint reperiri, qui nullũ mortale peccatũ ante obitũ cõmiſerint; hi enim omnes hoc dũtaxat genere reprobationis dicuntur reprobari.

Obiectio.

Obiicies: Si præuiſio peccati originalis eſt cauſa cur aliqui deſtinentur ad pœnam damni, cùm ipſa præuiſio peccati originalis præcedat reprobationem negatiuam: Ergo deſtinatio ad pœnã non erit effectus reprobationis cùm ab ipſa ſupponatur. Reſpondeo, per præuiſionem peccati

Solutio.

originalis præciſe ſumptam ante electionem & reprobationem non aliquos tantùm, ſed omnes homines ordinari ad pœnam, non tamen infallibiliter & ex abſoluta voluntate Dei, ideoque effectum illum in quibuſdã impediri per electionẽ, in aliis vero obfirmari & infallibilẽ fieri per reprobationem negatiuam. Inſtabis forſan, etſi

homines non fuiſſent labefactati peccato originali, ſed in puris naturalibus conditi, iuſtè potuiſſet Deus ex iis aliquos ad gloriam deſtinare, alios verò reprobare, & ad pœnam damni deſtinare, & tamen nulla planè fuiſſet cauſa iſtius reprobationis etiam conſequenter ſumptæ. Reſpondeo illam non electionem non fore in tali caſu reprobationem, ſed purã non electionem; neque enim per eam homines illi relicti in ſuo ſtatu naturali ordinati fuiſſẽt ad pœnã, ſicut nũc ſunt omnes reprobi, ſed ad ſtatũ quemdã fœlicẽ quo potiti fuiſſent poſt obitum: excluſio verò à gloria diuinæ viſionis nõ habuiſſet in illis vllam rationem pœnæ ſicut nunc habet in reprobis. *Reſolutio.*

Quarta propoſitio. Datur ex parte reprobi cauſa poſitiuę reprobationis ſpectatæ, ſaltem quoad vltimum ſui effectum, nempè pœnam ſenſus ęternam, ſeu dãnationem æterni ſupplicij; cauſa autem illa ſunt peccata ipſius reprobi præuiſa, præſertim ea in quibus moritur, & hæc eſt D. Tho. ſententia hîc art. 3. S. Bonauent. in primum Sent. diſt. 41. Gabrielis, & aliorum aduerſus Caluinum l. 3. Inſtitutionum c. 22. & 23. & Beſam in reſponſionem ad acta colloquij Monpergardẽſis, & aliorũ Caluiniſtarũ parte 2. *Quarta propoſitio.*

Probatur hæc aſſertio primò authoritate ſacræ Scripturę, quę multis in locis ſignificat Deũ nequaquã velle ſpõte ſua vt homines pereant, nec eos niſi propter ipſorũ peccata dãnare. Sic Tob. 3. *Non delectaris in perditionibus noſtris.* Eſayæ 69. *Iniquitates veſtræ diuiſerunt inter vos & Deum veſtrum.* Ezechielis 18. *Nunquid voluntatis meæ eſt mors impij?* ad Rom. 2. *Ignoras quoniam* *Probatur authoritate.*

patientia Dei ad pœnitentiã te adducit, tu autem ſecundum duritiam tuam & cor impœnitens, &c. 2. Petri 3. *patienter agit nolens aliquem perire, ſed omnes ad pœnitentiam reuerti.* Apoſtolus verò ad Rom. 9. multis modis indicat peccata reprobi eſſe Deo cauſam cur illum abſolutè reprobet; tùm quãdo reprobationem vocat odium, Eſau (inquit) odio habuit, Deus autem nihil odit in homine niſi peccatum; tum quando ſignificat Deum velle reprobos indurare: hoc enim ſupponit illos iam peccatis eſſe deditos in quibus indurentur; tum quando ſignificat Deum cùm reprobat, velle oſtendere iram & vindictam, & ſuſtinere in multa patientia vaſa iræ: quæ omnia ſupponunt reprobos damnandos, præuideri vt obſtrictos peccatis. Accedit authoritas D. Aug. in l. de bono perſeuerantiæ c. 6. & c. 11. & alibi, ſed præſertim l. de gratia & libero arbitrio c. 23. *Quando* (inquit) *auditis Dominum dicentem* Ezech. 14. *Ego Dominus ſeduxi prophetam illum*: & quod ait Apoſto. ad Rom. 9. *Cuius vult miſeretur, & quem vult indurat in eo quem permittit ſeduci vel indurari: mala eius merita credite, in eo verò cuius miſeretur gratiam Dei non reddentis mala pro malis, ſed bona pro malis fideliter & indubitanter agnoſcite.*

Ratione confirmatur. Probatur ſecũdò ratione: Si Deus aliquos deſtinauit ad æternã dãnationẽ abſque præuiſis ipſorum peccatis, ſequeretur ipſos infallibiliter eſſe damnandos, etiamſi non peccarent; atqui hoc aſſerere omninò impium eſt. Probatur conſequutio maioris, quia reprobatio, vt hîc ſumitur etiam ex conſenſu aduerſariorum, eſt fixum & immutabile Dei decretum, quod ſuum effectum

effectum ſortitur eo modo quo præuidetur; atqui præuidetur ille effectus futuræ damnationis etiam non præuiſis peccatis, ſeu non propter præuiſa peccata, ergo neceſſariò ſequitur futurum illum damnationis effectum etiã non propter vlla peccata. Minor verò propoſitio confirmatur, quia inauditum eſt Deum aliquem immeritum vſquam damnaſſe: vnde rectè Sanctus Auguſt. Epiſt. 116. *Si Deus quemquam immeritum damnare creditur, immunis ab iniquitate non creditur.* Adde iſtud aduerſari directæ ſententiæ iudicij finalis aduerſus Chriſtianos reprobos proferendæ Matth. 25. quâ ſatis declaratur cauſam damnationis ipſorum præcipuam eſſe ipſorum peccata. *Eſuriui* (inquit) *& non dediſti mihi manducare, &c.*

Quinta propoſitio. Datur ex parte reprobi cauſa poſitiuæ reprobationis ſpectatæ in ordine ad omnes ſuos effectus. Probatur: quia peccata reprobi ſunt cauſa omnium effectuum reprobationis, ergo ſunt cauſa reprobationis diuinæ quatenus illos omnes effectus reſpicit. Cõſequẽtia ex iis quæ docuimus ſuprà, vbi de cauſis prædeſtinationis, nota eſt; probatur verò antecedens, ſi enim datur in reprobo cauſa primi effectus reprobationis, ergo multo potiori iure cæterorum: atqui datur cauſa primi effectus reprobationis, nempè indurationis, cuius cauſa ſunt peccata quædam indurationem præcedentia, vt colligere eſt ex variis ſacræ Scripturæ locis, in quibus induratio ſicut & excæcatio aſcribi ſolent peccatis reprobi: ſic enim Exodi 9. Cor Pharaonis non dicitur ingrauari aut indu- *Quinta propoſitio. Ratione probatur.*

V

habui. Reſpondetur primùm, etſi Deus odio habuerit Eſau antequam quicquam mali egiſſet, non tamen inde ſequi quod ipſum odio habuerit antequam quidquam mali ipſius Deus ipſe præuidiſſet. Secundò reſpondetur Deum verè dici poſſe odio habuiſſe Eſau etiam antequam quicquam mali egiſſet in ipſius præuiſione, non tamen antequam quicquam mali contraxiſſet; hoc eſt ante præuiſum ipſius vllum peccatum actuale, non tamen ante præuiſum peccatum originale; prçuiſo enim peccato originali vtriuſque, Deus ſpecialiter dilexit Iacob ipſum eligẽdo ad gloriam, Eſau verò odio habuit ipſum ſaltem negatiuè reprobando, id eſt, non prædeſtinando, & ex conſequenti ad pœnã ſaltem damni deſtinando, nondum præuiſo vllo ipſius peccato actuali. Adde etiam Deum hîc dici poſſe *Tertia.* odio habuiſſe Eſau, hoc eſt iuxta conſuetum loquendi modum ſacræ Scripturæ minùs dilexiſſe quàm Iacob: ſicut cùm dicitur, *Qui non odit patrem ſuum, &c.* hoc eſt, qui non minùs diligit quàm me; & alibi, *Nemo poteſt duobus Dominis ſeruire, aut enim vnum diliget, & alterum odio habebit*, id eſt minus diliget. Neque huic ſolutioni obſtat quod eodem loco dicitur, *Nunquid iniquitas apud Deum?* Senſus enim eſt Deum videri poſſe iniquum, non quia reprobauerit Eſau, & alios reprobos abſque illorũ demerito, ſed quia nõ etiã illos gratis abſque ipſorũ merito quẽadmodũ & Iacob prędeſtinauerit; ad hoc enim reſpondet Apoſtolus, idcircò Deum non eſſe iniquum, quia poteſt pro libito cuius vult miſereri ſine iniuria illius cuius non miſeretur.

Tacitæ obiectioni occurritur.

Quò ſpectat illud Domini dictum, *Nunquid oculus tuus nequam quia ego bonus ſum?* Secundò obiicitur iſtud eiuſdem Apoſtoli loco citato. *An non habet poteſtatem figulus ex eodem luto facere aliud vas in honorem & aliud in contumeliam?* Reſpondetur 1. nihil aliud inferre velle ea ſimilitudine Apoſtolum, quàm ex eadem perditionis maſſa iam contumelioſa propter peccatum originale quoſdam elegiſſe in vaſa miſericordię, alios reliquiſſe tanquam vaſa iræ apta in interitum & contumeliam, hoc eſt, ordinata ſeu deſtinata ſaltem ad pœnam damni propter peccatum originale iam in ipſis præuiſum: & ſanè ridiculum eſſet in omni ſimilitudine omnia velle eſſe ſimilia. Adde etiam Deum dici poſſe ex eadem perditionis maſſa aliud vas feciſſe in honorem, id eſt deſtinaſſe ad gloriam nullis præuiſis ipſius meritis; & aliud feciſſe in contumeliam, id eſt deſtinaſſe etiam ad æternam ſenſus pœnam, licèt præuiſis ipſius demeritis: (facere) enim hoc loco non eſt ſimpliciter creare; falſum enim eſt imò impium aſſerere Deum creare voluiſſe vllos homines in contumeliam nulla habita ratione peccati; ſed (facere) eſt Deum ordinare ſeu deſtinare aliquos ad honorem, vel contumeliam; quod tamen fit cum diſcrimine, in illis quidem non præuiſis meritis, in iſtis verò præuiſis demeritis.

Obiectio ſecunda.

Solutio prima.

Secunda.

Tertiò obiicitur illud prouerbiorum 16. *Omnia propter ſemetipſum operatus eſt Dominus, impium quoque ad diem malum*, id eſt (vt interpretatur Caluinus) ad damnationem. Reſpondetur ſenſum iſtorum verborum eſſe, Deum omnia ad

Obiectio tertia.

Solutio.

ſuam gloriam condidiſſe, etiam eos qui ob ſuã impietatem parati ſunt ad diem malum, hoc eſt etiam qui deſtinati ſunt ad damnationem ; nam & ipſa reproborum damnatio diuinæ gloriæ haud mediocriter inſeruit.

Quartò obiicitur, Deum de facto multos æternæ damnationi adiudicare, antequam quicquam mali egerint, vt paruulos qui in maternis vteris moriuntur: item omnes quibus nuſquam ſalutis æternę via ante obitum innotuit, ſignum igitur eſt Deum eos omnes nõ propter vlla ipſorum delicta æternę damnationi deſtinaſſe. Reſpondetur nos vltrò fateri Deum permultos ęternæ pœnæ damni adiudicare, etſi nihil quicquam mali egerint, ſaltem in propriâ perſonâ, id eſt nullum peccatum actuale commiſerint, non tamẽ antequam quidquam mali contraxerint; ſicque eos æternæ pœnæ damni, non tamen ſenſus, propter præuiſum ipſorum originale peccatum ab æterno deſtinaſſe. Neque verò tenetur Deus æternæ vitæ viam omnibus patefacere, aut media ad eam conſequendam neceſſaria omnibus etiam adultis ſubminiſtrare; cùm enim futurę vitæ gloria ſit finis ſupernaturalis hominis in gratia conſtituti, nemini extra gratiam ſaltem per originale peccatum poſito iure vllo debetur: vnde docet D. Thomas in 2. 2. qu. 2. art. 5. ad 1. auxilium gratiæ neceſſarium ad credendum eis quibus non datur, ex iuſtitia non dari in pœnam præcedentis peccati ſaltẽ originalis, idque ex D. Aug. l. de correptione & gratia c. 6. & 7. Quare Deus iuxta mẽtem D. Auguſt. loco citato, & pleriſque aliis

Obiectio quarta.

Solutio.

Notãdum.

Digitized by Google

paſſim, vt lib. 4. contra Iulianum c. 8. & lib. de peccatorum meritis & remiſſione c. 21. & 22. itemque D. Thomæ tum loco citato cùm aliis vt 1. p. q. 19. art. 6. ad 1. quoſdam ex ipſa perditionis maſſa ad vitam æternam miſericorditer vocat per Euangelij prædicationem; alios verò non, quibus occulto, iuſto tamen iudicio non permittit Euangelium prædicari (neque enim aliter ad fidem, ac proinde ad vitam vocari poſſe infideles docet locis citatis, ac multis aliis paſſim D. Auguſt. idque ex Apoſtolo ad Tim. 10. *Quomodo credent ei quem non audierunt*? Quomodo autem audient ſine prædicante? Et paulò poſt: *Fides ex auditu, auditus autem per verbum Dei.*) Licèt non omnes adhuc quos Deus vocat ſint electi, ſed ij tantùm qui ſecundùm propoſitum vocati ſunt, quos ita vocat vt iuſtificet, & ita iuſtificat vt tandem glorificet. Porrò illi quos Deus non actu vocat ad vitam, quibus proinde non tenetur vllo modo exhibere actu media ad ipſam conſequendam neceſſaria (licèt ipſa omnibus hominibus ſufficientia in cauſis acquirendæ ſalutis generalibus, vt in Chriſti paſſione, Sacramentorum inſtitutione, & cæteris præparauerit) cuiuſmodi ſunt ſoli illi infideles qui nihil de regno cœlorum audire potuerunt, ſi nullum peccatum mortale commiſerint (quod moraliter loquendo vix poteſt euenire) non damnantur pœnâ ſenſus, ne quidem propter incredulitatem, cùm ad habendam Chriſti fidem non teneantur. Adde quod illi non cenſentur propriè increduli quibus nihil fide credendum proponitur; damnantur tamen pœnâ damni

propter peccatum originale, & propterea dicuntur natura filij iræ, immundi, & reprobi: ſi verò quod ferè euenit, aliquid mali commiſerint, tunc æternis pœnis vel flammis adiudicantur non propter incredulitatem, ſed propter impietatem, aut iniquitatem.

Deus omnibus ad vitā æternam vocatis omnia media ad ipſam conſequēdam neceſſaria exhibet.

Illis verò omnibus quos Deus vocat ad vitam exhibet ipſe ex parte ſua omnia neceſſaria ad illam conſequendam, tenenturque ſub pœna gehennæ ignis ad illam peruenire: quòd ſi non ad ipſam perueniant, vel quia Euangelio ipſis prædicato non crediderint, vel quia in fide aut Chriſti gratia non perſeuerarint, rei ſunt æterni ſupplicij. Licèt autem nemini ſiue vocato ſiue non vocato gratiam deneget ſufficientem ad deuitandum peccatum, cùm ſe offert peccandi occaſio; non tamen tenetur Deus iis vocatis qui ſemel gratiam ſufficientem ad conſequendam gloriam reſpuerunt, eam ipſis iterùm exhibere, ſed iuſtè poteſt eos ob eam infidelitatem ſeu ingratitudinem damnare; quãuis tamen ſoleat propter exceſſum ſuæ bonitatis gratiam ipſis etiam ingratis nonnunquam offerre; non tamen omnibus horis, aut momentis, nec adhuc ęqualem omnibus, ſed quibuſdam copioſiorem, aliis exiliorem.

Notãdum

Myſterium igitur electionis ſeu prædeſtinationis ac reprobationis diuinę à ſæculis abſcõditum, & nemini mortaliũ (quod cõſtet) hactenùs reuelatũ iſtud eſt; Cur Deus quoſdam eligat ac prædeſtinet ad gloriã, alios verò nõ. Et cur iſtos potiùs quàm alios quos reprobat; Cur quoſdam actu vocet ad vitam, quibus ordinat Euan-

Digitized by Google

gelium prædicari, alios verò non actu vocet, quibus non permittit Euangelium prædicari. Cur quoſdam efficaciter vocet, alios verò non, ſed tãtùm ſufficienter; Cur quibuſdam vocatis lapſis Deus abundantiorem pœnitentiæ gratiam, eamque fortaſſis frequentiùs tribuat quàm aliis; Cur potius quibuſdam ęternæ ſalutis media exhibeat etiam quos ſæpè nouit illis non vſuros, aut eiſdem abuſuros, quàm eis quos nouit eiſdem benè vſuros fuiſſe.

Loca D. Auguſtini à Caluino allata explicantur.

Porrò loca D. Auguſtini quibus nititur Caluinus oppugnare Catholicos, aut explicanda ſunt de reprobatione negatiuè ſumpta, quæ fit ante omnem præuiſionem operum, vel de reprobatione comparatiuè ſumpta, hoc eſt, non cur Deus aliquos reprobet, ſed cur potius iſtos quàm alios, v. g. cur potiùs aliquos peccatores induret ſaltem finaliter, ac proinde damnet, quàm alios quos licèt peccauerint, non indurat, ſed potius facit vt conuertantur; hoc enim non ex operibus, ſed ex Deo miſericorditer condonanti prouenit. Atque hanc

Mens D. Auguſtini.

eſſe mentem D. Auguſtini patet ex c. 11. l. de bono perſeuerantiæ, vbi cùm dixiſſet cantandam eſſe Deo miſericordiam & Iudicium, eò quòd quibuſdam gratia prędeſtinationis datur, & quibuſdam non datur, illicò ſubiungit, *Cur autem illis potiùs quam iſtis detur quis nouit ſenſum Domini?* & Epiſtola 105. *Neminem Deus liberat niſi gratuitâ miſericordiâ, & neminem damnat niſi æquiſſima veritate: Cur autem potiùs illum quàm iſtum liberet, aut non liberet, ſcrutetur qui poteſt iudiciorum eius tam magnum profundum,*

Digitized by Google

verumtamen caueat præcipitium. Et lib. 1. ad Simplicium q. 2. ſub finem: *Deus nequaquam exigit indebitum, nequaquam amat alienum. Quare tamen huic ita, & huic non ita; homo tu quis es qui reſpondeas Deo?* Et lib. de Corrept. & gratia c. 8. *Sed cur iſti ſic, illi aliter, atque alij aliter diuerſis & innumerabilibus modis vocentur & reformentur; abſit vt dicamus iudicium luti eſſe debere, ſed figuli.*

Cæterum, nota D. Auguſtinum quædam nonnumquam dixiſſe potiùs in vtramque partem diſputando quàm aſſerendo, vt cuilibet ipſum attenter legenti patebit.

Verùm hæc de hac ſpinoſiſſima quæſtione dicta ſufficiant.

An reprobatio fixa ſit, & quomodo ſtare poßit cum libero arbitrio.

QVÆSTIO IIII.

REprobationem fixam eſſe & immutabilem nemini dubium eſſe debet, cui certa fuerit prædeſtinationis certitudo; cùm ipſa æque ac prædeſtinatio pertineat ad voluntatem Dei conſequentem, quę numquam non impletur, vt aliàs oſtenſum eſt.

Notandum autem eſt, certitudinem reprobationis non in eo poſitam eſſe, quod reprobus numquam Deo gratus eſſe poſſit, vt cõtra apertam ſcripturæ doctrinam docent Caluiniſtæ: Conſtat enim ex ſacris litteris Luciferum, Saulem, Iudam, & alios improbos aliquando fuiſſe in gratia: itaque certitudo & immutabilitas di- *Nota, in quo poſita ſit reprobationis certitudo.*

Digitized by Google

uinæ reprobationis in eo poſita eſt, quòd illius effectus certò & infallibiliter ſuo tempore exequutioni mandetur. Cùm igitur effectus reprobationis præcipui ſint, permiſſio peccatorum reprobi, quò ſpectat induratio & excæcatio, & ipſius reprobi damnatio; ſuppoſitâ alicuius reprobatione, non poſſunt non ipſi reprobo euenire eiuſmodi effectus. Quare neceſſe eſt ex hypotheſi, quod reprobus permittatur labi in peccatum, & in ipſo finaliter perſeuerare ex hypotheſi (inquam) quod ſit reprobus; atque illud ipſum dicitur infallibile & certum reſpectu diuinæ præſcientiæ quam Deus ab æterno habuit futuræ ipſius permiſſionis lapſus ac finalis impœnitentiæ: ſimulque inflictionis pœnæ. Nec tantùm ipſa permiſſio peccati, ac perſeuerantiæ finalis in ipſo; itemque damnatio dicuntur neceſſariò euenire ex hypotheſi, atque etiam certò & infallibiliter reſpectu diuinæ præſcientiæ; ſed etiam ipſa peccata reprobi propter quæ reprobatur, & perſeuerantia in illis, ac finalis impœnitentia dici poſſunt certo & infallibiliter euenire reſpectu præſcientiæ quam de illis ab æterno habuit Deus etiam per ſcientiam mediam ſeu hypotheticam antequam ipſos noſtro concipiendi modo reprobaret: & multo magis comparatione ſcientiæ viſionis quæ concipitur in Deo præſuppoſitâ reprobatione; & certè niſi certa eſſet in Deo præſcientia peccatorum reprobi, non poſſet explicari quomodo reprobus certò damnandus eſſet propter peccata. Neque verò ſatisfeceris, ſi dicas propterea certò ſequuturam

Effectus præcipui reprobationis infallibiles.

Peccata reprobi ac ipſius finalis impœnitentia certò & infallibiliter eueniunt.

Digitized by

damnationem & peccata reprobi, quia Deus hominem reprobans vult permittere ipſius peccata. Neque enim ex hoc ſequitur quod certò & infallibiliter reprobus ſit peccaturus, quia nonobſtante illa permiſſione, habet vt plurimùm reprobus gratiam ſufficientem ad vitanda peccata, ſicque non ex hypotheſi huius permiſſionis ſequitur neceſſariò reprobum eſſe peccaturum, ac vitam in peccatis finiturum: quamuis neceſſe ſit vt hoc certò ſequatur ex ſuppoſitâ præſcientiâ peccatorum incluſa in ipſa reprobatione. Cùm autem aliàs oſtenſum ſit, neque præſcientiam diuinam, neque voluntatem Dei etiam conſequentem, vllam vim inferre libero arbitrio, facilè ex prædictis conciliari poteſt illa diuinæ reprobationis infallibilitas cum noſtra libertate. *Concluſio ex prædictis.*

Quo ordine ſe habeat diuina præſcientia & voluntas circa ea quæ ſpectant tum ad prædeſtinationem, cùm ad reprobationem.

QVÆSTIO V.

PRætermiſſis variis de re propoſita ſententiis, noſtram quæ communis eſt inſigniorum Theologorum, quæque ex prædictis facilè colligi poteſt, breuiter explicabimus. Etſi enim omnes actus diuini, tum circa prædeſtinatos cùm circa reprobos ſint omnes ſimul & ſemel ab æterno, imò ſint planè *Propoſita quæſt. determinatio*

Digitized by Google

vnũ quid in Deo, ita vt nullus à parte rei ſit prior aut poſterior altero, nihil tamen vetat quin verè poſſimus diuinos illos actus cogitare ſecundum prius & poſteriùs, prout illorum obiecta ſunt ſibi inuicem priora aut poſteriora ſecundũ diuerſam conſiderationem. Itaque pro noſtræ intelligentiæ modulo, ſeriem diuinorum illorum actuum ita concipimus. Imprimis Deus ab æterno determinauit ſe conditurum totum hoc vniuerſum, ac in eo tum Angelos cùm primos parentes & per ipſos cęteros omnes homines futuros. Tũ præuiſâ rerũ omniũ creatione, determinauit Deus ſe permiſſurũ vt nõnulli Angeli ac primi parẽtes tanquã totius generis humani capita in peccatũ laberentur, quod quidẽ per viam generationis ordinariè in omnes poſteros propagaretur, ſicque ex vniuerſa hominum futurorum multitudine fieret quædam veluti maſſa perditionis. Tertiò, prẹuiſo illo angelorum & primorum parentum lapſu, ac vniuerſali maſſa perditionis ſtatuit ſe miſſurum filium ſuum in carne ſaltem paſſibili dilectum & electum ſuper omnes, & caput omnium eligendorum ac prædẹſtinandorum. Quartò præuiſâ Chriſti primi electi & prædeſtinati futurâ miſſione non tantùm bonos angelos in ipſo, verùmetiam aliquos homines ex maſſa perditionis elegit ad gloriam, ſimulque tum malos angelos poſitiuè reprobauit, cùm etiam reliquos homines ſaltem negatiuè reprobauit, & ex conſequenti ab ęterna gloria in æternum excluſit.

Diuerſi gradus diuinorum actuum circa prædeſtinatos & reprobos.

Primus.

Secundus.

Tertius.

Quartus.

Quintus.

Quintò, præſuppoſita electione & præuiſa

futuræ electorum gloria & excluſione reprobotum ab ipſa, determinauit ſe collaturum electis media quibus infallibiliter peruenirent ad prædictam gloriam, nempe gratiam vocationis, iuſtificationis, & perſeuerantiæ finalis, cui gratiæ certò præuidebat illos cooperaturos; reprobis verò quibuſdam determinauit ſe permiſſurum vt in ſolo peccato originali morerentur, ſicque ad pœnam tantùm damni illos deſtinauit, aliis verò iisque adultis determinauit ſe permiſſurum, vt pro ſua libertate in peccata quædam actualia laberentur. Deinde præuiſis primis illorum peccatis determinauit ſe propter illa ſubſtracturum aut negaturum auxilia ſpecialia, quibus proculdubiò cõuerterentur, immò etiam vt probabile iudicamus ſaltem pro aliquo tempore auxilia etiam neceſſaria & ſufficientia, & præterea ſe permiſſurum vt in alia ſubſequentia peccata labantur & in illis finaliter perſeuerent. Quibus omnibus præuiſis determinauit ſe illos æternis ſuppliciis addicturum.

Sextus ſpecialiter circa reprobos

Septimus ſpecialiter item circa reprobos.

Verùm hæc de Prædeſtinatione, deque Reprobatione pro noſtro inſtituto dicta ſufficiant.

Digitized by Google

DECIMA OCTAVA DISPVTATIO
De potentia Dei.

EXplicatis omnibus his attributis quæ ad operationem Dei immanentem ſpectare videbantur, ſupereſt explicandum illud quod primò per ſe ſpectat ad operationem ipſius tranſeuntem, nempe infinita eius potentia.

An ſit in Deo potentia
QVÆSTIO I.

Aſſertio tenenda ratione probatur.

INeſſe in Deo potentiā actiuam, quæ eſt principium agendi in aliud, non verò paſſiuam quæ eſt principium patiendi ab alio, hac optima ratione probat ſanctus Th. hîc art. 1. Vnūquodque (inquit) ſecundùm quod eſt actu & perfectum, ſecundum hoc eſt principium actiuū alicuius, patitur autē vnūquodque ſecūdū quod eſt deficiens & imperfectum; atqui aliàs oſtenſum eſt Deum eſſe purum actum & ſimpliciter ac vniuerſaliter perfectum, adeout nihil imperfectionis in eo eſſe poſſit: Ergo ratio principii actiui ſeu potentiæ actiuæ illi maximè competit, ratio verò principii paſſiui ſeu potentiæ paſſiuæ nullo modo. Mitto hîc authoritates ſacræ Scripturę quibus iſtud genus actiuæ potentiæ Deo attribuitur, vt Pſalmo 88. *Potens es Domine, & veritas tua in circuitu tuo.* Vbi diligenter notandum eſt potentiam Dei ſecundùm propriam

Notādum.

& ſpecificam ſui rationem eſſe ipſum Dei intellectum & voluntatem, cùm omnis alia ratio potētię actiuę nōnihil imperfectionis includat, nempe carentiam alicuius actus intrinſeci quod ipſum innuit ſanctus Th. hîc art. 1. ad 4. *Vel dicendum* (inquit) *quod ipſa Dei ſcientia vel voluntas diuina ſecundùm quod eſt principium effectiuum habet rationem potentiæ.* Sicut igitur dicimus potentiam actiuam ignis ſecundùm ſuam propriam rationem eſſe calorem, ita exiſtimandum eſt potentiam Dei effectiuam eſſe ipſius intellectum ac voluntatem, & conſequenter actionem huius potentiæ ſeu ipſum agere in Deo eſſe intellectionem & volitionem. Ex quo etiam intelligis, licèt iſtius potentiæ actiuæ operatio, quæ eſt idem reipſa cum effectu producto, ſit aliquid tranſiens & extra Deum, ipſum tamen agere, ſeu actum ipſius diuinæ potentiæ eſſe aliquid immanens in ipſo Deo, nec vllo modo diſtingui ab ipſa potentia, ſicut nec potentiam ab ipſa eſſentia Dei, ſicque in Deo actionem, potentiam, & eſſentiam eſſe planè idem Eſt igitur actio diuinæ potentiæ quæ idem eſt cum ipſa, aliquid immanens & æternum; operatio verò ipſius diuinæ potentiæ, quæ eſt idem cum re effecta, aliquid tranſiens & temporaneum. *Corollariũ.*

Digitized by Google

An Potentia Dei ſit infinita.

QVÆSTIO II.

Aſſertio tenenda probatur authoritate. *Ratione confirmatur.*

ITa eſſe probatur : Primò ex ſacra Scriptura Pſalmo 144. *Magnitudinis eius non eſt finis.* Vbi ſermo fit de magnitudine perfectionis, potentię & virtutis, vt notat hîc Sanctus Tho. art. 2. Confirmatur ſecundò hac Diui Thomæ ratione ; nam ſecũdum hoc potentia in Deo reperitur ſecundùm quod eſt actu; eſſe autem eius eſt infinitum, vt ſupra oſtenſum eſt, vbi de infinitate Dei: quare actiua eius potentia erit infinita.

Neque propterea neceſſe eſt vt effectus à tali potentia ſit infinitus : neque enim potentia agentis æquiuoci (cuiuſmodi eſt omne agens incorporeum & voluntarium) tota manifeſtatur in ſuo effectu: adde quod cùm Deus ſit agens liberum, poſſit pro libito vim ſuam determinare quoad effectum.

An Deus ſit omnipotens.

Notãdum de duplici Dei potentia.

SEnſus propoſitæ quęſtionis eſt , vtrùm Deus vel immediatè & per ſe, vel interuentu cauſarum ſecundarum poſſit omnia quæ per quamcumque potentiam eſſe poſſunt. Cui vt ſatisfiat notandum eſt potentiam Dei actiuã, de qua loquimur, dupliciter conſiderari : vno modo abſolutè, altero modo reſpectiuè ſeu in ordine ad certam legem qua Deus ſtatuit quid

quid aut ipſe ſolus aut vna cum cauſis ſecundis velit facere: priori modo ſpectata dicitur abſoluta, poſteriori verò ordinata: cũque Deus ſtatuerit alia facere ordinariè ſecundùm communes leges, alia extraordinariè ſupra curſum rerũ ordinarium; poteſt ordinata Dei potentia diſtingui in ordinariam & extraordinariam, licèt communiter ordinaria accipiatur pro potentia ordinata, & extraordinaria pro abſoluta.

His poſitis reſpondemus Deum ſecundùm potentiam abſolutam verè dici omnipotẽtem, hoc eſt, Deum poſſe omne poſſibile abſolutè: id autem dicitur poſſibile abſolutè quidquid fieri aut eſſe poteſt, ſeu quod non repugnat enti ſiue (quod idem eſt) quod non implicat contradictionem. Probatur autem hæc noſtra aſſertio primò authoritate ſacræ Scripturæ Lucæ 1. *non eſt impoſſibile apud Deum omne verbum*, id eſt omne ens. Secundò ratione deſumpta ex infinitate diuinę potentiæ, namque Deum eſſe omnipotentẽ nihil aliud eſt, quam Deum poſſe quidquid in genere entis fieri poteſt: atqui conſtat Deum habere potentiam abſolutè infinitã, quod nihil aliud eſt quàm habere potentiam ſimpliciter in genere entis illimitatam, ſeu poſſe quidquid in genere entis fieri poteſt.

Prima aſſertio

Probatur. authoritate.

Ratione cõfirmatur

Verùm obiicies primo; Deum quædam non poſſe quæ nos poſſumus, vt ambulare, loqui, ratiocinari. Reſpondetur licet Deus illa in ſeipſo non poſſit, quia illa in Deo eſſe implicat contradictionem, inde enim ſequeretur Deum nõ eſſe purum actum; & vndequaque perfectum, ac proinde non eſſe Deum; illa tamen poteſt in

Obiectio prima.

Solutio.

Digitized by Google

gelium prædicari, alios verò non actu vocet, quibus non permittit Euangelium prædicari. Cur quoſdam efficaciter vocet, alios verò non, ſed tãtùm ſufficienter; Cur quibuſdam vocatis lapſis Deus abundantiorem pœnitentiæ gratiam, eamque fortaſſis frequentiùs tribuat quàm aliis; Cur potius quibuſdam ęternæ ſalutis media exhibeat etiam quos ſæpè nouit illis non vſuros, aut eiſdem abuſuros, quàm eis quos nouit eiſdem benè vſuros fuiſſe.

Loca D. Auguſtini à Caluino allata explicantur.

Porrò loca D. Auguſtini quibus nititur Caluinus oppugnare Catholicos, aut explicanda ſunt de reprobatione negatiuè ſumpta, quæ fit ante omnem præuiſionem operum, vel de reprobatione comparatiuè ſumpta, hoc eſt, non cur Deus aliquos reprobet, ſed cur potius iſtos quàm alios, v. g. cur potiùs aliquos peccatores induret ſaltem finaliter, ac proinde damnet, quàm alios quos licèt peccauerint, non indurat, ſed potius facit vt conuertantur; hoc enim non ex operibus, ſed ex Deo miſericorditer condonanti prouenit. Atque hanc

Mens D. Auguſtini.

eſſe mentem D. Auguſtini patet ex c. 11. l. de bono perſeuerantiæ, vbi cùm dixiſſet cantandam eſſe Deo miſericordiam & Iudicium, eò quòd quibuſdam gratia prędeſtinationis datur, & quibuſdam non datur, illicò ſubiungit, *Cur autem illis potiùs quam iſtis detur quis nouit ſenſum Domini?* & Epiſtola 105. *Neminem Deus liberat niſi gratuitâ miſericordiâ, & neminem damnat niſi æquiſſima veritate: Cur autem potiùs illum quàm iſtum liberet, aut non liberet, ſcrutetur qui poteſt iudiciorum eius tam magnum profundum,*

Digitized by Google

verumtamen caueat præcipitium. Et lib. 1. ad Simplicium q. 2. ſub finem: *Deus nequaquam exigit indebitum, nequaquam amat alienum. Quare tamen huic ita, & huic non ita; homo tu quis es qui reſpondeas Deo?* Et lib. de Corrept. & gratia c. 8. *Sed cur iſti ſic, illi aliter, atque alij aliter diuerſis & innumerabilibus modis vocentur & reformentur; abſit vt dicamus iudicium luti eſſe debere, ſed figuli.*

Cæterum, nota D. Auguſtinum quædam nonnumquam dixiſſe potiùs in vtramque partem diſputando quàm aſſerendo, vt cuilibet ipſum attenter legenti patebit.

Verùm hæc de hac ſpinoſiſſima quæſtione dicta ſufficiant.

An reprobatio fixa ſit, & quomodo ſtare poßit cum libero arbitrio.

QVÆSTIO IIII.

REprobationem fixam eſſe & immutabilem nemini dubium eſſe debet, cui certa fuerit prædeſtinationis certitudo; cùm ipſa æque ac prædeſtinatio pertineat ad voluntatem Dei conſequentem, quę numquam non impletur, vt aliàs oſtenſum eſt.

Notandum autem eſt, certitudinem reprobationis non in eo poſitam eſſe, quod reprobus numquam Deo gratus eſſe poſſit, vt cōtra apertam ſcripturæ doctrinam docent Caluiniſtæ: Conſtat enim ex ſacris litteris Luciferum, Saulem, Iudam, & alios improbos aliquando fuiſſe in gratia: itaque certitudo & immutabilitas di- *Nota, in quo poſita ſit reprobationis certitudo.*

Digitized by Google

uinæ reprobationis in eo poſita eſt, quòd illius effectus certò & infallibiliter ſuo tempore exequutioni mandetur. Cùm igitur effectus reprobationis præcipui ſint, permiſſio peccatorum reprobi, quò ſpectat induratio & excæcatio, & ipſius reprobi damnatio; ſuppoſitâ alicuius reprobatione, non poſſunt non ipſi reprobo euenire eiuſmodi effectus. Quare neceſſe eſt ex hypotheſi, quod reprobus permittatur labi in peccatum, & in ipſo finaliter perſeuerare ex hypotheſi (inquam) quod ſit reprobus; atque illud ipſum dicitur infallibile & certum reſpectu diuinæ præſcientiæ quam Deus ab æterno habuit futuræ ipſius permiſſionis lapſus ac finalis impœnitentiæ: ſimulque inflictionis pœnæ. Nec tantùm ipſa permiſſio peccati, ac perſeuerantiæ finalis in ipſo; itemque damnatio dicuntur neceſſariò euenire ex hypotheſi, atque etiam certò & infallibiliter reſpectu diuinæ præſcientiæ; ſed etiam ipſa peccata reprobi propter quæ reprobatur, & perſeuerantia in illis, ac finalis impœnitentia dici poſſunt certo & infallibiliter euenire reſpectu præſcientiæ quam de illis ab æterno habuit Deus etiam per ſcientiam mediam ſeu hypotheticam antequam ipſos noſtro concipiendi modo reprobaret: & multo magis comparatione ſcientię viſionis quæ concipitur in Deo præſuppoſitâ reprobatione; & certè niſi certa eſſet in Deo præſcientia peccatorum reprobi, non poſſet explicari quomodo reprobus certò damnandus eſſet propter peccata. Neque verò ſatisfeceris, ſi dicas propterea certò ſequuturam

Effectus præcipui reprobationis infallibiles.

Peccata reprobi ac ipſius finalis impœnitentia certò & infallibiliter eueniunt.

Digitized by Google

damnationem & peccata reprobi, quia Deus hominem reprobans vult permittere ipſius peccata. Neque enim ex hoc ſequitur quod certò & infallibiliter reprobus ſit peccaturus, quia nonobſtante illa permiſſione, habet vt plurimùm reprobus gratiam ſufficientem ad vitanda peccata, ſicque non ex hypotheſi huius permiſſionis ſequitur neceſſariò reprobum eſſe peccaturum, ac vitam in peccatis finiturum: quamuis neceſſe ſit vt hoc certò ſequatur ex ſuppoſitâ præſcientiâ peccatorum incluſa in ipſa reprobatione. Cùm autem aliàs oſtenſum ſit, neque præſcientiam diuinam, neque voluntatem Dei etiam conſequentem, vllam vim inferre libero arbitrio, facilè ex prædictis conciliari poteſt illa diuinæ reprobationis infallibilitas cum noſtra libertate. *Conciuſio ex prædictis.*

Quo ordine ſe habeat diuina præſcientia & voluntas circa ea quæ ſpectant tum ad prædeſtinationem, cùm ad reprobationem.

QVÆSTIO V.

PRętermiſſis variis de re propoſita ſententiis, noſtram quæ communis eſt inſigniorum Theologorum, quæque ex prædictis facilè colligi poteſt, breuiter explicabimus. Etſi enim omnes actus diuini, tum circa prædeſtinatos cùm circa reprobos ſint omnes ſimul & ſemel ab æterno, imò ſint planè *Propoſita quæſt. determinatio*

vnũ quid in Deo, ita vt nullus à parte rei ſit prior aut poſterior altero, nihil tamen vetat quin verè poſſimus diuinos illos actus cogitare ſecundum prius & poſteriùs, prout illorum obiecta ſunt ſibi inuicem priora aut poſteriora ſecundũ diuerſam conſiderationem. Itaque pro noſtræ intelligentiæ modulo, ſeriem diuinorum illorum actuum ita concipimus. Imprimis Deus ab æterno determinauit ſe conditurum totum hoc vniuerſum, ac in eo tum Angelos cùm primos parentes & per ipſos cęteros omnes homines futuros. Tũ præuiſâ rerũ omniũ creatione, determinauit Deus ſe permiſſurũ vt nõnulli Angeli ac primi parẽtes tanquã totius generis humani capita in peccatũ laberentur, quod quidẽ per viam generationis ordinariè in omnes poſteros propagaretur, ſicque ex vniuerſa hominum futurorum multitudine fieret quædam veluti maſſa perditionis. Tertiò, pręuiſo illo angelorum & primorum parentum lapſu, ac vniuerſali maſſa perditionis ſtatuit ſe miſſurum filium ſuum in carne ſaltem paſſibili dilectum & electum ſuper omnes, & caput omnium eligendorum ac prædęſtinandorum. Quartò præuiſâ Chriſti primi electi & prædeſtinati futurâ miſſione non tantùm bonos angelos in ipſo, verùmetiam aliquos homines ex maſſa perditionis elegit ad gloriam, ſimulque tum malos angelos poſitiuè reprobauit, cùm etiam reliquos homines ſaltem negatiuè reprobauit, & ex conſequenti ab ęterna gloria in æternum excluſit.

Diuerſi gradus diuinorum actuum circa prædeſtinatos & reprobos.

Primus.

Secundus.

Tertius.

Quartus.

Quintus.

Quintò, præſuppoſita electione & præuiſa

futuræ electorum gloria & excluſione reproborum ab ipſa, determinauit ſe collaturum electis media quibus infallibiliter peruenirent ad prædictam gloriam, nempe gratiam vocationis, iuſtificationis, & perſeuerantiæ finalis, cui gratiæ certò præuidebat illos cooperaturos; reprobis verò quibuſdam determinauit ſe permiſſurum vt in ſolo peccato originali morerentur, ſicque ad pœnam tantùm damni illos deſtinauit, aliis verò iiſque adultis determinauit ſe permiſſurum, vt pro ſua libertate in peccata quædam actualia laberentur. Deinde præuiſis primis illorum peccatis determinauit ſe propter illa ſubtracturum aut negaturum auxilia ſpecialia, quibus proculdubiò cõuerterentur, immò etiam vt probabile iudicamus ſaltem pro aliquo tempore auxilia etiam neceſſaria & ſufficientia, & præterea ſe permiſſurum vt in alia ſubſequentia peccata labantur & in illis finaliter perſeuerent. Quibus omnibus præuiſis determinauit ſe illos æternis ſuppliciis addicturum.

Sextus ſpecialiter circa reprobos

Septimus ſpecialiter item circa reprobos.

Verùm hæc de Prædeſtinatione, deque Reprobatione pro noſtro inſtituto dicta ſufficiant.

DECIMA OCTAVA DISPVTATIO
De potentia Dei.

EXplicatis omnibus his attributis quæ ad operationem Dei immanentem ſpectare videbantur, ſupereſt explicandum illud quod primò per ſe ſpectat ad operationem ipſius tranſeuntem, nempe infinita eius potentia.

An ſit in Deo potentia QVÆSTIO I.

Aſſertio tenenda ratione probatur. INeſſe in Deo potentiã actiuam, quæ eſt principium agendi in aliud, non verò paſſiuam quæ eſt principium patiendi ab alio, hac optima ratione probat ſanctus Th. hîc art. 1. Vnũquodque (inquit) ſecundùm quod eſt actu & perfectum, ſecundum hoc eſt principium actiuũ alicuius, patitur autẽ vnũquodque ſecũdũ quod eſt deficiens & imperfectum; atqui aliàs oſtenſum eſt Deum eſſe purum actum & ſimpliciter ac vniuerſaliter perfectum, adeout nihil imperfectionis in eo eſſe poſſit: Ergo ratio principii actiui ſeu potentiæ actiuæ illi maximè competit, ratio verò principii paſſiui ſeu potentiæ paſſiuæ nullo modo. Mitto hîc authoritates ſacræ Scripturę quibus iſtud genus actiuæ poten-*Notãdum.* tiæ Deo attribuitur, vt Pſalmo 88. *Potens es Domine, & veritas tua in circuitu tuo.* Vbi diligenter notandum eſt potentiam Dei ſecundùm propriam

& ſpecificam ſui rationem eſſe ipſum Dei intellectum & voluntatem, cùm omnis alia ratio potẽtiæ actiuæ nõnihil imperfectionis includat, nempe carentiam alicuius actus intrinſeci quod ipſum innuit ſanctus Th. hîc art. 1. ad 4. *Vel dicendum* (inquit) *quod ipſa Dei ſcientia vel voluntas diuina ſecundùm quod eſt principium effectiuum habet rationem potentiæ.* Sicut igitur dicimus potentiam actiuam ignis ſecundùm ſuam propriam rationem eſſe calorem, ita exiſtimandum eſt potentiam Dei effectiuam eſſe ipſius intellectum ac voluntatem, & conſequenter actionem huius potentiæ ſeu ipſum agere in Deo eſſe intellectionem & volitionem. Ex quo etiam intelligis, licèt iſtius potentiæ actiuæ operatio, quæ eſt idem reipſa cum effectu producto, ſit aliquid tranſiens & extra Deum, ipſum tamen agere, ſeu actum ipſius diuinæ potentiæ eſſe aliquid immanens in ipſo Deo, nec vllo modo diſtingui ab ipſa potentia, ſicut nec potentiam ab ipſa eſſentia Dei, ſicque in Deo actionem, potentiam, & eſſentiam eſſe planè idem Eſt igitur actio diuinæ potentiæ quæ idem eſt cum ipſa, aliquid immanens & æternum; operatio verò ipſius diuinæ potentiæ, quæ eſt idem cum re effecta, aliquid tranſiens & temporaneum. *Corollariū.*

quid aut ipſe ſolus aut vna cum cauſis ſecundis velit facere: priori modo ſpectata dicitur abſoluta, poſteriori verò ordinata: cũque Deus ſtatuerit alia facere ordinariè ſecundùm communes leges, alia extraordinariè ſupra curſum rerũ ordinarium; poteſt ordinata Dei potentia diſtingui in ordinariam & extraordinariam, licèt communiter ordinaria accipiatur pro potentia ordinata, & extraordinaria pro abſoluta.

His poſitis reſpondemus Deum ſecundùm potentiam abſolutam verè dici omnipotẽtem, hoc eſt, Deum poſſe omne poſſibile abſolutè: id autem dicitur poſſibile abſolutè quidquid fieri aut eſſe poteſt, ſeu quod non repugnat enti ſiue (quod idem eſt) quod non implicat contradictionem. Probatur autem hæc noſtra aſſertio primò authoritate ſacræ Scripturæ Lucæ 1. *non eſt impoſſibile apud Deum omne verbum*, id eſt omne ens. Secundò ratione deſumpta ex infinitate diuinę potentiæ, namque Deum eſſe omnipotentẽ nihil aliud eſt, quam Deum poſſe quidquid in genere entis fieri poteſt: atqui conſtat Deum habere potentiam abſolutè infinitã, quod nihil aliud eſt quàm habere potentiam ſimpliciter in genere entis illimitatam, ſeu poſſe quidquid in genere entis fieri poteſt.

Prima aſſertio

Probatur. authoritate.

Ratione cõfirmatur

Verùm obiicies primo; Deum quædam non poſſe quæ nos poſſumus, vt ambulare, loqui, ratiocinari. Reſpondetur licet Deus illa in ſeipſo non poſſit, quia illa in Deo eſſe implicat contradictionem, inde enim ſequeretur Deum nõ eſſe purum actum; & vndequaque perfectum, ac proinde non eſſe Deum; illa tamen poteſt in

Obiectio prima.

Solutio.

creaturis operari, facit enim vt homo ambulet, loquatur, & ratiocinetur. Obiicies ſecundò, Deus non poteſt operari peccatum ſiue in ſe ſiue in creaturis, ſicut nec ſeipſum poteſt negare ex 2. ad Tim. 2. Reſpondetur poſſe peccare, fallere aut mentiri non eſſe potentiæ, ſed infirmitatis; poſſe enim illa facere eſt poſſe deficere à recta ratione. Atqui deficere in agendo repugnat omnipotentiæ. Quare ſi Deus iſta poſſet, non eſſet omnipotens; non igitur impotentiæ, ſed potius ſummę ipſius potentiæ imputandum eſt, quod iſta non poteſt: vnde S. Auguſt. 15. de Trinitate cap. 15. *Magna* (inquit) *Dei potentia eſt non poſſe mentiri*: itaque Deum omnipotentem dicimus, non quòd omnia poſſit ſimpliciter loquendo, ſed quod omnia poſſit quæ poſſe potentię eſt; ea autem omnia ſunt quę formaliter ſpectata habent rationem aliquam entis & boni, quæque Deus poteſt velle; ea enim omnia poteſt aut per ſe aut per ſuas creaturas operari: at omne malum vt malum deficit à ratione veri entis, nec poteſt eſſe per ſe volitum à Deo. Quò fit etiam vt Deus non poſſit facere quod præterita non fuerint, iſtud enim implicat contradictionem, vt patet, ac proinde repugnat enti & bono vt ſic, quod nō obſcurè ſignificat ſanctus Auguſt. lib. 26. contra Fauſtum cap. 5. *Quiſquis* (inquit) *ita dicit, ſi Deus omnipotens eſt, faciat vt quę facta ſunt non fuerint; non videt hoc ſe dicere, Si Deus omnipotens eſt, faciat vt ea quæ vera ſunt, eo ipſo quod vera ſunt, falſa ſint.*

Obiectio. prima.

Solutio.

Non poteſt fieri diuina potentia vt præterita non fuerint.

An Deus poſſit facere quæ non facit.
QVÆSTIO IIII.

NON defuerunt præſertim ex noſtris nouatoribus qui auſi ſunt aſſerere potentiam Dei non ſe extendere ad alia quàm ad ea quæ fiunt, ideoque potentiam Dei abſolutam penitus reiiciant, ita poſt Willeſum ex Valdenſi & Bailardum ex ſanctoBernardoEpiſtola 1 o. ſentit Caluinus in caput 25. Ezechielis, & libro de æterna Dei prędeſtinatione. *Error Vicleſi Abailardi & Caluini.*

Verùm contrarium ſummo conſenſu docent Orthodoxi Patres, & Theologi, pręſertim S. Auguſt. libro de Spiritu & littera c. 1. & lib. 13. de Trinitate c. 18. & Diu. Th. hìc quæſt. 25. art. 5. probaturque primùm authoritate ſacræ Scripturæ. Mat, 26. *An putas quia non poſſum rogare patrem meum, & exhibebit mihi modo pluſquam duodecim legiones Angelorum?* Ex quibus verbis apertè innuitur, & filium potuiſſe rogare quod non rogabat, & Patrem exhibere quod non exhibebat. Secundo, ratione confirmatur, tum quià Deus non agit ex neceſſitate naturæ. ſicque nō eſt neceſſe cùm agit vt omnia faciat quæ facere poteſt; tùm quia cum diuina potentia non diſtinguatur à diuina Sapientia, nihilque ſit in diuina potentia quod non ſit in ordine diuinæ ſapientiæ, ſic ſe habet potentia Dei ad quēcūque effectum ſicut ſe habet ipſius ſapiētia ad quēcumque ordinem rerum; ſed nullus eſſe poteſt ordo rerum qui adæquet diuinam ſapientiam, cùm finis diuinę ſapientię propoſitus (nempè diuina bonitas excedat *Aſſertio Catholica.* *Probatur authoritate.* *Ratione cōfirmatur primo.* *Secundo.*

Digitized by Google

improportionabiliter (vt loquitur ſanct. Doctor) res omnes creatas: ergo nullus eſſe poteſt effectus in quouis ordine rerũ, qui adęquet diuinã potentiam. Ex quo ſequitur quod Deus non tantùm poteſt facere ea quæ non facit, ſed etiam quod ſemper poteſt facere plura & plura in infinitum abeundo, quàm quæ facit.

Conſectarium.

Obiectio.

Verùm contra obiicitur. Non poteſt Deus facere niſi quod bonum & iuſtum eſt fieri, nõ eſt autem bonum & iuſtum fieri ab eo niſi quod facit ſeu quod facere pręordinauit; ſi enim aliud iuſtum eſt & bonum eum facere quam quod facit, non ergo facit omne quod iuſtum eſt & bonum eum facere. At quis audeat hoc dicere? Verùm reſpondetur. Primo ad maiorem illam, eſſe veram, ſi duplici ſenſu accipiatur; vno ſic, Deus non poteſt facere niſi illud, quod ſi fieret aut faciendum eſſet, bonũ & iuſtum eſſet; altero ſic Deus non poteſt facere de potentia per imperium æquiſſimæ voluntatis iam ordinata niſi illud quod facit aut facere præordinauit: eſſe verò falſam ſi tertio iſto ſenſu accipiatur, non poteſt Deus facere de potentia abſoluta, niſi illud quod per ipſius æquiſſimam voluntatem pręordinatum ac determinatum eſt. Secundò reſpondetur ad minorem; licèt non ſit iuſtum & bonum aliud fieri quam quod Deus facit aut facere pręordinauit, eo quod ex hypotheſi Deus non vult æquiſſima voluntate aliud fieri; cùm tamen poſſit Deus in ſenſu diuiſo velle ſeu præordinare aliud fieri nihil repugnat abſolutè loquendo bonum & iuſtum eſſe aliud fieri, & ſic licèt Deus faciat omne quod bonum

Reſponſio ad maiorẽ.

Reſponſio ad minorẽ

& iuſtum eſt eum facere ex hypotheſi quod iã illud determinauit ſe facturum, non tamẽ facit omne quod bonum & iuſtum eſſet eum facere ſi aliud vellet aut determinaret: illud enim omne diuinæ potentiæ ſubditur, non tantùm quod Deus vult, ſed etiam quod velle poteſt, ſeu quod non repugnat ſaltem in ſenſu diuiſo eum velle.

Inſtabis forſan, inde ſequi potentiam Dei capaciorem eſſe intellectu & voluntate ipſius, cùm latiùs ſe extendat. Reſpondeo, licèt ſubſint plura poteſtati Dei abſolutæ quam voluntati ipſius in actu, non tamen propterea maiorem eſſe poteſtatem Dei quàm voluntatem; adde quod intellectus & voluntas Dei in habitu ſpectatis æquè latè ſe extendunt ac ipſa poteſtas Dei abſoluta. *Inſtantia.* *Solutio.*

An poſſit Deus facere meliora quam quæ facit.

QVÆSTIO V.

SENSVS quæſtionis propoſitæ eſſe poteſt, tũ an poſſit Deus ea quæ facit meliora facere, tum an poſſit alia facere meliora quàm ea quæ facit ſiue in indiuiduo, ſiue in ſpecie, ſiue in genere, ſiue ſecundùm ſubſtantiam, ſiue ſecundùm accidens & modum. Cui dubitationi ſequentibus propoſitionibus ſatisfiet. *Senſus quæſt.*

Prima propoſitio ex D. Th. hîc q. 25. a. 6. ad 1. non poteſt Deus res quas facit facere melius, id eſt meliori modo ex parte ſui quàm quę facit. Probatur quia omnia per infinitã ſuã potentiã *Prima propoſitio.*

& ſapientiam qua melior eſſe non poteſt.

Secunda propoſitio. Secunda propoſitio: Non poteſt Deus eandē rem facere meliorem quam facit quoad bonitatem ipſi eſſentialem, ſeu non poteſt facere aliquid eſſentialiter melius quàm ſit: ſicut non poteſt facere quaternarium maiorem quàm ſit. Ratio eſt, quia ſic ſe habet additio differentiæ eſſentialis in naturis, ſicut ſe habet additio vnitatis in numeris, ex 8. Metaph. text. 10. illa enim rem faceret non meliorem, ſed aliam.

Tertia propoſitio. Tertia propoſitio. Poteſt Deus rem facere meliorem quā facit quoad bonitatem ipſi rei accidentalem. Ex quo ſequitur Deum poſſe facere alia accidentaliter meliora quàm quæ facit in indiuiduo, vt probatur ſequenti propoſitione.

Quarta propoſitio. Quarta propoſitio. Poteſt Deus facere alia eſſentialiter meliora quàm quæ facit in ſpecie aut in genere: hoc eſt, facere Deum poſſe nobiliores rerum ſpecies, aut genera quā quæ facit, & ſic in infinitum abeundo. Probatur tam hæc quàm præcedens propoſitio primùm authoritate ſacræ Scripturæ ad Epheſ. primo, vbi Deus dicitur eſſe potens facere ſuperabundanter quam petimus, aut intelligimus. Secundò ratione quia cùm potentia Dei ſit infinita, & ea quæ facta ſunt ſint finita, nihil videtur repugnare Deum poſſe facere meliora; quæ ſi fierent, ordinarentur in ipſam Dei bonitatem quæ, eſt infinita: & hoc eſt inſigne diſcrimen inter Deum & hominem, quòd homo quantumuis ſapiens, quia operatur propter finem aliquem limitatum, nequit interdum propter talem finem facere aliquid melius quam facit; Deus autem quia operatur propter

Probatur authoritate.

Ratione cōfirmatur

Digitized by Google

ſuam bonitatem, quæ eſt finis illimitatus; ſemper poteſt ob eum finem conuenienter facere aliquid quod ſit melius.

Verùm obiicies primò. Quemadmodum ſi Deus potuit & noluit gignere filium ſibi æqualem, inuidus fuit (vt argumentatur D. Auguſt. contra Maximinum) eadem ratione Deus dici potuerit inuidus ſi potuit res facere meliores quam fecit & noluit. Reſpondetur, non eſſe parem vtrimque rationem; æqualitas enim debetur Dei filio naturali, vt ibidem ſupponit S. Aug. vnde rectè infertur, quod ſi Deus illam deberet conferre filio, nec conferret, inuidus eſſet. At verò maior bonitas non debetur creaturæ, quàm ea quam Deus ipſi vult. *Obiectio prima.* *Solutio.*

Secundò obiicies: Cuncta quæ fecit Deus dicũtur valdè, id eſt, sũmè bona: non igitur meliora fieri poſſunt. Reſpondetur, primò non planè idem eſſe valde bonum ac ſumme bonũ, vt patet. Secundò reſpondetur, licèt meliora fieri nõ deberent in ordine ad bonum totius huius vniuerſi quod decreuerat Deus facere, ne partium ex quibus conſtat harmonia ſeu proportio diſſoluatur, ſicque ſuppoſito iſto ordine vniuerſi quem cernimus, res non poſſint meliores fieri, & ſuppoſitis iſtis rebus non poſſit eſſe melior ordo vniuerſi; hoc tamen non obſtat quominus Deus ſuppoſitis aliis rebus alium ordinem vniuerſi iſto meliorem facere poſſit, aut ſuppoſito alio vniuerſi ordine res alias meliores facere, imò ſtante hoc vniuerſi ordine poſſet Deus præter res creatas alias condere meliores propter quas vniuerſum hoc melius *Obiectio ſecunda.* *Solutio prima.* *Secunda*

diceretur;niſi mauis dicere tunc fore aliud vniuerſum, quod tamen nollem aſſerere ſi res illę exiguo forent numero. Porrò nota ex D. Tho. hîc art.6.ad quartum, quod humanitas Chriſti ex hoc quod ſit vnita Deo,& beatitudo creata ex hoc quod ſit fruitio Dei;& beata Virgo ex hoc quod ſit mater Chriſti habent quandam dignitatem infinitam ex bono infinito quod eſt Deus, & ex parte hac non poteſt fieri aliquid melius: ſicut non poteſt aliquid melius eſſe Deo:cui ſoli honor & gloria ſuper omnia.

Notandũ.

TRACTATVS SECVNDVS, DE DEO, VT TRINO.

SEV

De altiſſima Trinitate in 14. *Diſputationes diuiſus.*

QVANTO cum timore & tremore de altiſſimo iſto Trinitatis myſterio omnium Chriſtianæ fidei myſteriorum ſupremo ac difficillimo agendum ſit, vel ex eo intelligi poteſt, quod (vt loquitur ſanctus Auguſt.*) nec vllibi periculoſius erretur, nec aliquid laborioſius quæratur, nec quidquam fructuoſius inueniatur. Et quoniam non humanæ modò, ſed etiam Angelicæ mentis captum longè ſuperat, idcircò ad enodandas tam ardui myſterij difficultates, non tam humana ratione quàm fidei authoritate vtendum eſt. *1. * De Trinit. c. 3.* *Authoritate maxime vtendum in hoc tract.*

Et quoniam ſub ambiguitate vocum ſæpenumerò pernicioſa latent hæreſeon ſemina ca- *Habenda maxime ratio vocabulorum in hac materia.*

uendæ ſunt imprimis in explicando hoc fidei noſtræ myſterio profanę vocum nouitates, nec niſi vſitatis in Eccleſia, & olim à ſanctis Patribus vſurpatis vocibus vtendum eſt.

Scopus huius tractatus.

Scopus autem totius huius tractatus eſt oſtendere, cùm Deus Optimus Maximus ſit vnus in eſſentia & natura, vt præcedenti tractatu oſtēſū eſt, eum ſimul eſſe Trinum in perſonis; nempè Deum eſſe Patrem, Filium, & Spiritū ſanctum; & quidem ita inter ſe diſtinctas eſſe diuinas illas perſonas: vt tamen ſimul agnoſcantur eſſe eiuſdem indiſtinctæ ac planè indiuiſibilis ſubſtantiæ & naturæ.

Totius huius tractatus partitio

Porrò cùm perſonę illæ ſecundùm relationes originis diſtinguantur, vt ex ſequentibus patebit, priùs iuxta doctrinæ ordinem dicendum eſt de origine ſeu proceſſione diuinarum perſonarum, deinde de relationibus originis, denique de ipſis perſonis.

Itaque prima huius tractatus diſputatio erit de origine, ſeu proceſſione diuinarum perſonarum; Secunda de relationibus originis, reliquæ verò decem de ipſis diuinis perſonis: quæ cùm dupliciter ſpectari poſſint, nempè vel abſolutè, vel reſpectiuè; & rurſus abſoluta conſideratio diuinarum perſonarum poſſit eſſe communis, vel particularis, circa conſiderationem abſolutam diuinarum perſonarum in communi, tres erunt diſputationes; ſicque Tertia diſputatio erit de ratione perſonæ in diuinis; Quarta de pluralitate perſonarum; Quinta de notitia perſonarum ſeu ratione illas cognoſcendi.

Circa conſiderationem abſolutam earumdem

Digitized by Google

in particulari totidem nempè, Sexta de perſona Patris, Septima de perſona Filij, Octaua de perſona Spiritus ſancti.

At verò cùm perſonę diuinæ quadruplicem reſpectum habere poſſint, nempè vel ad ea quæ ipſis ſunt communia, ſeu eſſentialia, vel ad ea quæ ipſis ſunt propria ſeu perſonalia, vel ad inuicem; idque duplici modo, nempè vel ſecundùm æqualitatem, vel ſecundùm miſſionem: hinc circa conſiderationem reſpectiuam diuinarum perſonarum quatuor naſcuntur diſputationes, nempè Nona de perſonis ad eſſentialia cōparatis; Decima de perſonis ad perſonalia comparatis; Vndecima, de perſonis ad inuicem, ſecundùm æqualitatem comparatis, ſeu de æqualitate diuinarum perſonarum; Duodecima, de perſonis ad inuicem ſecūdùm miſſionem comparatis, ſeu de miſſione diuinarum perſonarum, vt vides in ſubiecta tabula.

TABVLA SPECIALEM huius ſecundi Tractatus in 12. diſputationes partitionem indicans.

Circa altiſſimã Trinitatem cõſiderandum eſt de

- Origine ſeu Proceſſione diuinarum perſonarum, de qua eſt 1. Diſputatio
- Relationibus originis: de qua eſt 2. Diſputatio.
- perſonis
  - Secũdũ cõſiderationẽ abſolutã
    - Cõmunem, circa quã ſunt 3. diſput.
      - 3. de ratione Perſonæ in diuinis.
      - 4. de pluralitate perſonarum.
      - 5. de notitia perſonarum.
    - Specialẽ circa quam ſunt 3. diſput.
      - 6. de perſona Patris.
      - 7. de perſona Filij.
      - 8. de perſona Spiritus ſancti.
  - Secundum conſiderationem reſpectiuam circa quam ſunt quatuor diſp.
    - 9. de perſonis ad eſſentialia comparatis.
    - 10. de perſonis ad perſonalia comparatis.
    - 11. de perſonis ad inuicem ſecundum æqualitatem comparatis, ſeu de Æqualitate perſonarum.
    - 12. de perſonis ad inuicem ſecundum miſſionem comparatis, ſeu de miſſione perſonarum.

Digitized by Google

PRIMA DISPVTATIO PRIMI TRACTATVS

DE ORIGINE SEV PROCESSIONE DIVINARVM PERSONARVM.

SVPPONIMVS hîc quod nemini hactenùs qui ſacras litteras receperit dubium vnquam extitit, nempè quemdam eſſe Dei Patris Filium, itemque Spiritum Sanctum. Vtrum verò non tantum Pater, ſed etiam Filius, & Spiritus Sanctus ſint Deus, & quidem vnus; prçterea vtrùm ſint tres perſonæ ſubſiſtentes realiter diſtinctæ, & tamen conſubſtantiales, & coæquales, poſtea inquiretur; neque enim neceſſariò hæc præaccipienda ſunt, vt aliqua ſaltem ratione intelligatur ratio originis, & proceſſionis in diuinis, cumque tamen nonniſi ex ratione originis, & proceſſionis præcognita, poſſint iſta vllo modo explicari.

Quod igitur ſpectat ad originem ſeu proceſſionem diuinarum perſonarum, quatuor occurrunt imprimis explicanda. Primum, quænam origo, ſeu proceſſio in diuinis admittenda ſit; ſecundum, an aliqua proceſſio in Deo dici poſſit generatio; Tertium, an aliqua proceſſio præter generationem in Deo admittenda ſit; Quartum, num plures proceſſiones præter duas in diuinis admittendæ ſint. *Quatuor circa perſonarum diuin. originẽ explicanda*

Quænam proceſſio in diuinis admittenda ſit.
QVÆSTIO I.

CONSTAT ex ſacris litteris aliquam proceſſionem in diuinis admittendam eſſe, cùm ſatis apertè teſtentur tum filium, cùm Spiritum ſanctum à Patre ſaltem procedere. De filio cōſtat Ioan.7° & 8°. c. & quidem. 8.c. *Ego* inquit Chriſtus *ex Deo proceſſi & veni, neque enim à meipſo veni, ſed ille me miſit.* De Spiritu ſancto conſtat ex eiuſdem Ioan.14.& 15.c.& quidem.15.c.expreſſe habetur. *Cùm autem venerit paracletus quem ego mittam vobis à Patre Spiritum veritatis, qui à patre procedit ille teſtimonium perhibebit de me.*

Difficultatis nodus. Verùm tota difficultas eſt, quænam ſit illa proceſſio quæ neceſſariò admittenda eſt in diuinis. *Notandum primò.* Notandum igitur eſt imprimis iſtud vocabulum (procedere) generaliſſimè ſumptum dici dupliciter: nempè vel procedere in aliud, vel, procedere ab alio. Priori modo dicitur cauſa procedere in effectum, & generatim quoduis principium in id quod ab ipſo eſt: poſteriori modo dicitur effectus omnis procedere à cauſa, & omne id quod eſt ab alio tanquam à principio. *Notandum ſecundò.* Notandum eſt ſecundò, proceſſionem hoc poſteriori modo ſumptam eſſe duplicem: vnam ſecundùm actionem tranſeuntem, quomodo effectus naturales & phyſici, vt plurimùm procedunt à ſuis cauſis efficientibus; alteram quæ fit ſecundùm actionem immanentem, vt verbum mentis ab intellectu. *Notandum tertiò.* Notandum tertiò proceſſionem in diuinis hoc poſteriori modo ſumi ab

Orthodoxis Patribus, quatenus nempè ſignificat ſimplicem rationem originis vnius ab alio abſque vlla actione phyſica ſaltem tranſeunte. Notandum 4. duos fuiſſe extremos, & quidem valde inter ſe oppoſitos errores circa proceſſionem in diuinis, inter quos orthodoxa fides mediâ incedit viâ, vt ſolet. Prior fuit Sabellij, qui proceſſionem illam in diuinis priori modo accipiebat, pro habitudine cauſæ ad effectum; aiebat enim in Deo vnicum ſuppoſitum eſſe, ſeu vnicam æterni Dei perſonam, quę quatenus in tempore naturam aſſumpſit humanam, diceretur filius: & quatenus in tempore creaturas rationales ſanctificat, diceretur Spiritus ſanctus; ſicque Deum Patrem appellari filium, quatenùs proceſſit ad aſſumendam naturam humanam; dici verò Spiritum ſanctum quatenus proceſſit ad ſanctificandam creaturam rationalem. Poſterior error fuit Arii, qui proceſſionem poſteriori modo accipiebat, & quidem non tantùm pro ſola habitudine alicuius rei ad ſuum principium, ſed etiam pro habitudine effectus ad ſuā cauſam propriè dictam, quomodo dicitur effectus procedere à ſua cauſa per actionem tranſeuntem: aiebat enim filium proceſſiſſe à Patre tanquam primam eius creaturam, & Spiritum ſanctum à Patre & Filio tamquam creaturam vtriuſque. Sicque Arius nimiam in diuinis diſtinctionem admittebat, nempè Creatoris & creaturæ, Sabellius nullam, Catholici verò mediam viam tenent: cùm enim in diuinis tres perſonas re diſtinctas agnoſcant, vnicum tamen in illis Deum profitentur.

Notandū quarto.

Ortus eſt ille error circa annū Domini 225.

Ortus eſt ille error circa ann. Dom. 314.

Digitized by Google

Prima aſſertio. His ita poſitis ſit hæc noſtra aſſertio. Proceſſio in diuinis eſt emanatio ſeu origo vnius ab alio tamquam à principio in quo manet; ſicque attendenda eſt non vt ab Arrio aut Sabellio ſecundùm actionem tranſeuntem ad extra, ſed ſecundum actionem manentem in ipſo agente, eamque intelligibilem.

Probatur ratione. Probatur hæc noſtra aſſertio in hunc modum à Diuo Th. hîc q. 27. art. 1. cùm Deus ſit ſupra omnia, ea quæ in Deo dicuntur eſſe non ſunt intelligenda ſecũdum modum infimarum creaturarum, quæ ſunt corpora, ſed ſecundùm ſimilitudinem ſupremarum creaturarum, quę ſunt intellectuales ſubſtantię, à quibus etiam ſimilitudo accepta non mediocriter deficit à repræſentatione diuinorum: non ergo accipienda eſt proceſſio in diuinis eo modo quo eſſe ſolet in rebus corporeis, nempè ſecundùm actionem aliquam cauſæ tranſeuntem in exteriorem affectum, quomodo calor procedit à calefaciente in calefactum; ſed eo modo quo eſſe ſolet in rebus ſpiritualibus, nempè ſecundùm emanationem intelligibilem, vtpotè verbi intelligibilis à dicente per intellectionem quod manet in ipſo: & ſic fides Catholica proceſſionem admittit in diuinis.

Obiectio. Verùm aduerſus Catholicam hanc aſſertionẽ obiicies; Omne id quod procedit eſſe diuerſum ab eo à quo procedit; vt patet etiam in proceſſione verbi intelligibilis à dicente creato, verbũ enim illud eſt aliquid diuerſum, tum ab homine cum ab ipſius intellectu; atqui in Deo nulla poteſt eſſe diuerſitas, cùm ſumma ſit in ipſo ſimplicitas.

Digitized by Google

ſimplicitas. Reſpondetur non eſſe neceſſe vt id quod ab alio procedit proceſſu ad intra intelligibili, ſit ab ipſo diuerſum, immò quanto aliquid perfectius procedit eo genere proceſſionis, magis eſt vnum cum eo à quo procedit, manifeſtum eſt enim quod quantò aliquid magis intelligitur, tantò conceptus intellectualis eſt intimior intelligenti, & aliquid magis vnum cum ipſo: quo fit, vt cùm intelligere diuinum ſit ſummè perfectum, neceſſe ſit quod Verbum diuinum ſit perfectè vnum cum eo à quo procedit abſque omni diuerſitate, licèt non abſque diſtinctione; nam id quod procedit in diuinis non dicitur diuerſum ab eo à quo procedit, ſed diſtinctum; vt clariùs patebit ex ſequentibus. *Solutio.* *Distinctio non diuerſitas in diuinis reperitur.*

An aliqua proceſſio in diuinis dici poſſit generatio.

QVÆSTIO II.

AD pleniorem propoſitæ quæſtionis intelligentiam, notandum eſt primò generationem dupliciter accipi: primò, generaliſſimè pro quauis mutatione ſubſtantiali rei cuiuſuis à non eſſe ad eſſe, quomodo opponitur corruptioni, de qua diſſeruimus in prima parte noſtræ phyſ. vbi de principiis generationis, & in ſecunda vbi de generatione, & corruptione rerum phyſicarum: 2° ſpecialiter & magis propriè pro eo ſolo rerum viuentium ortu, qui dicitur origo ſeu proceſſio viuentis à principio viuente cõiuncto ſecundũ rationẽ ſimilitudinis in natura eiuſdem ſpeciei. Neq. *Notandum primo.* *Generationis acceptio dupliciter.*

enim maximè propriè genitum dicitur quidquid quouis modo à principio viuente generatur, vt patet in capillis & vermibus qui ex humano corpore generantur. Notandum eſt

Notandum ſecundò.

2° generationem, quæ dicitur propriè natiuitas,& ſecundùm quam id quod gignitur dicitur filius, ſolis rationalibus naturis cōpetere. Notādū eſt tertiò generationē viuentiū maximè propriè dictā,

Notandum tertiò.

vel eſſe cum aliqua mutatione, & quadam eſſendi nouitate, vt in rebus creatis contingit,vtpotè quarum omnium vita exit de potentia in actum; vel eſſe abſque vlla mutatione & nouitate eſſendi,quod contingit in diuinis,vbi eius qui gignitur vita non exit de potentia in actum. His poſitis ſit hæc noſtra quę eſt D.Thom.hîc aſſertio.Proceſſio

Aſſertio tenenda.

verbi in diuinis habet rationem generationis ſecundo modo ſumptæ, & id quidem abſque vlla mutatione; quod ſignificatur his verbis Pſa.2 *Ego hodie genui te*,hoc eſt,à die ęternitatis. Verbum enim diuinum procedit per modum

Ratione comprobatur.

intelligibilis actionis quę eſt operatio vitæ, & à principio coniuncto, cùm conſtet ex pręcedenti quæſtione,proceſſionem in diuinis eſſe immanentem, & præterea ſecundùm rationē ſimilitudinis,quia conceptio intellectus eſt, ſimilitudo non tantùm rei intellectæ, verū etiā ipſius intelligentis in actu;& quoniā intelligere in diuinis ipſa eſt intelligentis ſubſtātia, idcircò nō tātū in natura eiuſdē ſpeciei Verbum ſimile producitur, ſed etiam in natura eadem numero; at in nobis quia intelligere non eſt ipſum eſſe intelligentis,idcircò verbum quod

Digitized by Google

ſecundùm intelligibilem operationem procedit in nobis non eſt eiuſdem naturæ, neque in numero, neque in ſpecie cum eo à quo procedit, ideoque non generatio, ſed conceptio verbi in animo noſtro dicitur quatenus in verbo noſtri intellectus aliqua rei intellectæ ſimilitudo inuenitur. Porro quia in diuinis res intellecta eſt ipſa intelligentis eſſentia ſeu natura, hinc fit vt Verbum quod procedit in diuinis procedat ſimile producenti ſeu intelligenti, vt colligere eſt ex D.Th. hîc art. 2. Adde etiam quod quia in creatis verbum dici poteſt procedere vt ſimile intelligenti, quatenùs eſt intelligens ſeu actu præditum forma intellectuali, ſeu ſpecie ſaltem impreſſa rei intellectę, idcircò etiam in diuinis Verbum optimè dici poteſt procedere, vt ſimile Patri quatenus Pater eſt intelligens.

Non generatio, ſed conceptio duntaxat verbi in creatis dicitur.

An aliqua proceſsio præter generationem in diuinis admittenda ſit.

QVÆSTIO III.

VT faciliùs propoſita quæſtio intelligatur duo imprimis notanda sũt. Primũ eſt, per operationẽ noſtræ volũtatis terminũ aliquem internũ produci, nõ ſecus ac per operationem noſtri intellectus verbũ mẽtis producitur; & eo modo terminum illũ diſtingui à volũtate, quo iſte ab intellectu diſtĩguitur: quãuis diſcrimẽ ſit, quod verbum ſit expreſſa imago rei cõceptæ, at vero terminus ille per actũ volũtatis productus ſit actualis propẽſio & ĩclinatio ad rẽ volitã. Eſt autẽ eadẽ neceſſitas admittendi illã qualitatẽ in voluntate, quæ eſt admittendi

Notandũ primò.

verbum in intellectu, quia nempè repugnat actionem eſſe ſine termino. Alterum notandum eſt, non tantùm amantem eſſe in re amata, quia ab ipſa veluti trahitur, iuxta illud

——*Trahit ſua quemque voluptas.*

verum etiam rem amatam eſſe in amante ratione inclinationis & propenſionis: quò fit vt meritò res amata dicatur eſſe in affectu & cogitatione amantis.

Notandum ſecundò.

Prima propoſitio.

Probatur tum autkoritate cum ratione.

His poſitis ſit prima propoſitio. Præter proceſſionem verbi alia admittenda eſt proceſſio in diuinis, quæ eſt proceſſio amoris. Neque .n. tantum filius, ſed etiam Spiritus ſanctus dicitur in ſacris litteris à patre procedere, idque nõ eodem modo, vt facilè eſt ex iiſdem ſacris litteris colligere. Ratione confirmatur, quia proceſſio in diuinis, ſicut in nobis, attenditur ſecundùm actionem immanentem; quæ cùm duplex ſit in Deo altera intellectus, altera voluntatis, neceſſe eſt vt ſit quoque duplex proceſſio in Deo; altera, quæ eſt verbi ſecundum operationẽ intellectus, & altera quæ eſt amoris ſecundũ operationem voluntatis, ſecundũ quam amatũ eſt in amante, ſicut per conceptionẽ res dicta vel intellecta eſt in intelligẽte

Secunda propoſitio probatur primò.

Secundò.

Secunda propoſitio. Proceſſio amoris diſtinguitur à proceſſione verbi in diuinis; tũ quia terminus huius proceſſionis, qui eſt *Spiritus ſanctus*, eſt diuerſus à termino alterius proceſſionis qui eſt *Filius*, tum quia fiunt ſecundùm diuerſam operationem, nempè intellectus & voluntatis; tùm quia proceſſio amoris præſupponit ſecundum ordinem originis proceſ-

ſionem verbi: licèt enim in Deo ſit idē intellectus & voluntas, eſt tamen de ratione intellectus & volūtatis quod proceſſiones quæ sūt ſecundū actionē vtriuſque ſe habeāt ad inuicē ſecundū quēdā ordinē; nō enim eſt proceſſio amoris niſi in ordine ad proceſſionē verbi, cū nihil poſſit à voluntate amari niſi ſit ab intellectu cognitum. Sicut igitur attenditur quidā ordo verbi ad principiū à quo procedit (licèt in diuinis ſit eadē ſubſtātia intellectus & conceptio intellectus) ita licet in Deo ſit idē volūtas & intellectus, tamē quia de ratione amoris eſt vt nō procedat niſi à conceptione intellectus, idcircò proceſſio amoris in diuinis habet ordinis diſtinctionem à proceſſione Verbi.

Tertia propoſitio. Proceſſio amoris in diuinis non debet dici generatio. Probatur primò authoritate ſacræ Scripturæ, quæ generationem ſoli filio, nuſquam verò Spiritui ſancto tribuit: in quo etiā omnes ſancti Patres Eccleſiæ conueniunt qui docent filiū à patre procedere vt genitum, non itē Spiritum ſanctū; vnde illud Athanaſij in Symbolo: *Spiritus ſanctus à Patre & Filio non factus, nec creatus, nec genitus, ſed procedens.* *Tertia propoſitio.* *Probatur authoritate*

Ratione cōfirmatur: quia generatio propriè dicta eſt proceſſio viuentis à viuente in ſimilitudinē naturæ, ſeu ſecūdū rationē ſimilitudinis in natura; atqui proceſſio amoris in diuinis nō eſt ſecūdùm rationē ſimilitudinis, ſicuti eſt proceſſio verbi: neq. enim proceſſio quæ attēditur ſecūdū rationē volūtatis dici poteſt eſſe ſecūdū rationē ſimilitudinis, ſed potius ſecūdū rationē impellētis & mouētis in aliquid; quia *Ratione confirma-*

nēpè intellectus fit in actu per hoc quod res intellecta ſit in intellectu ſecūdū ſuā ſimilitudinē:at volūtas fit in actu nō per hoc quod aliqua ſimilitudo rei volitæ ſit in volūtate,ſed ex hoc quod voluntas habet quādā actualē inclinationē in rē volitā,vt hîc rectè docet S. Tho. & ideo quod procedit in diuinis per modum amoris,nō procedit vt genitū vel vt filius, ſed magis procedit vt Spir.S. quo nomine vt plurimū,ſignificatur vitalis quædā motio & impulſio. Quia igitur aliquis ex amore dicitur moueri & impelli ad aliquid faciendum, hinc factum eſt vt amori diuino perſonali hoc nomen inditum fuerit. Porrò cur proceſſio verbi ſpeciale nomē (generationis) ſortita ſit, proceſſioni autē amoris nullū fuerit ſpeciale nomē impoſitū,ratio eſt,quia cū res diuinas non poſſimus nominare niſi ex creaturis, vt aliàs dictū eſt,& in creaturis cōmunicatio naturæ, (quæ in diuinis fit per vtrāq. proceſſionē) non ſit niſi per generationē,idcircò proceſſio in diuinis nō habet propriū & ſpeciale nomē niſi generationis: vnde proceſſio in diuinis quæ nō eſt generatio,remāſit ſine ſpeciali nomine, poteſt tamē appellari, & de facto cōmuniter appellatur à Theologis *Spiratio*,quia eſt proceſſio ſpiritus. Verū cōtra hāc noſtrā aſſertionem

Obiectio. iſtud maximè obiici poteſt, quod nō mediocrē Theologis difficultatē parit. Quod procedit in ſimilitudinē naturæ in viuētibus, dicitur generatū & naſcēs; ſed id ꝙ procedit in diuinis per modū amoris, procedit in ſimilitudinē naturę, aliàs eſſet extraneū à natura diuina, quod eſſet impiū aſſerere: ergo quod procedit in diuinis

per modũ amoris,procedit vt genitum & naſ-cẽs. Reſpõdetur, licet quidquid eſt in diuinis ſit vnũ cũ natura diuina,ſicq. procedat vt ſimile vel potius vt idẽ in natura,nõ tamẽ ſequitur quod procedat vt ſimile ex vi & propria ratione ſuæ proceſſionis,ſecũdũ quã propriã rationẽ diſtinguitur illa proceſſio ab alia; quod tamẽ requiritur vt illud quod procedit alteri ſimile,dicatur genitũ vel naſcẽs,verbi gratia,licet Spir.ſanctus ſit vnũ cũ Patre & Filio à quibus procedit tanquã ab vno ſpiratore in eadẽ natura, ſicq. procedat ſimile, immò idẽ in natura cũ Patre & Filio:non tamẽ procedit ſimile ex vi & propria ratione ſuæ proceſſionis, quia propria ratio proceſſionis Spir. S. attẽditur ſecũdũ operationẽ volũtatis in qua locum nõ habet ratio ſimilitudinis,vt cõſtat ex ſupradictis:quo fit vt licèt Spir.S.procedẽs per modũ amoris diuinã naturã accipiat à principio à quo procedit eãdẽ cũ natura principii,non tamen dicatur ab ipſo natus aut genitus, ſed procedens,vel productus,vel ſpiratus.

Solutio.

S.S. ex vi ſua proceſſionis non procedit vt ſimile.

Inſtabis forsã Spir. S. & ex vi ſeu propria ratione ſuæ proceſſionis, quatenus eſt talis proceſſio, nẽpè increata ſeu diuina procedere vt eũdẽ,ac proinde vt quid ſimile in natura. Reſpõdeo eã nõ eſſe propriã rationẽ proceſſionis Spir.S. quòd ſit increata ſeu diuina,cũ ea ratio ſit cõmunis proceſſioni filij,ſed eã dici propriã ſecũdũ quã illa proceſſio diſtinguitur ab alia, nẽpè quòd ſit ſecundùm operationẽ voluntatis, ac proinde nõ ſecũdùm rationem ſimilitudinis in natura, ſed potiùs ſecundùm rationem inclinationis , & vitalis impulſionis,

Inſtantia.

Reſponſio.

vt ſupradictũ eſt. Si vrgeas; neque etiã Verbũ diuinũ procedere vt ſimile Patri producẽti ex vi ſeu propria ratione ſuæ proceſſionis, proindeq. nõ magis dici poſſe generari quã Spiritũ ſanctũ; propria enim ratio proceſſionis verbi attẽditur ſecũdùm actum intellectus; atqui id quod procedit per actũ intellectus dici debet potius ſimile rei intellectæ quã intelligẽti, ſeu dicẽti. Reſpõdeo 1° ſaltẽ in eo differre Verbũ à Spir. S. quod ex vi ſuæ proceſſionis procedit vt ſimile alicui, ſicq. magis accedere ad rationẽ rei genitæ quã Spir. S. 2° reſpõdeo cũ dicimus Verbũ diuinũ ex vi ſuæ proceſſionis procedere vt ſimile producenti, nos præſupponere id quod verè eſt, nẽpè in diuinis principiũ intelligẽs ſeu producẽs eſſe rẽ ipsã intellectam ſeu cognitã, cuius ſimilitudo expreſſa, eſt Verbũ. Tertio deniq. reſpõdeo (quod valdè notãdũ eſt ex eo quod adnotauimus ad finẽ præcedẽtis quæſtionis) etiã in creatis ſeu in nobis, Verbũ procedere vt ſimile nõ tãtũ rei intellectæ, ſed etiã vt ſimile intelligẽti quatenus intelligẽs eſt, ac ipſâ rei intellectę ſimilitudine informatũ. Itaq. ex prædictis colligere eſt, quòd ſicut Pater æternus intelligẽdo dicit, generat, ac producit verbũ ſibi coæternũ, filiũ ſuũ, ſapientiã genitã; ita Pater & Filius producũt, & ſpirãt per volũtatẽ Spiritũ ſanctũ, amorẽ, ſpiratum, ſeu productum, ſibi etiam coæternum.

Notandum

Quæ vt clariùs intelligas nota diligẽter, quod iuxta doctrinã D. Th. hîc q. 34. art. 1. ad 3. ſicut productio actiua verbi diuini non eſt ipsũ intelligere eſsẽtiale cõmune tribus perſonis, ſed

Productio actiua Verbi.

Digitized by Google

eſt ipsũ dicere, quod quidẽ dicere patris per intellectũ, licèt præſupponat ipſũ intelligere Patris eſſentiale in eoque fundetur ac ipsũ includat, non eſt tamẽ ipsũ intelligere, ſed eſt relatio dicentis ac producentis per intellectum exiſtens in Patre ad rem per intellectum dictã & productam, ſignificata per modum actionis; Ita productio actiua Spiritus ſancti nõ eſt ipſum diligere eſſentiale commune tribus perſonis, ſed eſt ſpirare ipsũ; quod quidẽ ſpirare Patris & filii per voluntatẽ, licèt præſupponat ipſum diligere eſſentiale; non eſt tamen ipſum diligere, ſed eſt relatio ſpirantis ac producentis per voluntatem in Patre & filio exiſtens, ad rem per voluntatem ſpiratam ac productam, ſignificata per modum actionis. Et ſicut productio paſſiua filii ſeu verbi per quã filius in eſſe filii ac verbi noſtro intelligendi modo conſtituitur, nihil aliud eſt quam relatio dicti ſeu producti per intellectum quę eſt in filio ad Patrem producẽtem ſignificata per modum paſſionis, eaque prædictæ relationi Patris ad filium oppoſita, adeo vt productio actiua & paſſiua Patris & filii nihil aliud ſint quam relatio & habitudo eius à quo alius per intellectum & eius qui ab alio per intellectũ; ita productio paſſiua ſeu proceſſio Spiritus ſancti, per quam Spiritus ſanctus in eſſe Spiritus & amoris producti conſtituitur, nil aliud eſt quàm relatio ſpirati ſeu producti per voluntatem quæ eſt in ſpiritu ſancto ad patrem & filium tamquam ad vnum ſpiratorẽ ſignificata per modum paſſionis; adeo vt produ-

Productio actiua Sp. ſancti.

Productio paſſiua filii

Productio paſſiua Sp. ſancti.

Digitized by Google

ctio actiua & paſſiua ſpiratoris & ſpirati nil aliud ſit quàm relatio & habitudo eius à quo alius per voluntatem & eius qui ab alio per voluntatem. Ex quibus intelligis productionem in diuinis non propriè dici poſſe actionem, aut paſſionem; licet dici poſſit ſecũdùm actionem & paſſionem, vt loquitur S. Th. hìc quæſt. 27. art. 1. & 5. paſſim.

An ſint plures proceſſiones in diuinis quàm duæ.

QVÆSTIO IV.

Aſſertio tenenda probatur primo. CONSTANS fuit orthodoxorum Patrum fides nonniſi duas proceſſiones in diuinis admittendas eſſe, tum quia ex ſacris litteris nõ ſunt niſi duo procedẽtes in diuinis, filius nẽpe & Sp. S. tũ quia proceſſiones in diuinis non niſi ſecũdũ actiones Dei ĩmanẽtes accipiẽdæ *Secundo.* sũt ex prędictis, quę nõ niſi duę sũt, ſcilicèt intelligere & velle. Quare nulla alia proceſſio poteſt eſſe in Deo niſi duæ prædictę, verbi nẽpè per intellectum, & amoris per voluntatem

Obiectio. Verùm obiicies, præter intellectum & voluntatem in Deo admitti potentiã, proindeq; aliã proceſſionem poſſe admitti ſecundùm diuinę potentiæ operationem. Reſpondeo, non poſſe admitti proceſſionẽ in diuinis ſecũdùm *Solutio.* operationẽ diuinæ potentiæ: nã vel illa operatio conſideratur vt eſt in ipſo Deo, ſeu quatenus eſt ipſum agere Dei, & ſic nõ diſtinguitùr ab operatione intellectus & volũtatis, vt aliàs docuimus, proindeque non poteſt cõſtituere

proceſſionem à duabus prædictis diſtinctam: vel cōſideratur quatenùs eſt actus trāſiēs extra Deū: & ſic quidē diſtinguitur ab actu intellectus & voluntatis; verum cùm ſic ſpectata non ſit actio immanens, non poteſt ſecundū illam admitti proceſſio in diuinis.

Error Durandi confutatur. Ex his refutatur opinio Durandi in fide erronea aſſerentis diuinas proceſſiones non fieri propriè per intellectum & voluntatē, ſed hoc dici tantùm ſecundùm quādā ſimilitudinem, ſimpliciter autē & abſolutè fieri ex fœcunditate infinita naturæ diuinæ. Si enim res ita haberet, non eſſet ratio quare filius appellaretur verbum; quare potiùs procederet vt ſapientia, figura, & imago quàm Spiritus ſanctus; quare filius à ſolo Patre, Spiritus ſanctus à Patre & filio: quare proceſſio Spiritus ſancti ſupponat proceſſionem filii tamquam priorē prioritate quadam originis; quare à patre duæ tantū perſonæ procedāt, & non plures: quare perſonæ procedentes dicantur procedere vitaliter cùm nullæ ſint vitales functiones in diuinis præter intelligere & velle.

Corollariū. Licèt autem intelligere & velle eſſentialiter non ſint in Patre & filio ipſę productiones actiuæ, vt ſub finem præcedentis quęſtionis docuimus, non tamen inde ſequitur Patrem non producere filium per intellectum, aut Patrem & filium non producere Spiritum ſanctū per voluntatē: nō enim aliter dicitur Pater producere filium per intellectum quā quia intelligēdo dicit verbum, neq; aliter dicūtur Pater & filius producere Spir. ſanctū

per voluntatem, quam quia volendo ſeu diligendo ſpirant amorem ſeu producunt ſpiritum ſanctum.

SECVNDA DISPVTATIO.

DE RELATIONIBVS DIVINIS.

EXPLICATIS proceſſionibus diuinis, quę ſunt veluti fundamenta diuinarum relationum, doctrinæ ordo poſtulat vt de ipſis relationibus diuinis hoc loco diſſeramus. Vt autem ea quæ de ipſis dicturi ſumus facilius intelligantur, operę pretium erit hîc ea repetere quæ de relatis & de relationibus aliàs docuimus 1. par. noſtræ Dialecticæ tract. 2. diſ. 2. ſect. 4.

An in Deo ſint relationes reales.
QVÆSTIO I.

Notandũ Prænotandum eſt non omnem relationem cuius tota ratio eſt ad aliud, eſſe realem, ſed eam dumtaxat quæ eſt eius quod per ſe & ex rei natura ordinatur ad aliud, vt docet hîc ſanctus Th. quæſt. 28. art. 1. nam ea quæ eſt eius quod per ſe, & ex natura rei non ordinatur ad aliud, ſed tantum ſecundùm apprehenſionem rationis conferētis iſtud cùm alio, dicitur eſſe rationis. Ex quo intelligis tunc duo mutuâ relatione reali ad inuicem referri cùm ad ſe inuicem per ſe referuntur, vt contingit in iis quorum vnũ procedit ab alio, ſi modo in eo-

Digitized by Google

dem rerum ordine conueniant; quæ conditio valde notanda eſt, nam eius defectu fit vt non ſit vtrimque mutua realis relatio: quod patet in relatione creaturæ ad creatorem, & creatoris ad creaturam: licèt enim prior illa ſit realis quia creatura omnis ſub ordine diuino continetur, & ex natura ſua dependet à ſuo creatore, non tamen iſta poſterior, quia Deus per ſe & ex natura ſua non ordinatur ad creaturas cùm ipſe ſit extra ordinẽ totius creaturæ: quo fit etiam vt creaturas produxerit non ex neceſſitate naturæ, ſed ex libera voluntate, vt aliàs dictum eſt.

His poſitis aſſerimus diuinas relationes eſſe reales. Probatur primùm authoritate ſanctorum Eccleſiæ Patrum qui communi conſenſu fatentur Patrem eſſe realiter Patrem, itemque filium eſſe realiter filium, & Spiritum ſanctum eſſe realiter ab vtroque procedentem. Cùm igitur Pater ſic denominetur à paternitate, filius à filiatione, & Spiritus ſanctus procedens à proceſſione quæ ſunt relationes, neceſſe eſt vt ſint reales: non enim ſolet aliquid propriè loquendo denominari realiter tale niſi ab aliquo reali ſaltem quod non dependeat ab operatione intellectus. Secundò confirmatur ratione; Relationes illæ ſunt reales quæ ſunt eorum quæ per ſe & ex natura ſua ad inuicem referuntur; ſed relationes diuinæ ſunt eorum quæ per ſe & ex natura ſua ad inuicem referuntur, cum vnum realiter procedat ab alio, ac ſimul in eodem na-

Aſſertio tenenda. Probatur authoritate.

Ratione cõfirmatur.

turæ ordine, imo identitate conueniant; vt pote quorum reales proceſſiones ſint in ipſius naturæ identitate, vt patet ex præcedenti diſputatione. Verbi gratia, ſic filius realiter procedit à Patre vt tamen ſit eiuſdem naturæ cum ipſo, quo fit vt mutua relatio tum Patris ad filium quæ eſt paternitas, cùm filii ad Patrem quæ dicitur filiatio, ſit realis: ſimiliter ſic verè procedit Spiritus ſanctus à Patre & filio tamquam ab vno ſpiratore, vt tamen eiuſdem ſit naturæ cum ſuo principio, quo fit vt mutua relatio tum ſpiratoris ad ſpiritum ſanctum quę dicitur ſpiratio, cùm ſpiritus ſancti ad ſpiratorem quæ dicitur ſimpliciter proceſſio, ſit quoque realis.

Obiectio prima. Verùm obiicies primò; earum relationũ quę ſunt in diuinis idem planè eſſe fundamẽtum, ſicque realiter inter ſe non diſtingui, nec proinde eſſe reales quatenus à ſe inuicem diſtinguũtur. *Solutio.* Reſpondetur vnitatem & diſtinctionem relationum non tam peti à fundamẽtis quã à terminis, vt aliàs docuimus loco citato noſtræ Dialect, adde diuinarũ iſtarum relationum non tantùm diſtinctos eſſe terminos, ſed etiã diſtincta eſſe ſubiecta, & diſtinctas eſſe rationes fundandi, quæ dicuntur proxima relationum fundamenta; exempli gratia, licèt Paternitatis & filiationis diuinæ ſit idem fundamentum, nempe diuina eſſentia, paternitatis tamen terminus eſt perſona filii, ſubiectum eſt perſona Patris, ratio fundandi eſt generatio, ſeu actiua productio qua Pater generat ſeu producit filium

per intellectum; filiationis verò terminus eſt perſona Patris,ſubiectum perſona filii, ratio fundandi generatio paſſiua ſeu paſſiua productio ſecundùm quam filius generatur ſeu producitur à Patre per intellectum; idemque ſentiendum eſt de mutuis relationibus Spiratoris ad Spiritum ſanctum, & Spiritus ſancti ad Spiratorem ; illius enim terminus eſt Spiritus ſanctus,ſubiectum eſt Pater & Filius prout habent rationem vnius Spiratoris,ratio fundandi eſt ſpiratio ſeu actiua productio ſecundùm quam Pater & filius producunt Spiritũ ſanctum per voluntatem;huius verò terminus eſt ſpirator,ſeu Pater & filius,prout habent rationem vnius ſpiratoris;ſubiectum eſt perſona Spiritus ſancti;ratio fundandi eſt proceſſio ſeu ſpiratio paſſiua ſecundùm quam Spiritus ſanctus producitur à Patre& filio per voluntatem.

Secundò obiicies relationes generantis ad genitum,&è contra in diuinis ſunt ſecundùm intelligibilis verbi proceſſionem: atqui relationes quę conſequuntur operationem intellectus ſunt relationes rationis, vt cõſtat;Ergo relationes in diuinis non ſunt reales. *Obiectio.* Reſpondetur relationem quidem quæ ex operatione intellectus reſultare cõcipitur in re cognita,eſſe tantũ rationis, non verò eã quæ ex eadem operatione in verbo mentali conſequitur, ſecundùm quam verbum mentaliter prolatum refertur realiter ad intellectum dicentem: & ratio eſt , quia verbum realiter ab intellectu procedit , & res intellecta *Solutio.*

non item, quæ operationem intellectus extrinſecus duntaxat terminat: ſicut enim res corporalis realiter refertur ad id quod ab ipſa corporaliter procedit, & è contra; ſic res intellectualis refertur ad id quod ab ipſa ſpiritualiter procedit, & è contra.

An relationes diuinæ ſint idem quod eſſentia diuina.

QVÆSTIO II.

Notandũ diſcrimen inter relationem & cætera accidentia.

VT quid de quæſtione propoſita tenendũ ſit planius conſtet, prænotandum illud eſt diſcrimen eſſe inter relationem & reliqua accidẽtiũ genera (licèt cum ipſis conueniat in communi ratione accidentis, quod eſt ineſſe ſubiecto) quod propria ratio cuiuſq; generis illorũ, nẽpè quãtitatis, qualitatis, & cæterorũ attẽditur ſecundùm cõparationẽ ad ſubiectũ; vnde quantitas dicitur meſura ſubſtãtię; qualitas, diſpoſitio ſubſtantię &c. At vero propria ratio relationis non accipitur ſecũdũ cõparationem ad illud in quo eſt, ſed ſecundùm cõparationẽ ad aliquid extra, quod dicitur ipſius terminus. licèt igitur in rebus creatis relatio, ſi non ſecundũ propriam rationem, ſaltem ſecundùm cõmunẽ rationẽ accidentis, habeat eſſe accidentale in ſubiecto, non ſequitur tamen quod relationes in diuinis habeant eſſe accidentale.

Quod igitur relatio in diuinis habeat eſſe ſubſtãtiale, & idẽ re cũ eſſentia diuina, probatur in hunc modũ à D. Th. hîc q. 28. art. 2. Quidquid in rebus creatis habet eſſe accidentale

quatenus

quatenus transfertur in Deum, habet eſſe ſubſtantiale; nihil enim eſſe poteſt in Deo vt accidens in ſubiecto, ſed quidquid in ipſo eſt, eſt ipſius eſſẽtia, idque ob ſummã eius ſimplicitatẽ, vt aliàs oſtẽſum eſt. Sic igitur ex ea parte qua relatio in rebus creatis habet eſſe accidentale in ſubiecto, relatio in diuinis habet eſſe eſſentiæ diuinæ, proindeque eſt aliquid ſubſtantiale.

Ex quo intelligis nec eſſentiã diuinã à relationibus, nec relationes ab eſſentia diſtingui ex natura rei, ſeu actu & formaliter propriè loquendo (quidquid Scotus & nonnulli alij doctores ſcholaſtici ſentiant) idque ob ſummam diuinę naturæ ſimplicitatem quod ſatis patet ex iis quę de diuina ſimplicitate diſſeruimus Tr. præcedẽti d. 2. ac præſertim quæſt. 6. & licèt aliquid ſit idem cum eſſentia diuina quod nõ eſt idem cum aliqua relatione diuina, v. g. cum paternitate, vt proceſſio filij, hoc tamen non impedit quominus eſſentia ſit idem ex natura rei cum paternitate: eſt enim paternitas ita idem cum eſſentia diuina, vt tamen nõ ſit idẽ cum ipſa adæquatè (vt loquũtur:) quo fit vt nõ ſit neceſſe paternitatem eſſe idem cũ eo qui cum eſſentia eſt idem. Nec minus abſurdum eſt ea quæ inter ſe formaliter diſtinguuntur (quomodo probabile eſt diuinas relationes oppoſitas inter ſe diſtingui) eſſe idem formaliter cum eſſentia, quàm ea quæ inter ſe realiter diſtinguũtur eſſe idẽ realiter cũ eadẽ eſſentia, de quo tamen nullus Catholicorũ dubitat.

Rationes ab eſſentia diuina non diſtinguũtur realiter nec formaliter.

Notandũ tamen eſt, quod ſicut inter eſſentiã

Ratione diuina diſtinguitur ab eſſentia ratione ratiocinata.

ac diuina attributa quædã eſt diſtinctio rationis ratiocinatæ, quæ etiã virtualis à parte rei dici poteſt; ita etiam inter eſſẽtiam ac diuinas relationes eadem diſtinctio multo potiori iure admittenda eſt: cùm enim eſſentia & relatio ita ſe habeant inter ſe, vt à parte rei eſſentia ſit quid abſolutum, relatio reſpectiuum, eſſentia ſit quid commune, relatio non item, præterea eſſentia reperiatur in aliquo in quo non reperitur aliqua relatio; procul dubio maius fundamẽtũ reperitur diſtinctionis inter eſſẽtiã & relationes, quã inter eandẽ & diuina attributa; ergo ſi inter ipsã ac diuina attributa reperitur diſtinctio virtualis & rationis ratiocinatæ, vti docuimus loco citato ſub finẽ quæſtionis ſextæ, multo potiori iure cernitur eadẽ diſtinctio, eaque maior, inter eandẽ diuinã eſſẽtiã & diuinas relationes; Adde quod licèt relationes diuinæ ſint planè idẽ actu re & ratione formali cũ eſſentia diuina ſicut & attributa, non tamẽ idẽ sũt adæquatè, ſicut attributa diuina ſunt idẽ adæquatè cũ ipſa: quo fit etiã vt licèt attributa diuina ſint de intrinſeca ratione eſſentiæ diuinæ quolibet modo ſpectatæ, & è cõtra, relatio tamẽ præciſè ſpectata quatenus eſt quid reſpectiuũ dicatur probabiliter à quibuſdã nõ eſſe de intrinſeca ratione eſſẽtię præciſè ſpectatę quatenus eſt quid abſolutũ; ſicut nec eſſẽtia diuina præciſè ſpectata, vt eſt quid abſolutũ nõ dicitur eſſe propriè de intrinſeca ratione relationis præciſè ſpectatæ, vt eſt quid reſpectiuũ, alioqui neceſſe eſſet quod vbicũqueſeu in quacũque perſona diuina eſſet diuina eſſentia ſimul ibi reperiretur paternitas, &

Relationes diuinæ ſunt de ratione eſſentia diuina.

ſimul vbicũque eſſe paternitas, reperiretur eſſẽtia tribus perſonis cõmunicabilis, quod tamen falsũ eſt. Nihilominus tamẽ, quoniam eadem eſſentia diuina, quę eſt aliquid abſolutum, eadẽ inquã realiter & formaliter eſt etiã aliquid reſpectiuũ, hinc fit vt ſimpliciter & abſolutè loquendo relationes dici poſſint eſſe de intrinſeca ratione eſſentiæ diuinæ, & è contra.

Hinc fit etiam vt licèt relationes diuinæ prę-ciſe ſpectatæ ab eſſentia nullã dicãt perfectionem, ſicut nec imperfectionem; quia tamen à parte rei cum ipſa identificantur, ſuntque idẽ realiter & formaliter cum ipſa, abſolutè loquendo ſummam importent perfectionem. *Relationes diuinæ sũmã important perfectionem.*

An relationes Diuinæ realiter ab inuicem diſtinguantur.

QVÆSTIO III.

ITA eſſe docet S. Tho. hìc q. 28. ar. 3. nec de eo dubitatur apud Catholicos. Ratio eſt: quia cùm relatio ſit formaliter reſpectus vnius ad alterum, neceſſe eſt quod vbi eſt realis relatio ibi ſit realis oppoſitio relatiua: atqui realis oppoſitio realẽ diſtinctionem importat: quare cũ in Deo ſit realis relatio, neceſſe eſt vt ibidẽ ſit realis oppoſitio, ac proindè realis diſtinctio nõ quidẽ ſecũdũ id quod eſt abſolutũ in Deo, quod eſt eſſẽtia, quia id repugnat sũmæ ipſius vnitati ac sĩplicitati, ſed ſecũdũ id quod eſt reſpectiuũ, quod eſt relatio: ex quibus efficitur relationes in diuinis eſſe realiter diſtinctas; v.g. paternitatẽ & filiationẽ, itẽ ſpirationem & proceſſionẽ inter ſe diſtingui realiter. *Aſſertio Catholica probatur ratione.*

Digitized by Google

Axiomati philoſophico occurritur.

Neque huic fidei noſtræ veritati obeſt iſtud philoſophicũ axioma; Quę sũt eadẽ vni tertio ſunt eadem inter ſe; atqui paternitas & filiatio, v.g. ſunt idem reipſa cum eſſẽtia diuina; ergo paternitas & filiatio ſunt planè idem inter ſe.

Primò.

Ad hoc enim multis modis reſponderi poteſt: imprimis, hoc eſſe verum in rebus creatis, non diuinis, quæ cùm longè ſupra res creatas emineant, non mirũ videri debet ſi ea quæ in creatis vniuerſaliter vera ſunt, in iis falſa reperiantur.

Secundò.

Secundò reſponderi poteſt, ea quæ ſunt eadem vni tertio eſſe etiam eadem inter ſe in eo in quo conueniunt; nemo autem diffitetur relationes diuinas eſſe vnum & idem in eſſentia in qua conueniunt.

Tertiò.

Tertiò reſponderi poteſt cum D. Tho. hîc ad primum, id eſſe verũ in iis quæ ſunt eadem re & ratione cum aliquo tertio, non verò in iis quæ licèt ſint idem re cũ aliquo tertio, ſuis tamen propriis rationibus tum ab ipſo cùm à ſeinuicem differunt; cuiuſmodi ſunt relationes diuinæ, quæ licèt ſint idẽ re cum eſſentia diuina, ratione tamen tum ab ipſa cum à ſe inuicem differunt. Denique optimè reſponderi poteſt, iſtud axioma intelligendum eſſe de iis quæ ſunt eadem vni tertio incommunicabili, quomodo intellectum eſt vniuerſim verum tam in creatis quam in diuinis, & tam in identitate reali, quàm formali; alioqui erit principium pſeudographum non ſecus ac iſtud, *Omnes lineæ ductæ ab eodem puncto ad idem punctum ſunt æquales*, niſi accipiatur de ſolis rectis lineis: quod autem aliter acceptum prędictum illud axioma non concludat, etiam

Digitized by Google

in creatis, patet ex eo, quod licèt Socrates & Plato ſint idem realiter cum homine in communi, non tamen ſequitur quòd ſint idem realiter inter ſe, quia nempè illud in quo conueniunt, & quicum ſunt idem, eſt aliquid communicabile quicum neuter illorum eſt idem adæquatè.

An in Deo ſint quatuor relationes.
QVÆSTIO IIII.

QVatuor relationes eſſe in diuinis nec plures nec pauciores in hunc modum probari poteſt, vti probatur à D. Tho. hîc art. 4. Cùm duæ tantùm ſint proceſſiones in diuinis ex prædictis, quarum vna accipitur ſecundùm actionem intellectus, quæ eſt proceſſio verbi, alia ſecundùm actionem voluntatis quæ eſt proceſſio amoris, neceſſe eſt ſecũdum quamlibet proceſſionem duas admittere relationes oppoſitas, quarum vna ſit procedentis a principio, altera ipſius principii ad id quod procedit; hinc quatuor exiſtunt relationes, duæ quidem ſecundùm actionem intellectus, nempe paternitas quæ eſt Patris ad filium, & filiatio quæ eſt filij ad Patrem: duæ verò ſecundùm actionem voluntatis, nempè ſpiratio, quæ eſt Patris & filij tamquam vnius ſpiratoris ad Spiritum ſanctum, & proceſſio quæ eſt Spiritus ſancti ad Patrem & filium: vbi nota quod licèt vocabula hęc (ſpiratio) & (proceſſio) primò per ſe impoſita ſint ad ſignificandas origines diuinas, ſunt tamen etiam accom-

Aſſertio tenenda probatur ratione.

modata ad ſignificandas relationes diuinas, quarum fundamēta, terminos, & ſubiecta explicauimus ſupra quæſtione prima huius diſputationis ad primam obiectionem.

Obiectio. Si dicas, præter has relationes in diuinis admittendā eſſe relationē intelligentis ad intellectum, & volentis ad volitum. *Solutio.* Reſpondetur illas relationes in diuinis non eſſe reales, quia sũt relationes eiuſdē ad ſeipſum, eſt enim planè idem in Deo intelligens & intellectũ, volēs & volitũ; at relatio ad verbũ in Deo eſt realis, quia verbũ intelligitur vt procedens per intellectionem, nō autem vt res intellecta; aliud enim eſt quod à nobis intelligitur, aliud verò quod ex re intellecta in nobis cōcipitur; illud enim eſt Corpus, Animal, Angelus, vel quidpiam aliud, hoc verò dicitur verbum mentis; ſimiliter relatio ad amorem productũ in Deo eſt realis, quia amor ille intelligitur vt procedens per volitionem, non vt res volita.

Duo hic notanda Prius. Porrò duo hîc diligenter adnotanda ſunt, alterũ eſt nullam eſſe diſtinctionem actualem inter proceſſiones & relationes, ſed tantùm virtualem, eamque adhuc minorem quàm ſit inter ipſas & eſſentiam; neque enim relatio eſt idem adæquatè cum eſſentia ſicut eſt idē adæquatè cum origine ſeu proceſſione. Itaque paternitas & proceſſio filij actiuè ſumpta, ſeu ipſius verbi productio ſunt planè idem actu & adæquatè: idem dicendum de filiatione & proceſſione filij propriè ſeu paſſiuè ſumpta: ſimiliter de ſpiratione quatenus tũ pro actiua productione Spiritus Sancti cùm pro relatione

Digitized by Google

Patris & filij ad Spiritum ſanctum accipitur. Denique idem ſentiendum eſt de proceſſione ſpecialiter ſumpta quatenus tùm pro paſſiua ſpiratione qua Spiritus ſanctus producitur, cùm pro relatione Spiritus ſancti ad Patrem & filium accipitur.

Alterum notandum eſt, quod licèt quatuor ſint relationes reales in diuinis, non tamen propterea admitti debent quatuor res, ſed tres tantùm, cùm tres tãtùm ſint perſonę: Spiratio enim actiua non diſtinguitur realiter à paternitate & filiatione, vt potè quę non ſit ipſis relatiuè oppoſita, ſed tãtùm diſparata, vt patebit ex iis quæ ſuo loco dicemus de perſona Spiritus ſancti: ſicque in diuinis admittitur vna eſſentia; duæ proceſſiones, tres perſonæ, & quatuor relationes: adde his quinque actus notionales, de quibus ſuo loco dicetur. *Poſterius notãdum.*

TERTIA DISPVTATIO.
DE RATIONE PERSONÆ IN DIVINIS.

ETſi iam aliàs de ratione perſonæ in communi dixerimus vbi etiam de hypoſtaſi, ſubſiſtentia, & ſuppoſito dictum eſt, nempè in 2. part. ſeu tract. 2. noſtræ Metaph. diſp. 2. q. 7. locus tamen hic poſtulat vt de ratione perſonæ quatenus in diuinis reperitur, diſſeramus.

An ratio perſonæ in diuinis ſit admittenda.

QVÆSTIO I.

REpetenda ſunt imprimis ea quę loco citato Metaph. dicta sũt de ratione ſuppoſiti ac perſonæ, deq; modo quẽ ſuppoſitũ vel perſona ſuperaddit naturę ſingulari ſubſiſtẽti: præterea nõnulla hîc diligẽter animaduertẽda ſunt. *Notãdum primò* Primò, indiuiduũ, ſuppoſitũ ſeu hypoſtaſim, & perſonã ſe habere tãquã ſuperius & inferius; omnis enim perſona eſt ſuppoſitum, & omne ſuppoſitũ eſt indiuiduũ, nõ è cõtra. *Notãdum ſecundo.* Secundo notandũ eſt ſuppoſitũ ſeu perſonã non planè eſſe idẽ ac ſubſtantiã ſingularẽ, quę vulgò appellatur indiuidua, quãuis vtrũq; pro eodẽ videatur hîc & aliâs sũpſiſſe sãctus Doctor, niſi dicas ipsũ per ſubſtantiã ſingularẽ intellexiſſe ſubſtãtiã omninò cõpletã & prorſus incõmunicabilẽ: Verũ, vt ingenuè dicã quod sẽtio, nõ ſatis clarè diſtinxit inter vtrumq; S. Doctor *Diſcrimen inter indiuiduum & ſuppoſitum* Sic enim habet hîc ar. 2. ad 3. *Et ideò* (inquit) *hypoſtaſis & perſona addunt ſupra rationem eſſentiæ principia indiuidualia.* Eſt igitur illud diſcrimen: quod licèt nullum ſit ſecundùm naturæ ordinẽ indiuiduũ ſubſtantiale quod non ſit ſuppoſitũ, & nullũ ſit ſuppoſitũ quod nõ ſit ſingulare in genere ſubſtãtię: non tamen per hoc ſubſtãtia dicitur ſuppoſitũ per quod dicitur ſingularis: alia enim eſt formalis ratio ſuppoſiti, alia indiuidui, licèt idẽ ſit reipſa indiuiduũ & ſuppoſitum. Ratio formalis indiuidui dicitur

differentia indiuidualis quam nonnulli ecceitatem appellant, de qua ſuo loco dictum eſt; ratio formalis ſuppoſiti dicitur modus ſubſiſtendi incommunicabiliter, vt dictum eſt loco citato Metaph. iſta ſupponit illam, id eſt, prius eſt ordine naturæ ſubſtantiam eſſe ſingularem quam ſuppoſitatam ſeu incommunicabiliter ſubſiſtentem, quod patet in vtroque ineffabili myſterio tum Incarnationis cùm Trinitatis; ſic enim in myſterio Incarnationis concipimus humanitatem Chriſti priùs fuiſſe hanc & non aliam, quàm à verbo aſſumptam ſeu ipſi hypoſtaticè vnitam; ſimiliter in myſterio Trinitatis priùs concipimus naturam diuinam eſſe vnam numero ſeu indiuiduam, quàm in tribus perſonis ſubſiſtentem; ſeu priùs concipimus Deum vt vnum, & quid indiuiduum, quàm vt Trinum.

Notādum tertio. Notandum tertio ex D. Th. hîc art. 2. ſubſtantiam ſingularem completam ſeu incommunicabilem in rebus creatis diuerſa conſideratione appellari ſuppoſitum, ſubſiſtentiam, rem naturæ, & hypoſtaſim, ac perſonam. Nam ſecundò intentionaliter, ſeu vt loquitur Sanctus Thom. ſecūdùm intētionem, nempè quatenus ſupponitur attributo in propoſitione dicitur ſuppoſitum: at verò primò intentionaliter, ſeu vt ipſe loquitur, ſecundùm rem dicitur ſubſiſtentia, res naturæ, & hypoſtaſis, ſubſiſtentia inquit vel ſubſiſtens, quatenùs per ſe exiſtit, & non in alio; res naturæ, quatenùs ſupponitur naturæ communi; hypoſtaſis ſeu ſubſtantia quatenus ſupponitur accidentibus;

Digitized by Google

perſona verò eſt ſuppoſitum, ſubſiſtentia ſeu hypoſtaſis quatenus eſt rationalis ſubſtantiæ propria: quò ſpectat illud quod monet Sanctus Tho. hîc, indiuiduum diuerſa conſideratione dici ſubſiſtere & ſubſtare: dicitur enim ſubſiſtere in ordine ad vniuerſalia quibus ſubeſt, ſubſtare verò in ordine ad accidentia quibus ſubſternitur, & quidem quod ſubſiſtat habet ex proprietate ſuæ formæ ſeu ſui actus, quod verò ſubſtet, ex proprietate materiæ ſeu potentialitatis.

An perſona diuina ſit idem quod hypoſtaſis, ſubſtantia, & ſubſiſtentia.

QVÆSTIO II.

Notãdum primo. AD propoſitę quęſtionis intelligentiam notandum eſt in primis, quatuor nomina concreta apud Theologos ad idem ſignificandum in diuinis vſurpari; quæ ſunt ſuppoſitum, res naturæ, hypoſtaſis, & perſona; ſicut ad idem ſignificandum in abſtracto quatuor abſtracta nomina vſurpãtur, nempè ſuppoſitalitas, hypoſtaſis, ſubſiſtentia, & perſonalitas. Ex quo intelligis hypoſtaſim quatenus ab eſſentia diſtinguitur interdum concretè per perſonas, interdum abſtractè pro perſonalitate accipi. *Notãdum ſecundo.* Notandum ſecundò ex D. Th. hîc art. 2. ſubſtantiam dici dupliciter; vno modo ſubſtãtia dicitur quidditas rei; quomodo dicitur definitio ſignificare ſubſtantiam rei, ſicquè ſubſtantia idem planè eſt ac eſſentia quam Græci ὀσίαν vocant; alio modo dicitur ſubſtantia ſubiectũ vel ſuppoſitum quod ſubſiſtit in genere ſubſtantiæ, Græci vocant ὑπόστασιν. Notandum *Notãdum tertio.*

tertiò ſubſiſtentiam dici dupliciter vt in loco citato noſtræ Metaph.* innuimus: primò n. accipitur pro modo exiſtendi per ſe proprio ſubſtãtię, quatenus opponitur accidenti, licèt etiam ſubſtantiæ non omninò completæ competat; aliter verò accipitur pro modo exiſtendi incommunicabiliter, quod non niſi ſubſtantię completæ propriè conuenit.

*Nempe. 2. part. diſp. 2. q. 7.

Prima aſſertio.

His poſitis ſit prima aſſertio. Idem eſt in diuinis hypoſtaſis & perſona: quas enim in diuinis Græci ὑποςάσεις appellãt, Latini Patres perſonas, ac ſuppoſita appellarũt, quare vbi Athanaſius in Symbolo habet (ἀλλὴ γὰρ ἐϛὶν ὑπόςασις τοῦ πατρὸς, &c.) Latinè habetur (alia enim eſt perſona Patris, &c.) Apertus de ea re locus eſt Sancti Auguſtini lib. 5. de Trinita. cap. 9. *Quia* (inquit) *noſtra loquendi conſuetudo obtinuit vt hoc intelligatur cùm dicimus eſſentiam quod intelligitur cùm dicimus ſubſtantiam, non audemus dicere vnam eſſentiam tres ſubſtantias, ſed vnam eſſentiã vel ſubſtantiam tres perſonas; quemadmodũ multi Latini iſta tractantes & digni authoritate dixerunt, cùm alium modum aptiorem non inuenirent quo enunciarent verbis quod ſine verbis non intelligebant.* Eſt autẽ idem cõmuniter hypoſtaſis quod ſuppoſitũ, eodẽq; modo ab οὐσία diſtinguitur quo ſuppoſitũ ab eſſentia. Quia tamen Ariani hoc nomẽ hypoſtaſeos trahebãt ad ſignificãdã ſubſtantiã, ac proinde eſſentiã, idcircò nõnulli Patres Latini tres in diuinis hypoſtaſes aſſerere reformidabant, ne Arianis aſſentiri viderẽtur: ſicut quia perſonæ nomen ex prima ſui ſignificare non tam rem quàm officium ſignificat, idcircò Patres Græci

non facilè admittunt nomen προσώπου, id eſt perſonæ ad ſignificandas diuinas hypoſtaſes, ne Sabellianis videantur aſſentiri.

Secunda aſſertio. Secunda aſſertio. Suppoſitum ſeu hypoſtaſis in diuinis verè dici poteſt ſubſtantia ſecundo modo ſuprà explicato, ita vt hoc ſenſu tres perſonę in diuinis dici poſſint tres ſubſtantiæ. Quia tamen vſus inualuit vt nomen ſubſtantię primo modo ferè intelligatur, vt patet ex loco D. Aug. citato, non eſt dicendum abſolutè tres perſonas eſſe tres ſubſtantias; ſed vel abſtinendum ab iſto loquendi modo, vel certè ſemper loquendum cum adiunctione, aut certè appoſita aliqua particula; vt ſi dicas eſſe tres ſubſtantias relatiuas, vel tres ſubſtantias incommunicabiles.

Tertia aſſertio. Tertia aſſertio. Subſiſtentia in diuinis ſecundo modo ſumpta idem eſt ac ſuppoſitum ſeu hypoſtaſis, niſi quod ſubſiſtentia ſignificat ſuppoſitum per modum abſtracti non concreti, ſicut & perſonalitas ac ſuppoſitalitas, ſi ita loqui fas eſt. Quòd ſi primo modo accipiatur non eſt idem quod ſuppoſitum ſeu hypoſtaſis, vt communiter vſurpantur in diuinis, ſic enim accepta eſt aliquid abſolutum, ac idem planè quod eſſentia: ſicque diſtingui poteſt in diuinis ſubſiſtentia abſoluta à ſubſiſtentia reſpectiua, vt monuimus loco citato noſtræ Metaphyſicæ. Neque tamen propterea vnquam nobis placere potuit modus loquendi eorum qui illam quartam ſubſiſtentiam appellant: vt enim hoc rectè diceretur, deberet illa ſubſiſtentia eſſe eiuſdem rationis cum tribus aliis

Reiicitur quarta ſubſiſtentia.

ſubſiſtentiis relatiuis; Adde quod tres ſubſiſtentiæ relatiuæ idemtificãtur cum iſta ſubſiſtentia abſoluta, ſicque non ſit aliquid quartum à tribus illis diſtinctum, quod tamen planè ſignificatur cùm dicitur quarta ſubſiſtentia.

Porrò ne quæſo exiſtimes ex eſſentia diuina & ſubſiſtentiâ illa abſolutâ fieri aliquod ſuppoſitum quod nomine Dei ſignificetur (vt monuimus in primo tract. huius partis diſp.2. q.2.) ſed audito nomine Dei cõcipimus ſupremum ens abſolutum, per ſe ſubſiſtens, perfectè vnum, identificans ſibi tria ſuppoſita reſpectiua, quibus ſubſiſtit indiuiduè ſimul & incommunicabiliter, quod non eſt minùs quàm ſi eſſet vnum ſuppoſitum. *Corollariũ*

An perſonæ vocabulum ſignificet relationem in diuinis.

QVÆSTIO III.

AD euidentiam queſtionis propoſitæ notandum eſt ex D. Th. hîc art. 4. vnum & idem vocabulum ſpecialiter ſumptum aliquid includere in ſua ſignificatione quod non includit ſi generaliùs accipiatur; v.g. vocabulum iſtud (viuens) ſumptum pro viuente ſenſitiuo ſeu animali aliquid importat quod non importat ſi generaliùs accipiatur pro viuente in communi, quod tam plantæ quam animali conuenit. *Notãdum.*

Hoc poſito ſit prima hęc aſſertio. Perſonæ vocabulum generaliter ſumptum non ſignifi- *Prima aſſertio.*

cat relationem,ſed ſignificat ſubſtantiam indiuiduam rationalis naturæ, ſeu rem naturæ rationalis per ſe exiſtentem & prorſus incommunicabilem: vbi ſignificatur natura in obliquo, res verò naturæ in recto, quod eſt indiuiduum completum, ſeu ſuppoſitum.

Secunda aſſertio. Secunda aſſertio. Perſonæ vocabulum ſpecialiter ſumptum in diuinis, ſeu pro perſona diuina dicit relationem ſubſiſtentem, ita vt illam relationem ſignificet nō vt relatio eſt, ſed vt hypoſtaſis. *Probatur ratione.* Ratio huius aſſertionis eſt; quia perſona in quacumque rationali natura ſignificat id quod eſt indiuiduum, ſeu prorſus incommunicabile,ac proindè quod eſt indiſtinctum à quolibet alio, diſtinctio autem in diuinis non fit niſi per relationes originis ex prædictis;relatio autem in diuinis non eſt ſicut accidens in ſubiecto,ſed eſt diuina eſſentia, vnde eſt ſubſiſtens ſicut eſſentia diuina ſubſiſtit; ita vt ſicut deitas eſt Deus, ita Paternitas ſit Deus Pater qui eſt perſona diuina: ſic igitur perſona diuina ſignificat relationem vt ſubſiſtentem ſeu per modum ſubſtantię, quæ ſubſtantia eſt hypoſtaſis ſubſiſtēs in natura diuina, ac proinde ipſamet natura diuina. Sicque verum eſt nomen perſonæ in diuinis ſignificare relationem in recto,& eſſentiam in obliquo; non tamen relationem inquantum formaliter & pręciſè eſt relatio, ſed inquantum ſignificatur per modum hypoſtaſis.

Dubitatio. Si quæras, vtrùm perſonæ diuinæ conſtituantur ac diſtinguantur magis per relationem quatenùs relatio eſt, quam quatenùs hy-

Digitized by Google

poſtaſis eſt. Reſpondeo perſonas diuinas per idem conſtitui ac diſtingui, nempè per relationes originis: verùm quia ipſæ relationes dupliciter ſignificantur, vel vt relationes nominibus reſpectiuis Paternitatis, Filiationis, &c. vel vt hypoſtaſes, nominibus abſolutis ſuppoſiti, perſonæ, &c. quò ſpectat illud quod vulgò docent in relationibus etiam diuinis conſiderari poſſe quaſi duplex eſſe, nempè eſſe in, & eſſe ad; vel vt loquitur D. Aug. eſſe ad ſe, & eſſe ad aliud: non abſurdum duxerim aſſerere perſonas diuinas magis conſtitui per relationes quatenùs ſignificantur vt hypoſtaſes, quàm prout ſignificantur vt relationes; magis verò diſtingui per eaſdem quatenùs ſignificantur vt relationes, quàm vt hypoſtaſes. *Reſolutio.*

QVARTA DISPVTATIO
DE PLVRALITATE DIVINArum perſonarum in vnitate naturæ.

PRopoſita hęc diſputatio omnium quæ circa ineffabile Trinitatis myſterium proponuntur difficultatũ ſumma & caput eſt: quod vt Catholicis eſt lapis angularis, ſcolumna ac firmamentum fidei, ita ſanè tum Arianis cùm Sabellianis, & aliis id genus hæreticis lapis eſt offenſionis & Petra ſcandali. Oſtendendum igitur eſt hòc loco tres in diuinis eſſe perſonas contra Sabellianos & ſimul illas eſſe vnum

Deum contra Arianos, quod vt faciliori methodo fiat, ſingulas quęſtiones ordine proponemus.

An admittendæ ſint in diuinis plures perſonæ.
QVÆSTIO I.

PLures eſſe in diuinis perſonas, vti fides Catholica docet, imprimis probari poteſt permultis ſacræ Scripturæ teſtimoniis, quibus ſignificatur tum perſonarum aliqua pluralitas, cùm diſtinctio vnius ab altera. Loca igitur quibus perſonarum pluralitas generaliter innuitur (vt hîc miſſa faciamus ea quibus tres eſſe perſonas expreſſiùs declaratur, quæ ſequenti quęſtione adducemus) ſunt hæc præcipua.

Loca quibus probatur pluralitas perſonarum.

Primus locus.

Primus locus habetur Geneſ. 1. Vbi enim Latina verſio habet, *In principio creauit Deus cælum & terram*, habetur in Hebræo *Barah Eloim*, id eſt de verbo ad verbum *Creauit Dij*, quem loquendi modum hîc & aliàs in ſacris litteris adhibuit Spiritus Sanctus, vt nomine plurali perſonarum multitudinem, nomine verò ſingulari earũdẽ in eſſentia vnitatẽ exprimeret.

Secundus.

Secũdus locus ibidem, *Faciamus* (inquit Deus) *hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram*, vbi (ſicut vulgò exponunt Patres) mutuò ſe diuinæ perſonæ adhortantur ad opus iſtud ſingularis dignitatis aggrediendum, & ſtatim ad oſtendendam deitatis vnitatem, ſubditur; *Et creauit Deus hominem ad imaginem, &c.* Vbi nota etiam quod cùm dicit ad imaginem, oſtendit vnam

Digitized by Google

vnam naturam eſſe ad cuius imaginem homo fieret; cùm verò dicit noſtram, oſtendit eumdem Deum non vnam, ſed plures eſſe perſonas. Tertius locus Geneſ. 3. *Ecce Adam quaſi vnus ex nobis factus eſt ſciens bonum & malum.* Quartus Geneſ. 11. *Venite, deſcendamus, & confundamus linguam ipſorum*, quibus verbis ſignificatur pluralitas diuinarum perſonarum, ſicut ſequentibus iſtis (*& diuiſit eos Dominus*) vnitas naturæ ſignificatur.

Tertius.

Quartus.

Loca quibus ſignificatur diſtinctio vnius perſonæ ab altera in diuinis, ſunt ea quibus oſtenditur tum Filium à Patre cùm Spiritum Sāctum ab vtroque diſtingui. Loca igitur quibus ſignificatur Filius diſtinctus à Patre ſunt hæc præcipua. Primus ex cap. 1. Euāgelij Ioannis. *In principio erat verbū, & verbū erat apud Deū, & Deus erat verbū.* Eſſe autem apud aliū (inquit Tertullianus aduerſus Praxeā) numerū & multitudinē indicat. Secundus Ioannis 3. Pater loquitur dicēs, *Hic eſt filius meus dilectus*; Filius autē dicitur qui Patrem habet, nō autē qui Pater eſt. Tertius locus Math. 22. vbi Chriſtus de Patre ac ſemetipſo interpretatur illud Pſal. 109. *Dixit Dominus Domino meo*, nō eſt autem idē qui loquitur, & ad quem loquitur. Quartus locus ad Hebr. 1. vbi Apoſtolus de Chriſto exponit quod habetur Pſalm. 2. *Ego hodiè genui te*, neque enim iis pronominibus primæ & ſecundę perſonæ (*ego*) & (*tu*) vti licèt, niſi quando de diſtinctis perſonis ſermo fit. Quintus eſt quod Lucæ 2. & Ioā. 1. ita Verbi diuini incarnatio & natiuitas deſcribitur vt ſoli Filio, non verò Patri

Loca quibus pr. batur diſt. nctio perſonarum.

Loca quibus oſtenditur filiū à patre diſtingui.

Primus.

Secundus.

Tertius.

Quartus.

Quintus.

Digitized by Google

vel Spiritui Sancto competat: ſi autem nulla inter Patrem & Filium intercederet diſtinctio, non minus eſſet Pater incarnatus, paſſus & mortuus, quàm Filius, qui fuit error Sabellianorum, qui propterea Patropaſſiani dicti ſunt.

Sextus.

Sextus deſumitur ex Ioannis 14. vbi Chriſtus loquens de Patre fatetur ſe ab eo miſſum, item ſe rogaturum Patrem. Præterea omnia ſibi à Patre tradita, quæ omnia non niſi à perſona diſtincta à Patre dici potuiſſent.

Septimus.

Septimus locus ex Ioannis 8. vbi Chriſtus non ſuo tantùm ſed alterius teſtimonio veritatem ſuæ doctrinę comprobari oſtendit; *Et ſi iudico* (inquit) *iudicium meum verum eſt, quia ſolus non ſum ſed ego & qui miſit me, & in lege veteri ſcriptum eſt, quia duorum hominum teſtimonium verum eſt.*

Loca quibus oſtenditur Spiritum S. à Patre & Filio diſtingui.

Similiter autem quod Spiritus Sanctus ſit perſona diſtincta à Patre & Filio probatur ex iis quæ paſſim in ſacris litteris ſpecialiter ipſi tribuũtur. Sic Geneſ. 1. *Spiritus Dei ferebatur ſuper aquas.* & Iſa. 61. *Spiritus Domini ſuper me eo quod vnxerit me ad euãgelizandum pauperibus miſit me.* quibus locis Spiritus Sanctus à Deo Patre diſtingui non obſcurè innuitur: ſed apertiùs adhuc Ioan. 14. *Paracletus autem Spiritus Sanctus quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, &c.* 16. Ioan. *Si non abiero paracletus non veniet ad vos; ſi autem abiero mittam eum ad vos, & cùm venerit ille arguet mũdum, &c.* & ibidẽ, *Nõ loquetur à ſemetipſo, ſed quæcũque audiet loquetur, &c. ille me clarificabit.* Quæ omnia non poſſunt à quoquã non intelligi niſi de perſona aliqua diſtincta ab aliis. Itẽ Actorũ 13. *Dixit illis Spiritus Sanctus, ſegregate mihi Paulũ &*

Barnabã, &c. & ibidẽ 15. c. *Viſum eſt Spiritui Sancto & nobis.* & c. 20. *In quo vos Spiritus ſanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei.* Item ad Rom. 8. *Spiritus adiuuat infirmitatem noſtram.* 1. ad Cor. 2. *Quæ ſunt Dei nemo nouit niſi Spiritus Dei.*

Denique quòd perſonæ diuinæ à ſe inuicem diſtinguantur, ac proinde verè ſint plures confirmant ea ſacræ Scripturæ loca quibus tres perſonæ exprimuntur, & tanquã diſtinctæ numerantur: item etiam ea quibus vna perſona eſſe cum alia vel apud aliam, vel in alia dicitur.

Præter hæc quæ ex authoritate ſacrarũ litterarũ deſumũtur argumẽta quibus addi poteſt authoritas Cõciliorũ & cõmunis Eccleſiæ cõſẽſus, alia etiã ſuppetũt quę à ratione ducũtur argumẽta, & quidẽ nõ deſunt probabiles quædã cõiecturę quibus pluralitatẽ aliquã in diuinis augurari liceat: vt quòd Deus ſocietate nõ nihil delectetur, quare ne iſto conſortij bono ab æterno orbatus extiterit, neceſſe eſt in eo pluralitatem aliquã eſſe; quæ cùm non poſſit eſſe naturarum, quia plures Deos eſſe repugnat, neceſſe eſt vt ſit perſonarum: Item quod cùm Deus alios parere faciat, ipſum ſterilem manere non deceat, eúmque repugnet ipſum aliquem de ſua ſubſtantia gignere ſeipſo minorem, neceſſe eſt vt conſubſtantialẽ genuerit, ſicque plura eſſe ſubſtantialia in diuinis, ac proinde diſtincta ſuppoſita ſeu plures perſonas. Verùm prætermiſſis leuioribus iſtis rationibus longè ſolidior eſt hæc Diui Thomæ ratio hîc qu. 30. art. 1. Perſonę vocabulum in diuinis ſignificat relationem vt rem

Plures eſſe perſonas in diuinis ratione comprobatur.

Ratio firmior D. Thomæ.

ſubſiſtentem in natura diuina ex prædictis: atqui etiã ex prędictis plures ſunt relationes reales in diuinis: ergo ſunt plures res ſubſiſtentes in diuina natura, & hoc eſt eſſe plures perſonas in diuinis. Accedit etiã iſta nõ minùs firma ratio, quòd ex prædictis admittendæ ſunt in diuinis ſubſtantiales proceſſiones; atqui in omni verã & ſubſtãtiali proceſſione id quod procedit ab alio diſtinguitur ab eodem ſubſtãtialiter: cùm igitur diſtinctio ſubſtantialis ſit vel ratione naturæ, vel ratione perſonæ, non poſſit autẽ in diuinis id quod procedit à ſuo principio diſtingui ſecundùm naturam, neceſſe eſt vt diſtinguatur ſecundùm perſonã; vbi autem eſt diſtinctio perſonarum, ibi & pluralitas eſt neceſſariò admittẽda: quò ſpectat ea ratio quâ probatur genitum neceſſariò eſſe quid ſubſtãtialiter diſtinctum à generante, ſicut & amorem productum à ſpirante.

Alia ratio.

Verùm aduerſus hanc noſtram aſſertionem qua plures perſonas in Deo mittimus, obiici poteſt imprimis ex Boëtio l. de Trinitate, illud verè vnũ eſſe in quo nullus eſt numerus, Deũ autẽ ſummè vnũ eſſe, proindeque nullũ eſſe poſſe in eo perſonarum numerũ. Reſpondetur numerũ quidẽ ſeu multitudinem entiũ abſolutorum, non verò relatiuorum ſummæ vnitati repugnare: cùm enim eſſe relatorum ſit ad aliud, fit vt entia reſpectiua nullam importent in eo in quo ſunt & de quo dicuntur compoſitionem ſicut important entia abſoluta. Secundò obiicies: vbicumque eſt numerus ibi eſt totum & pars; ſi igitur in Deo ſit numerus perſonarum, erit in eo ratio aliqua totius

Obiectio prima.

Solutio.

Obiectio ſecunda.

-ſe partis, quod ſummæ ipſius ſimplicitati repugnat. Reſpondetur cum D.Th. hîc ad 4. numerum dupliciter accipi; vel pro numero ſimplici & abſoluto, ſeu abſtracto à rebus, qui numerus numerãs dici poteſt; vel pro numero concreto qui eſt in rebus numeratis, quique numerus numeratus dici poteſt: ſi igitur in diuinis accipiatur numerus abſtractè, non eſt abſurdum in eo eſſe totum & partem; ſic enim ratio totius & partis non eſt niſi obiectiuè in noſtro intellectu, non verò ſubiectiuè in Deo, cũ ipſe numerus abſolutus ſeu abſtractus non ſit niſi obiectiuè in intellectu; ſi autem accipiatur numerus prout eſt in rebus numeratis, ſic ſanè in rebus creatis vnũ eſt pars duorum, & duo trium, non verò in diuinis; neque enim numerus ternarius eſt totum reſpectu trium perſonarum, ſicut nec ſingulæ tres perſonæ ſunt partes illius, tantùm enim ſunt ſingulæ perſonæ quantum tota ipſa glorioſiſſima Trinitas; ſeu tantum eſt vna perſona quantũ omnes perſonæ ſimul; quod licèt difficile ſit ad intelligendũ, poſſibile tamen eſt ad credendum. *Solutio.*

An ſint tres perſonæ, nec plures nec pauciores in diuinis.

QVÆSTIO II.

Tres eſſe perſonas in diuinis probatur pluribus ſacræ Scripturæ locis.

TRes eſſe diuinas perſonas Patrem nempè, Filium & Spiritum Sanctum permultis tam veteris quã noui Teſtamenti teſtimoniis imprimis probari poteſt, primũ ex Geneſ.1. vbi tria exprimuntur, nempè Deus creans qui & *Primus.*

Digitized by Google

Pater; Principium in quo res creantur, qui & Filius & Spiritus Sanctus, qui ferebatur ſuper
Secundus. aquas. 2. ex Geneſ. 18. vbi narrat Scriptura Deũ apparuiſſe Abrahamo in conualle Mambræ, & poſtea dicit fuiſſe tres viros quos Abraham compellans in ſingulari numero dicit, *Domine, ſi inueniam gratiam in oculis tuis, &c.* Ex quo intelligis Abrahamum in tribus illis Angelis agnouiſſe perſonarum Trinitatem in vnitate eſſentię: vnde vulgò dicitur, quod tres vidit &
Tertius. vnum adorauit. Tertiũ ex Pſal. 32. *Verbo Domini cœli firmati ſunt, & ſpiritu oris eius omnis virtus eorum.* vbi nomine Domini, Verbi, & Spiritus,
Quartus. tres in Deo perſonas intelligit, 4. ex Pſalm. 66. *Benedicat nos Deus Deus noſter, benedicat nos Deus,* vbi ter repetitur Deus ad ſignificandam trinitatẽ perſonarum. & 2°. loco dicitur *Deus noſter*, ad oſtendendum quod ſecunda perſona noſtram ſe fecit cùm naturam noſtram aſſum-
Quintus. pſit ſalutis noſtræ cauſa. 5. Iſa. 6. dicuntur Seraphim ter exclamare, *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus exercituum,* ad oſtendendam tùm perſonarum trinitatem, cùm naturę vnitatem.
Sextus. 6. Math. 3. In baptiſmo Chriſti tres perſonæ manifeſtantur, vox Patris de cœlo auditur teſtantis eum qui baptizabatur eſſe Filium, & ſuper ipſum Spiritus Sanctus in ſpecie colũbæ
Septimus. delabitur. Septimũ Chriſtus Ioã. 14. *Ego,* inquit *rogabo Patrem & alium paracletum dabit vobis.* & aliàs de Patre loquens, *Ille eſt qui miſit me.* Vbi nota quod hęc tria vocabula in Chriſti Euangelio, *Ego, ille, alius* tres diſtinctas perſonas Fi-
Octauus. lij, Patris, & Spiritus Sancti denotant. 8. locus

Digitized by Google

xpreſſus eſt Math. 28. *Baptizantes eos in nomine atris, & Fily & Spiritus Sancti.* 9. ad Rom. 11. *Quoniam ex ipſo & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia, pſi gloria in ſæcula ſæculorum, amen.* Quaſi diceret Apoſtolus quod in ipſo Deo Patre, per ipſum Deum Filium, & in ipſo Deo Spiritu Sancto ſunt omnia, ipſi verò vni ſoli & ſummo Deo honor & gloria in ſæcula. 10. ad Epheſ. 2. *Habemus acceſſum ad Patrem per Filium in vno Spiritu.* 11. primæ ad Corinth. 12. *Diuiſiones verò gratiarum ſunt idem, aut Spiritus, & diuiſiones adminiſtrationum ſunt idẽ, aut Dominus & diuiſiones operationum ſunt idem, aut Deus qui operatur omnia in omnibus.* 12. 2. ad Corinth. vltimo *Gratia Domini noſtri Ieſus Chriſti & charitas Dei, & communicatio Spiritus Sancti ſit cum omnibus vobis.* 13. Iſque apertiſſimus primæ Ioan. 5. c. *tres ſunt qui teſtimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, Spiritus Sanctus, & hi tres vnum ſunt.*

Nonus. *Decimus.* *Vndecimus* *Duodecimus.* *Decimus tertius.*

Adde hîc Cõcilia œcumenica pręſertim Nicenũ, Epheſinũ, & alia, & cõmunem Patrũ imò totius Eccleſiæ conſenſũ aduerſus impiiſſimas Arianorũ præſertim & Sabellianorum hęreſes. Ratione verò duplici potiſſimùm eadẽ veritas cõprobatur; altera ex proceſſionibus, altera ex relationibus diuinis ducitur. Ratio prior eſt. In diuinis vna eſt tantùm perſona quæ non procedit, & duæ tantùm procedentes: ergo in diuinis ſunt tantùm tres perſonæ. Prior pars antecedentis, nempè quòd ſit vna tantùm perſona non procedens in diuinis probatur; ſi enim eſſet aliqua alia præter iſtam, certè ab ipſa non diſtingueretur, cùm

Conciliorũ authoritas. *Idem ratione duplici comprobatur.* *Prima ratio.*

Digitized by Google

nulla foret inter vtramque relatio originis, per quam neceſſe eſt perſonas in diuinis diſtingui ex prædictis: Poſterior etiam eiuſdem antecedentis pars, nempè quod duæ tātùm ſint perſonæ procedentes confirmatur; quia ſunt duæ tantùm proceſſiones in diuinis, vt ſupra oſtenſum eſt. quare cùm iuxta numerum proceſſionum ſit numerus perſonarū procedentium, erunt duæ tantùm perſonæ procedētes, ſicq; ſunt omnino tres perſonæ in diuinis. Poſterior ratio eſt: quia cùm plures perſonæ diuinæ nihil aliud ſint ex prædictis quā plures relationes ſubſiſtentes ab inuicem realiter diſtinctæ; tot erunt in diuinis perſonæ quot ſunt relationes ſubſiſtentes ab inuicem realiter diſtinctæ: atqui cùm quatuor ſint omninò relationes reales ſubſiſtentes in diuinis, vt ſupra oſtenſum eſt, tres ex illis tantùm ſunt ab inuicem realiter diſtinctę, nempè Paternitas, Filiatio, & Proceſſio Spiritus, eo quòd Spiratio actiua quæ eſt quarta relatio non diſtinguatur à Paternitate & Filiatione, cùm nullam habeat oppoſitionem relatiuam ad illas: quod autem tres alię relationes ſint ab inuicem realiter diſtinctæ, apertè oſtenditur, & primùm quidem conſtat quod Paternitas & Filiatio ab inuicem diſtinguantur, cùm nemini dubium eſſe poſſit quin ſint inter ſe oppoſitæ; quod verò proceſſio Sancti Spiritus ab vtraque etiā realiter diſtinguatur, patet ex eo quòd ſit diſtincta realiter à ſpiratione actiua cui relatiuè opponitur, ac proindè Paternitati & Filiationi quatenùs

Secunda ratio.

conueniunt in illa communi ratione relatiua ſpirationis actiuę. Confirmatur adhuc; ſicut enim pater in ratione patris opponitur relatiuè filio, ac proindè ab ipſo diſtinguitur (quod etiam de filio reſpectu patris dici debet) ita pater & filius quatenus habent rationem ſpiratoris relatiuè opponuntur Spiritui ſancto, ac proindè ab ipſo realiter diſtinguuntur: ſicque ex iis colliguntur tres perſonæ realiter ab inuicem diſtinctæ in diuinis.

Ex quo intelligis ex quatuor prædictis relationibus diuinis tres tantùm dici proprietates perſonales quaſi perſonas conſtituentes, ita vt etiam dici poſſint perſonæ ipſæ; ſicque paternitas dici poſſit perſona patris, filiatio perſona filij, & proceſſio perſona Spiritus ſancti; ſpirationem verò non dici proprietatem perſonalem, non quidem proprietatem, quia non vni tantùm perſonæ conuenit, nec etiam perſonalem quia perſonam non conſtituit, vt docet S. Thom. hîc q. 30. ar. 2. ad 1. quòd autem perſonam non poſſit conſtituere patet, quia de ratione perſonæ ſeu ſuppoſiti eſt Quod ſit quid incommunicabile, ac ſpiratio eſt communis pluribus, nempe Patri & filio, quare pater & filius quatenus conueniunt in ratione vnius ſpirationis, ſunt vnum quoddam indiuiduum, non verò ſuppoſitum, vt poſtea patebit cùm de perſona Spiritus ſancti in particulari dicemus. *Conſectarium.*

Digitized by Google

An ſingulæ tres perſonæ ſint Deus.
QVÆSTIO III.

SIcut duæ præcedentes quęſtiones contra Sabellianos maximè inſtitutæ ſunt, ita duæ ſequentes maximè contra Arianos, & quidē propoſitæ quæſtionis ſenſus eſt, an vnaquæque perſona ſit verè Deus; an verò ſit vnus Deus, ſequenti quæſtione explicabitur.

Patrem eſſe Deum nemo dubitat.

Quod igitur ſpectat ad Patrem nulla eſt difficultas; neque enim vllus hæreticorum negauit Patrem in diuinis eſſe Deum, quamuis nonnulli, vt Sabelliani & Ariani negauerint Deum eſſe verè & naturaliter patrem, quia naturalem æterni verbi generationem negauerunt, quamuis tamen verè appellari debere patrem ſiue reſpectu Chriſti, ſiue reſpectu cæterorum hominum non diffiteantur. Aperta ſunt in ſacris litteris teſtimonia quibus patrē eſſe verè Deum apertiſſimè oſtenditur, præſertim in nouo Teſtamento, vbi frequenter Chriſtus patrem ſuum eſſe Deum non obſcurè ſignificat, licèt Iudæi ob nimiam mentis cæcitatem aliquando non intelligerent. *Et non cognouerunt* (inquit Euangeliſta Ioan. c. 8.) *quia patrem eius dicebat Deum*; tota igitur difficultas eſt de Filio & Spiritu ſancto: poſſet autem vtriuſque diuinitas generaliter probari ex iis locis quibus præcedenti quęſtione probauimus tres eſſe perſonas in diuinis: Adde quod ex iiſdem locis, earum perſonarum æqualis virtus & dignitas facilè colligitur adde etiam

Vtramque perſonam procedentē eſſe Deum oſtenditur.

Digitized by Google

rationes quibus etiam generatim probari poteſt quod quidquid tum naturaliter, cùm immanenter procedit a Deo, Deus eſt; quo fit vt cùm filius & Spiritus ſanctus procedant proceſſione quadam naturali & immanenti, vt ex prædictis conſtat, neceſſariò concludendum ſit tùm filium cùm Spiritum ſanctum eſſe Deum. Vbi aduerte obiter nos hîc naturale appellare quod opponitur ſpontaneo ſeu libero. Probatur igitur primum, nempè quod quidquid procedit à Deo naturaliter, Deus ſit: Quidquid naturaliter operatur, illud ſecundùm omnem vim ſuam operatur, quò fit vt ſi ſit aliquod agēs virtutis infinitæ quod naturaliter operetur operatione quadam ſubſtantiali, neceſſe ſit vt producat effectum ſubſtātialiter infinitum: at nihil poteſt eſſe à Deo ſubſtantialiter infinitum, quia ſit Deus. Adde quod quidquid naturaliter & ſubſtantialiter ab aliquo procedit, de ipſius eſſentia ſeu ſubſtantia producitur: atqui nō ſolet aliquid produci de ſubſtantia alterius, niſi ſit eiuſdem cū ipſo ſubſtantiæ ſaltem in ſpecie. Probatur etiā ſecundum, nempè quod quidquid à Deo procedit immanenter, Deus eſt; quia quidquid procedit immanenter ab aliquo, manet in eo à quo procedit. atqui quidquid in Deo ſeu in ipſa Dei ſubſtantia manet ac reſidet, Deus eſt (vt aliàs oſtenſum eſt) ergo quidquid procedit immanenter à Deo, Deus eſt.

Filium ſeu Verbum eſſe Deum probatur ex varijs ſacræ ſcripturæ locis.

Quod verò ſpecialiter ſpectat ad filium ſeu Verbū quod verè ſit Deus, probatur primum authoritatibus veteris Teſtamenti, & vt loca

ea prætermittamus quæ ſine dubio de Deo dicuntur in veteri teſtamento & ipſi Chriſto qui eſt verbum & filius Dei in nouo teſtamento attribuuntur, vt in Epiſtola Iudæ & cap. 1. ad Hebræos.

Loca ex veteri teſtam.

Primus. Primus locus ſit Iob. 19. *Scio quod Redemptor meus viuit*, &c. *& in carne mea videbo Deum*, vbi etiam quædam manuſcripta addunt (*Saluatorem meum*) quod de Meſſia ſeu Chriſto ac Dei filio intelligẽdum eſt, cũ Deus Pater non poſſit carneis oculis videri, ſecundus pſalmo 44. vbi Dauid inchoatum ſermonem de filio Dei ſeu Chriſto, quem ſpecioſum formâ præ filiis hominum dixerat, proſequens ait; *Seddes tua Deus in ſæculum ſæculi, virga directionis virga regni tui.* Tertius pſalm 109 pater filium alloquens inter cætera ait: *Tecum principium in die virtutis tuæ.* 4. prouerb. 3. *quod nomen eſt eius aut quod nomen filii eius ſit noſti.* Quintus Iſa. 8. *Ecce virgo concipiet*, &c. *& vocabitur nomen eius Emanuel*, id eſt *nobiſcum Deus*. 6. Iſa. 9. *Paruulus natus eſt nobis. filius datus eſt nobis*, &c. *& vocabitur nomen eius, admirabilis, conſiliarius, Deus fortis* &c. 7. Iſa. 35. de Meſſia futuro quem eſſe Ieſum Chriſtũ in 2. parte huius Summę probabimus) *Deus* (inquit) *ipſe veniet & ſaluabit nos tunc aperientur oculi cæcorum* &c. 8. Iere. 33. *In diebus illis ſaluabitur Iuda & Iſrael habitabit confidenter & hoc eſt nomen quo vocabunt eum Dominus iuſtus noſter*, vbi habetur nomen Tetragrammaton Iehoua quod ſoli Deo competit 9. Mich. 5. *Et tu Bethleem Ephrata paruulus es in millibus Iuda: ex te mihi egredietur qui ſit dominator in Iſrael*, &

Secundus. *Tertius.* *Quartus.* *Quintus.* *Sextus.* *Septimus.* *Octauus.* *Nonus.*

egreſſus eius ab initio à diebus æternitatis. 10. Zach. 2. *Lauda & lætare filia Sion, ecce ego venio & habitabo in medio tui, dicit Dominus.* Vbi etiã vſurpatur nomen tetragrãmatõ Iehoua 11. Zachariæ 12. *Et effũdam ſuper domum Dauid & ſuper habitatores Hieruſalem ſpiritum gratiæ & precum, & aſpicient in me quem confixerunt*: Atqui effundere ſpiritum gratiæ nemini præterquam Deo competit iuxta illud Pſalmiſtæ *Gratiam & gloriam dabit Dominus* 12. Baruc 3. *Hic eſt Deus noſter & non æſtimabitur alius aduerſus eum: hic adinuenit omnem viam diſciplinæ, & tradidit illam Iacob puero eius, & Iſrael dilecto ſuo poſt hæc in terris viſus & cum hominibus conuerſatus eſt.*

Decimus.

Vndecimus

Duodecimus.

Comprobatur etiam aliis teſtimoniis noui teſtamenti. Primum eſt ex cap. 1. Ioan *In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum: hoc* (ſupple verbum) *erat in principio apud Deum, omnia per ipſum facta ſunt.* & poſtea: *Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis.* Et Paulò poſt, *De plenitudine eius omnes accepimus*: Quæ omnia non niſi de vero & naturali æterno, & conſubſtantiali Dei filio vero Deo accipi poſſunt. Secundum c. 3. *Nemo aſcendit in cœlum niſi qui deſcendit de cœlo filius hominis qui eſt in cœlo.* Tertium ibidem & aliàs vt primo cap. Filius appellatur vnigenitus Dei quod non de adoptiuo filio dici poteſt, cùm ſint plures adoptiui: quare de naturali filio accipiendum eſt; qui cùm non poſſit eſſe niſi eiuſdem naturæ ex prædictis neceſſariò eſt dicendus Deus

Loca ex nouo teſtam.

Primus.

Secundus

Tertius.

Digitized by

Quartus. Quartum Ioa.5. *Propterea magis quærebant Iudæi eum interficere, quia patrem ſuum dicebat Deum æqualem ſe faciens Deo*: quò ſpectat illud Apoſt. ad Phil.2. *Non rapinam arbitratus eſt ſe eſſe æqualem Deo*: At nemo æqualis Deo eſſe poteſt qui non ſit Deus.

Quintus. Quintũ Ioã.8. *Dicebant ergo ei Iudæi, Tu quis es? Dixit: Ieſus eis principiũ qui & loquor vobis.*

Sextus. Sextum Ioan.9. *Ego & pater vnum ſumus.*

Septimus. Septimum Ioan.14 *Qui videt me, Philippe, videt & patrem meum: an neſcis quia ego in patre, & pater in me eſt?*

Octauus. Octauum Ioan.17. *Chriſtus alloquẽs patrem, Omnia tua* (inquit) *mea ſunt* &c.

Nonus. Nonum Ioan.20. vbi Thomas exclamaſſet (*Dominus meus & Deus meus*) Chriſtus ipſum nequaquam reprehendit, ſed potius dictum eius confirmauit: *Quia* (inquit) *vidiſti me Thoma, credidiſti* &c. ſiquidem iuxta diuum Auguſtinum hominem in Chriſto vidit, & Deum credidit.

Decimus. Decimum ad Rom. 1. *Loquens de filio ſuo qui factus eſt ei ex ſemine Dauid ſecundùm carnem* &c.

Vndecimus Vndecimum ibidem c. 9. *Quorum Patres ex quibus eſt Chriſtus ſecundùm carnem qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſecula.*

Duodecimus. Duodecimum ad Coloſſ.2. *In ipſo inhabitabat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter.*

Decimus tertius. Decimum tertium ad Tit. 2. *Apparuit gratia Dei Saluatoris noſtri.* Et infra: *Expectantes beatam ſpem & aduentum gloriæ magni Dei & ſaluatoris noſtri Ieſu Chriſti.*

Decimus quartus. Decimum quartum ad Hebr.1. *Nouiſſimè diebus iſtis loquutus eſt nobis in filio quem conſtituit hæredem vniuerſorum per quem fecit & ſecula, qui cùm ſit ſplendor, gloria & figura ſubſtantiæ eius, portansque omnia verbo virtutis ſuæ purgationem peccatorum faciens*, &c.

Digitized by

quæ illic habentur, quę quidem nonniſi diuinæ perſonę ſeu Deo competunt.

Præter hæc præcipua & alia Scripturæ teſtimonia accedit authoritas totius Eccleſiæ ſeu cõciliorum œcumenicorum præſertim Niceni ſedente Papa Siluestro, Conſtantinopolitani ſedente Damaſo, Epheſini ſedẽte Celeſtino & Calcedonenſis ſedẽte Leone primo, & aliorũ Conciliorũ tum generaliũ, cũ prouincialiũ. *Authoritas conciliarium.*

Præterea idem ratione probatur: tùm quia filius procedit à Deo patre naturali & immanenti proceſſione, vt ſupra oſtenſum eſt: tum quia perfectius eſt Deum Patrem producere filium ſibi æqualem & conſubſtantialem, quã inæqualem aut alterius ſubſtantiæ: tum quia fæcunditas quę in Deo reperitur (iuxta illud Iſaiæ 66. *Numquid ego qui alios parere facio ipſe non pariam, & qui generationem ceteris tribuo, ſterilis ero*) debet. eſſe multo perfectior quàm increaturis. quare ſi in creaturis filius eſt vnum quid cũ patre vnitate ſpecifica, erit in diuinis vnum quid cum patre vnitate numerica: tũ quia ſi Deus pater non genuiſſet filiũ eiuſdẽ numero ſubſtantiæ ſeu naturæ; vel quia non potuiſſet, vel quia noluiſſet; prius dici non poteſt, quia cum in diuinis id nullam implicet contradictionem, Deus argueretur impotentię; nec etiam poſterius, quia ſic Deus argueretur inuidię, quod repugnat ipſius ſummæ bonitati & liberalitati: tum quia cùm Deus ſeipſum cognoſcit, ac verbum mentis de ſeipſo producit, ſeipſum perfectè dicit, ac proindè ſeipsũ exactè exprimit; quod nõ eſſet

Idem ratione confirmatur. *Primò* *Secundò.* *Tertiò.* *Quart.* *Quintò.*

ſi verbum quod profert, ab ipſo vel ex parte deficeret: quare concludendum eſt verbum productum in diuinis, eſſe Deo Patri æquale, proindeque conſubſtantiale, quod idem eſt ac eſſe Deum ſicuti Deus Pater eſt.

Quomodo Arrianorũ obiectioni ſatisfaciendum.

Verùm aduerſus hanc filii conſubſtantialitatem multis ſacræ Scripturæ teſtimoniis & humanarum rationum momẽtis argumentabantur Ariani: quibus fermè omnibus non admodum erit difficile obſiſtere duobus Chriſtianæ doctrinæ fundamentis præſuppoſitis; nempe poſitâ duplicis naturæ in Chriſto diſtinctione, & pręterea poſita ipſius verbi ab alio origine: ſiquidem pleraque in ſacris litteris de Chriſto proferuntur, quæ diuinitati nequaquam conueniunt, ex quibus inferebant Ariani Chriſtum ſeu filium Dei non eſſe Deum: ſed immeritò, imò impiè; quia etſi ipſius diuinitati haudquaquam conuenirent, non tamen eam ab ipſo ablegarent: Etenim alia Chriſto vt homini, alia vt Deo competunt; permulta etiam eidem adſcribũtur quæ ipſius originem ab alio & quidem non obſcurè innuunt; vt ab alio mitti, omnia ab alio accepiſſe, &c. ſi de ipſo vt verbo non vt homine accipiantur, non tamen inæqualitatem inferunt, vt ſomniabant Ariani. Superſunt tamen nonnulla quæ peculiarem videntur habere difficultatem. Imprimis quod Ioan. 17. Pater dicatur ſolus verus Deus. Et ſimiliter 1. ad Timoth. vltimo, quò etiam ſpectat illud Lucæ 18. & Marci 10. *Quid me dicis bonum?* (inquit Chriſtus *nemo*) *bonus*

Prima ſpecialis obiectio.

Digitized by Google

bonus niſi ſolus Deus (ſcilicet Pater.) Reſpondetur dictionem illam excluſiuam (*ſolus*) additã alicui perſonæ diuinæ, non excludere alias perſonas vbi ſermo eſt de iis quæ eſſentialia ſunt, ſed eas res duntaxat excludere quæ ſunt diuerſæ naturæ & eſſentiæ à Deo. at verò ad illud Lucæ 18, & Mar. 10. Reſpondetur Chriſtũ loquutum fuiſſe ad mentem Adoleſcentis ipſum interrogantis qui ipſum hominem purum arbitrabatur. *Solutio.*

Secundo obiicies filium Dei dici creatum & factum in ſacris litteris; ſic enim ſapientia Dei per quam intelligitur filius Dei, ſeu verbum increatum dicitur creata Eccleſ. 24. & Prouerb. 8. item Actorum 1. *Deus hunc Ieſum Dominum & Chriſtum fecit.* ad Hebr. 1. *Præſtantior Angelis factus* Ioan. 1. *qui poſt me venit, ante me factus eſt.* Reſpondetur primò in ſacris litteris nonnumquam hęc vocabula creari, fieri, idem eſſe ac produci & gigni, ſicque ſatisfit locis allatis ex Eccleſiaſtico & Prouerbiis. Secundo reſpondetur Chriſtum in ſacris litteris dici factum ſecundùm carnem ſeu ratione humanitatis, vt in locis citatis ex Actibus & Epiſtola ad Hebr. Tertio reſpondetur diuum Ioannem Baptiſtam nil aliud ſignificare illis verbis quæ habentur Ioan. 1. quam Chriſtum ſibi prælatum fuiſſe iuxta illud, *Oportet illum creſcere me autem minui*, niſi mauis dicere Chriſtum dici factum, id eſt, genitum ſeu productum. *Obiectio. ſecunda.* *Solutio.*

Tertiò obiicies filium non poſſe eſſe coæuum Patri, hoc enim videtur apertę *Tertia obiectio.*

Digitized by Google

repugnare. Reſpondetur hoc quidem eſſe verum in creatis, non verò in diuinis vbi filius ab æterno generatur. Adde quod non repugnat etiam in creatis aliquid per omnipotentiam Dei ab æterno produci, vt aliàs oſtendimus vbi de poſſibili æternitate mundi in 2. parte Phyſicæ. Denique obiicies; Non poteſt idē Deus eſſe genitus ſimul & ingenitus, alioquin ſeipſum generaret, quod implicat; ſic enim idem eſſet & non eſſet à ſeipſo. Reſpondetur, licèt ſit idem Deus Pater ingenitus qui & filius genitus, non tamen idem ſeipſum generare; non enim ſeipſum Pater generat, aut filius à ſeipſo generatur, ſed Pater generat filium, & Filius à Patre generatur. Et licèt filius ſit idem Deus cum Patre, non tamen filius eſt idem abſolutè cum Patre, id eſt, eadem res ſeu perſona, vt ex prædictis conſtat, ſed hoc de conſubſtantialitate, ſeu diuinitate filii ſatis.

Solutio.

Quarta obiectio.

Solutio.

Quod ſpectat ad Spiritum ſanctum, non deſunt ſacræ Scripturæ teſtimonia præter ea quæ ſupra attulimus quæſt. 1. vbi oſtendimus Spiritum ſanctum eſſe perſonā in diuinis diſtinctam à Patre & Filio: & quęſt. 2. vbi oſtēdimus eſſe vnam ex tribus perſonis ſanctiſſimæ Trinitatis, quibus oſtenditur Spiritum ſanctum eſſe vere Deum, & quidem ex veteri Teſtamento Iob. 33. *Spiritus Domini fecit me*, 2. Regum 23. *Spiritus Domini loquutus eſt per me. dixit Deus Iſrael mihi loquutus eſt fortis Iſrel, & Dominator omnium.* Pſal. 143. *Spiritus tuus bonus deducet*

Spiritum ſanctum eſſe Deum probatur primo. Ex locis veteris Teſtamenti.

me &c. Sapientiæ 1. *Spiritus Domini repleuit orbem terrarum*. & Sapientiæ 7. dicitur *omne habens virtutem omnia proſpiciens*. Iſa. 61. *Spiritus Domini ſuper me &c.*

Ex nouo Teſtamento Lucæ 2. *Spiritus ſanctus ſuperueniet in te &c.* Matthei 4. & Lucæ 4, Chriſtus dicitur *ductus à Spiritu in deſertum* & Matt. 12. Lucæ item 12. & Marci 13. *Blaſphemia in Spiritum ſanctum* dicitur irremiſſibilis. Matth. vltimo Spiritus ſanctus ſignificatur eſſe auctor regenerationis non ſecus ac Pater & filius *Baptizantes eos &c.* ſic Ioã. 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu.* &c. ad Titum 3. *Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis & renouationis Spiritus ſancti* Matth. 12 teſtatur Chriſtum in Spiritu Dei eiicere dæmonia Actorum 5. *Cur tentauit Sathanas cor tuum mentiri te Spiritui ſancto? non es mentitus hominibus, ſed Deo.* Actorum 10. Petro cogitante de viſione dixit Spiritus Dei: *Ecce tres viri quærunt te.* & Actorum 16. *Paulus ac Timotheus prohibiti ſunt à Spiritu ſancto loqui verbum in Aſia.* Actorum 18. *Bene Spiritus ſanctus eſt loquutus per Iſaiam prophetam dicens, vade ad populum iſtum, & dic ad eos, aure audiatis*: quæ verba ipſi Deo vero tribuuntur Iſa. 6. vt multa alia noui Teſtamenti teſtimonia prætermittam vbi ea quæ ſine controuerſia de vero Dei in veteri teſtamento intelliguntur, aſcribuntur Spiritui ſancto: adde quod paſſim in actibus Apoſtolorum dicitur Spiritus ſanctus deſcendere ſupra fideles ad Roman. 4. *Si autem Spiritus eius*

Idem probatur ex locis noui Teſtamẽti.

Digitized by Google

qui ſuſcitauit Chriſtum à mortuis habitat in vobis. &c. ad Rom. 5. *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum qui datus eſt nobis.* ad Rom. 14. *Non eſt regnum Dei eſca & potus, ſed iuſtitia, pax & gaudium in Spiritu ſancto.* 1. ad Corinth. 3. *Neſcitis quia templum Dei eſtis, & Spiritus Dei habitat in vobis &c.* & ibidem cap. 6. *An neſcitis quoniam membra veſtra templum ſunt Spiritus ſancti qui in vobis eſt?* 2. Petri 1. cap. Spiritu ſancto inſpirati loquuti ſunt ſancti homines: in quibus locis vides quàm multa tribuantur Spiritui ſancto quæ nonniſi vero Deo competunt, vt creatio, iuſtificatio, inhabitatio ſpiritualis, &c.

Idem probatur authoritate conſiliorũ. Adde his conſenſum totius Eccleſiæ & Cõciliorum, præſertim Conſtantinopolitani, quod maximè aduerſus Macedonium qui Spiritus ſancti diuinitatem negabat habitum eſt ſedente Papa Damaſo & Seniore Theodoſio imperante.

Idem ratione comprobatur. Primo. Ratione etiam probatur, tum quia cùm ex proceſſione diuina quæ fit per intellectum, colligatur ſecunda perſona in diuinis quæ ſit eadem cum Patre generante in natura & eſſentia: pari ratione colligi debet ex proceſſione diuina per voluntatem tertia perſona quæ ſit eadẽ in natura cũ perſona producente: *Secundo.* ſiquidem æqualis eſt fæcunditas & poteſtas vtriuſque facultatis in diuinis: tum quia pleræque rationes quibus concluditur filium eſſe conſubſtantialem Patri, probant etiam Spiritum ſanctum debere eſſe vtrique conſubſtan- *Tertio.* tialem. Adde quod poſitâ hac tertiâ perſonâ

in diuinis mira effloreſcit diuini iſtius myſterii pulchritudo, dum tres in vno Deo perſonę conſpiciuntur, quarum vna ab altera, & tertia ab vtraque procedit; quarum vna ſit alterius ſplendor, & tertia vtriuſque ardor; vna alterius ſapientia, & tertia vtriuſque dilectio mutua; vna ſit producens non producta, alia producens & producta, tertia non producens, ſed producta.

Porrò quia nomen (Spiritus) variè accipitur in ſacris litteris, nempe vel pro ipſa Dei natura & pro Deo vno, quomodo tota Trinitas dici poteſt Spiritus; vel pro Angelica natura vt cùm dicitur Pſalm. 103. *Qui facis Angelos tuos Spiritus*, vel pro anima hominis, vt cùm dicitur Pſal. 145 *Exibit Spiritus eius*; vel etiam pro vento ſeu aëre, vt cùm dicitur Pſal. 147. *Flabit Spiritus eius & fluent aquæ*. hinc fit vt Macedoniani nonnulla ſacrarum litterarum teſtimonia Spiritui ſancto aſcripſerint, quæ nonniſi de Spiritu creato accipienda ſunt, vt inde concluderent Spiritum ſanctum non eſſe Deum, & nonnulla alia eidem tribuerint quę de Deo vno ſeu natura diuina intelligenda ſunt, vt inde inferrent Spiritum ſanctum non diſtingui à Deo Patre. Nota etiam diligenter multa de Spiritu ſancto dici, ſicut & de filio in ſacris litteris, præſertim in Euangelio quæ originem ſeu proceſſionem ipſius ab alio, non verò inęqualitatem (vt inde falſò colligunt Ariani & Macedoniani) ſignificant: vt cùm dicitur Mitti, ea quæ docet didiciſſe, non à ſeipſo loqui, &c. ex quibus benè intellectis

Varia & multiplex acceptio Spiritus.

Notandū

An ſingulæ tres perſonæ ſint Deus.
QVÆSTIO III.

SIcut duæ præcedentes quęſtiones contra Sabellianos maximè inſtitutæ ſunt, ita duæ ſequentes maximè contra Arianos, & quidē propoſitæ quæſtionis ſenſus eſt, an vnaquæque perſona ſit verè Deus; an verò ſit vnus Deus, ſequenti quæſtione explicabitur.

Patrem eſſe Deum nemo dubitat.

Quod igitur ſpectat ad Patrem nulla eſt difficultas; neque enim vllus hæreticorum negauit Patrem in diuinis eſſe Deum, quamuis nonnulli, vt Sabelliani & Ariani negauerint Deum eſſe verè & naturaliter patrem, quia naturalem æterni verbi generationem negauerunt, quamuis tamen verè appellari debere patrem ſiue reſpectu Chriſti, ſiue reſpectu cæterorum hominum non diffiteantur. Aperta ſunt in ſacris litteris teſtimonia quibus patrē eſſe verè Deum apertiſſimè oſtenditur, præſertim in nouo Teſtamento, vbi frequenter Chriſtus patrem ſuum eſſe Deum non obſcurè ſignificat, licèt Iudæi ob nimiam mentis cæcitatem aliquando non intelligerent. *Et non cognouerunt* (inquit Euangeliſta Ioan. c. 8.) *quia patrem eius dicebat Deum*; tota igitur difficultas eſt de Filio & Spiritu ſancto: poſſet autem vtriuſque diuinitas generaliter probari ex iis locis quibus præcedenti quęſtione probauimus tres eſſe perſonas in diuinis: Adde quod ex iiſdem locis, earum perſonarum æqualis virtus & dignitas facilè colligitur adde etiam

Vtramque perſonam à procedentē eſſe Deum oſtenditur.

rationes quibus etiam generatim probari poteſt quod quidquid tum naturaliter, cùm immanenter procedit a Deo, Deus eſt; quo fit vt cùm filius & Spiritus ſanctus procedant proceſſione quadam naturali & immanenti, vt ex prædictis conſtat, neceſſariò concludendum ſit tùm filium cùm Spiritum ſanctum eſſe Deum. Vbi aduerte obiter nos hîc naturale appellare quod opponitur ſpontaneo ſeu libero. Probatur igitur primum, nempè quod quidquid procedit à Deo naturaliter, Deus ſit: Quidquid naturaliter operatur, illud ſecundùm omnem vim ſuam operatur, quò fit vt ſi ſit aliquod agẽs virtutis infinitæ quod naturaliter operetur operatione quadam ſubſtantiali, neceſſe ſit vt producat effectum ſubſtãtialiter infinitum: at nihil poteſt eſſe à Deo ſubſtantialiter infinitum, quia ſit Deus. Adde quod quidquid naturaliter & ſubſtantialiter ab aliquo procedit, de ipſius eſſentia ſeu ſubſtantia producitur: atqui nõ ſolet aliquid produci de ſubſtantia alterius, niſi ſit eiuſdem cũ ipſo ſubſtantiæ ſaltem in ſpecie. Probatur etiã ſecundum, nempè quod quidquid à Deo procedit immanenter, Deus eſt; quia quidquid procedit immanenter ab aliquo, manet in eo à quo procedit. atqui quidquid in Deo ſeu in ipſa Dei ſubſtantia manet ac reſidet, Deus eſt (vt aliàs oſtenſum eſt) ergo quidquid procedit immanenter à Deo, Deus eſt.

Filium ſeu Verbum eſſe Deum probatur ex variis ſacræ ſcripturæ locis.

Quod verò ſpecialiter ſpectat ad filium ſeu Verbũ quod verè ſit Deus, probatur primum authoritatibus veteris Teſtamenti, & vt loca

ea prætermittamus quæ ſine dubio de Deo dicuntur in veteri teſtamento & ipſi Chriſto qui eſt verbum & filius Dei in nouo teſtamento attribuuntur, vt in Epiſtola Iudæ & cap. 1. ad Hebræos.

Loca ex veteri teſtam.

Primus. Primus locus ſit Iob. 19. *Scio quod Redemptor meus viuit*, &c. *& in carne mea videbo Deum*, vbi etiam quædam manuſcripta addunt (*Saluatorem meum*) quod de Meſſia ſeu Chriſto ac Dei filio intelligēdum eſt, cū Deus Pater non poſſit carneis oculis videri, *Secundus.* ſecundus pſalmo 44. vbi Dauid inchoatum ſermonem de filio Dei ſeu Chriſto, quem ſpecioſum formâ præ filiis hominum dixerat, proſequens ait; *Seddes tua Deus in ſæculum ſæculi, virga directionis virga regni tui.* *Tertius.* Tertius pſalm 109 pater filium alloquens inter cætera ait: *Tecum principium in die virtutis tuæ.* *Quartus.* 4. prouerb. 3. *quod nomen eſt eius aut quod nomen filii eius ſit noſti.* *Quintus.* Quintus Iſa. 8. *Ecce virgo concipiet*, &c. *& vocabitur nomen eius Emanuel*, id eſt *nobiſcum Deus*. *Sextus.* 6. Iſa. 9. *Paruulus natus eſt nobis filius datus eſt nobis*, &c. *& vocabitur nomen eius, admirabilis, conſiliarius, Deus fortis* &c. *Septimus.* 7. Iſa. 35. de Meſſia futuro quem eſſe Ieſum Chriſtū in 2. parte huius Summę probabimus) *Octauus.* *Deus* (inquit) *ipſe veniet & ſaluabit nos tunc aperientur oculi cæcorum* &c. 8. Iere. 33. *In diebus illis ſaluabitur Iuda & Iſrael habitabit confidenter & hoc eſt nomen quo vocabunt eum Dominus iuſtus noſter*, vbi habetur nomen Tetragrammaton Iehoua quod ſoli Deo competit 9. Mich. 5. *Nonus.* *Et tu Bethleem Ephrata paruulus es in millibus Iuda: ex te mihi egredietur qui ſit dominator in Iſrael*, &

egreſſus eius ab initio à diebus æternitatis. 10. Zach. 2. *Lauda & lætare filia Sion, ecce ego venio & habitabo in medio tui, dicit Dominus.* Vbi etiã vſurpatur nomen tetragrãmatõ Iehoua 11. Zachariæ 12. *Et effũdam ſuper domum Dauid & ſuper habitatores Hieruſalem ſpiritum gratiæ & precum, & aſpicient in me quem confixerunt*: Atqui effundere ſpiritum gratiæ nemini præterquam Deo competit iuxta illud Pſalmiſtæ *Gratiam & gloriam dabit Dominus* 12. Baruc 3. *Hic eſt Deus noſter & non æſtimabitur alius aduerſus eum: hic adinuenit omnem viam diſciplinæ, & tradidit illam Iacob puero eius, & Iſrael dilecto ſuo poſt hæc in terris viſus & cum hominibus conuerſatus eſt.*

Decimus.

Vndecimus

Duodecimus.

Comprobatur etiam aliis teſtimoniis noui teſtamenti. Primum eſt ex cap. 1. Ioan *In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum: hoc* (ſupple verbum) *erat in principio apud Deum, omnia per ipſum facta ſunt.* & poſtea: *Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis.* Et Paulò poſt, *De plenitudine eius omnes accepimus*: Quæ omnia non niſi de vero & naturali æterno, & conſubſtantiali Dei filio vero Deo accipi poſſunt. Secundum c. 3. *Nemo aſcendit in cœlum niſi qui deſcendit de cœlo filius hominis qui eſt in cœlo.* Tertium ibidem & aliàs vt primo cap. Filius appellatur vnigenitus Dei quod non de adoptiuo filio dici poteſt, cùm ſint plures adoptiui: quare de naturali filio accipiendum eſt; qui cùm non poſſit eſſe niſi eiuſdem naturæ ex prædictis neceſſariò eſt dicendus Deus

Loca ex nouo teſtam.

Primus.

Secundus

Tertius.

Digitized by Google

Quartus. Quartum Ioa.5. *Propterea magis quærebant Iudæi eum interficere, quia patrem ſuum dicebat Deum æqualem ſe faciens Deo*: quò ſpectat illud Apoſt. ad Phil.2. *Non rapinam arbitratus eſt ſe eſſe æqualem Deo*: At nemo æqualis Deo eſſe poteſt qui non ſit Deus. *Quintus.* Quintũ Ioã.8. *Dicebant ergo ei Iudei, Tu quis es? Dixit: Ieſus eis Principiũ qui & loquor vobis.* *Sextus.* Sextum Ioan.9. *Ego & pater vnum ſumus.* *Septimus.* Septimum Ioan.14 *Qui videt me, Philippe, videt & patrem meum: an neſcis quia ego in patre, & pater in me eſt?* *Octauus.* Octauum Ioan.17. *Chriſtus alloquẽs patrem, Omnia tua* (inquit) *mea ſunt* &c. *Nonus.* Nonum Ioan.20. vbi Thomas exclamaſſet (*Dominus meus & Deus meus*) Chriſtus ipſum nequaquam reprehendit, ſed potius dictum eius confirmauit: *Quia* (inquit) *vidiſti me Thoma, credidiſti* &c. ſiquidem iuxta diuum Auguſtinum hominem in Chriſto vidit, & Deum credidit. *Decimus.* Decimum ad Rom. 1. *Loquens de filio ſuo qui factus eſt ei ex ſemine Dauid ſecundùm carnem* &c. *Vndecimus* Vndecimum ibidem c. 9. *Quorum Patres ex quibus eſt Chriſtus ſecundùm carnem qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſecula.* *Duodecimus.* Duodecimum ad Coloſſ.2. *In ipſo inhabitabat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter.* *Decimus tertius.* Decimum tertium ad Tit. 2. *Apparuit gratia Dei Saluatoris noſtri.* Et infra: *Expectantes beatam ſpem & aduentum gloriæ magni Dei & ſaluatoris noſtri Ieſu Chriſti.* *Decimus quartus.* Decimum quartum ad Hebr.1. *Nouiſſimè diebus iſtis loquutus eſt nobis in filio quem conſtituit hæredem vniuerſorum per quem fecit & ſecula, qui cùm ſit ſplendor, gloria & figura ſubſtantię eius, portanſque omnia verbo virtutis ſuæ purgationem peccatorum faciens*, &c.

quæ illic habentur, quę quidem nonniſi diuinæ perſonę ſeu Deo competunt.

Præter hæc præcipua & alia Scripturæ teſtimonia accedit authoritas totius Eccleſiæ ſeu cōciliorum œcumenicorum præſertim Niceni ſedente Papa Siluestro, Conſtantinopolitani ſedente Damaſo, Epheſini ſedēte Celeſtino & Calcedonenſis ſedēte Leone primo, & aliorū Conciliorū tum generaliū, cū prouincialiū. *Authoritas conciliarium.*

Præterea idem ratione probatur: tùm quia filius procedit à Deo patre naturali & immanenti proceſſione, vt ſupra oſtenſum eſt: tum quia perfectius eſt Deum Patrem producere filium ſibi æqualem & conſubſtantialem, quā inæqualem aut alterius ſubſtantiæ: tum quia fæcunditas quę in Deo reperitur (iuxta illud Iſaiæ 66. *Numquid ego qui alios parere facio ipſe non pariam, & qui generationem cęteris tribuo, ſterilis ero*) debet. eſſe multo perfectior quàm increaturis. quare ſi in creaturis filius eſt vnum quid cū patre vnitate ſpecifica, erit in diuinis vnum quid cum patre vnitate numerica: tū quia ſi Deus pater non genuiſſet filiū eiuſdē numero ſubſtantiæ ſeu naturæ; vel quia non potuiſſet, vel quia noluiſſet; prius dici non poteſt, quia cum in diuinis id nullam implicet contradictionem, Deus argueretur impotentię; nec etiam poſterius, quia ſic Deus argueretur inuidię, quod repugnat ipſius ſummæ bonitati & liberalitati: tum quia cùm Deus ſeipſum cognoſcit, ac verbum mentis de ſeipſo producit, ſeipſum perfectè dicit, ac proinde ſeipsū exactè exprimit; quod nō eſſet

Idem ratione confirmatur. Primò Secundò. Tertiò. Quartò. Quintò.

ſi verbum quod profert, ab ipſo vel ex parte deficeret: quare concludendum eſt verbum productum in diuinis, eſſe Deo Patri æquale, proindeque conſubſtantiale, quod idem eſt ac eſſe Deum ſicuti Deus Pater eſt.

Quomodo Arrianorū obiectioni ſatisfaciendum.

Verùm aduerſus hanc filii conſubſtantialitatem multis ſacræ Scripturæ teſtimoniis & humanarum rationum momētis argumentabantur Ariani: quibus fermè omnibus non admodum erit difficile obſiſtere duobus Chriſtianæ doctrinæ fundamentis præſuppoſitis; nempe poſitâ duplicis naturæ in Chriſto diſtinctione, & prętereà poſita ipſius verbi ab alio origine: ſiquidem pleraque in ſacris litteris de Chriſto proferuntur, quæ diuinitati nequaquam conueniunt, ex quibus inferebant Ariani Chriſtum ſeu filium Dei non eſſe Deum: ſed immeritò, imò impiè; quia etſi ipſius diuinitati haudquaquam conuenirent, non tamen eam ab ipſo ablegarent: Etenim alia Chriſto vt homini, alia vt Deo competunt; permulta etiam eidem adſcribūtur quæ ipſius originem ab alio & quidem non obſcurè innuunt; vt ab alio mitti, omnia ab alio accepiſſe, &c. ſi de ipſo vt verbo non vt homine accipiantur, non tamen inæqualitatem inferunt, vt ſomniabant Ariani. Superſunt tamen nonnulla quæ peculiarem videntur habere difficultatem. Imprimis quod Ioan. 17. Pater dicatur ſolus verus Deus. Et ſimiliter 1. ad Timoth. vltimo, quò etiam ſpectat illud Lucæ 18. & Marci 10. *Quid me dicis bonum?* (inquit Chriſtus *nemo*)

Prima ſpecialis obiectio.

bonus

bonus niſi ſolus Deus(ſcilicet Pater.) Reſpondetur dictionem illam excluſiuam (*ſolus*) additã alicui perſonæ diuinæ, non excludere alias perſonas vbi ſermo eſt de iis quæ eſſentialia ſunt, ſed eas res duntaxat excludere quæ ſunt diuerſæ naturæ & eſſentiæ à Deo. at verò ad illud Lucæ 18, & Mar. 10. Reſpondetur Chriſtũ loquutum fuiſſe ad mentem Adoleſcentis ipſum interrogantis qui ipſum hominem purum arbitrabatur. *Solutio.*

Secundo obiicies filium Dei dici creatum & factum in ſacris litteris; ſic enim ſapientia Dei per quam intelligitur filius Dei, ſeu verbum increatum dicitur creata Eccleſ. 24. & Prouerb. 8. item Actorum 1. *Deus hunc Ieſum Dominum & Chriſtum fecit*, ad Hebr. 1. *Præſtantior Angelis factus* Ioan. 1. *qui poſt me venit, ante me factus eſt*. Reſpondetur primò in ſacris litteris nonnumquam hęc vocabula creari, fieri, idem eſſe ac produci & gigni, ſicque ſatisfit locis allatis ex Eccleſiaſtico & Prouerbiis. Secundo reſpondetur Chriſtum in ſacris litteris dici factum ſecundùm carnem ſeu ratione humanitatis, vt in locis citatis ex Actibus & Epiſtola ad Hebr. Tertio reſpondetur diuum Ioannem Baptiſtam nil aliud ſignificare illis verbis quæ habentur Ioan. 1. quam Chriſtum ſibi prælatum fuiſſe iuxta illud, *Oportet illum creſcere me autem minui*, niſi mauis dicere Chriſtum dici factum, id eſt, genitum ſeu productum. *Obiectio. ſecunda.* *Solutio.*

Tertiò obiicies filium non poſſe eſſe coæuum Patri, hoc enim videtur aperte *Tertia obiectio.*

Digitized by Google

repugnare. Reſpondetur hoc quidem eſſe verum in creatis, non verò in diuinis vbi filius ab æterno generatur. Adde quod non repugnat etiam in creatis aliquid per omnipotentiam Dei ab æterno produci, vt aliàs oſtendimus vbi de poſſibili æternitate mundi in 2. parte Phyſicæ. Denique obiicies; Non poteſt idē Deus eſſe genitus ſimul & ingenitus, alioquin ſeipſum generaret, quod implicat; ſic enim idem eſſet & non eſſet à ſeipſo. Reſpondetur, licèt ſit idem Deus Pater ingenitus qui & filius genitus, non tamen idem ſeipſum generare; non enim ſeipſum Pater generat, aut filius à ſeipſo generatur, ſed Pater generat filium, & Filius à Patre generatur. Et licèt filius ſit idem Deus cum Patre, non tamen filius eſt idem abſolutè cum Patre, id eſt, eadem res ſeu perſona, vt ex prædictis conſtat, ſed hoc de conſubſtantialitate, ſeu diuinitate filii ſatis.

Solutio.

Quarta obiectio.

Solutio.

Spiritum ſanctum eſſe Deum probatur primo. Ex locis veteris Teſtamenti.

Quod ſpectat ad Spiritum ſanctum, non deſunt ſacræ Scripturæ teſtimonia præter ea quæ ſupra attulimus quæſt. 1. vbi oſtendimus Spiritum ſanctum eſſe perſonā in diuinis diſtinctam à Patre & Filio: & quęſt. 2. vbi oſtēdimus eſſe vnam ex tribus perſonis ſanctiſſimæ Trinitatis, quibus oſtenditur Spiritum ſanctum eſſe vere Deum, & quidem ex veteri Teſtamento Iob. 33. *Spiritus Domini fecit me*, 2. Regum 23. *Spiritus Domini loquutus eſt per me. dixit Deus Iſrael mihi loquutus eſt fortis Iſrel, & Dominator omnium*. Pſal. 143. *Spiritus tuus bonus deducet*

me &c. Sapientiæ 1. *Spiritus Domini repleuit orbem terrarum*. & Sapientiæ 7. dicitur *omne habens virtutem omnia proſpiciens*. Iſa. 61. *Spiritus Domini ſuper me &c.*

Ex nouo Teſtamento Lucæ 2. *Spiritus ſanctus ſuperueniet in te &c.* Matthei 4. & Lucæ 4, Chriſtus dicitur *ductus à Spiritu in deſertum* & Matt. 12. Lucæ item 12. & Marci 13. *Blaſphemia in Spiritum ſanctum* dicitur irremiſſibilis. Matth. vltimo Spiritus ſanctus ſignificatur eſſe auctor regenerationis non ſecus ac Pater & filius *Baptizantes eos &c.* ſic Ioā. 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu.* &c. ad Titum 3. *Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis & renouationis Spiritus ſancti* Matth. 12 teſtatur Chriſtum in Spiritu Dei eiicere dæmonia Actorum 5. *Cur tentauit Sathanas cor tuum mentiri te Spiritui ſancto? non es mentitus hominibus, ſed Deo.* Actorum 10. Petro cogitante de viſione dixit Spiritus Dei: *Ecce tres viri quærunt te.* & Actorum 16. *Paulus ac Timotheus prohibiti ſunt à Spiritu ſancto loqui verbum in Aſia.* Actorum 18. *Bene Spiritus ſanctus eſt loquutus per Iſaiam prophetam dicens, vade ad populum iſtum, & dic ad eos, aure audiatis*: quæ verba ipſi Deo vero tribuuntur Iſa. 6. vt multa alia noui Teſtamenti teſtimonia prætermittam vbi ea quæ ſine controuerſia de vero Dei in veteri teſtamento intelliguntur, aſcribuntur Spiritui ſancto: adde quod paſſim in actibus Apoſtolorum dicitur Spiritus ſanctus deſcendere ſupra fideles ad Roman. 4. *Si autem Spiritus eius*

Idem probatur ex locis noui Teſtamēti.

in diuinis mira effloreſcit diuini iſtius myſterii pulchritudo, dum tres in vno Deo perſonę conſpiciuntur, quarum vna ab altera, & tertia ab vtraque procedit; quarum vna ſit alterius ſplendor, & tertia vtriuſque ardor; vna alterius ſapientia, & tertia vtriuſque dilectio mutua; vna ſit producens non producta, alia producens & producta, tertia non producens, ſed producta.

Porrò quia nomen (Spiritus) variè accipitur in ſacris litteris, nempe vel pro ipſa Dei natura & pro Deo vno, quomodo tota Trinitas dici poteſt Spiritus; vel pro Angelica natura: vt cùm dicitur Pſalm. 103. *Qui facis Angelos tuos Spiritus*, vel pro anima hominis, vt cùm dicitur Pſal. 145. *Exibit Spiritus eius*; vel etiam pro vento ſeu aëre, vt cùm dicitur Pſal. 147. *Flabit Spiritus eius & fluent aquæ*. hinc fit vt Macedoniani nonnulla ſacrarum litterarum teſtimonia Spiritui ſancto aſcripſerint, quæ nonniſi de Spiritu creato accipienda ſunt, vt inde concluderent Spiritum ſanctum non eſſe Deum, & nonnulla alia eidem tribuerint quę de Deo vno ſeu natura diuina intelligenda ſunt, vt inde inferrent Spiritum ſanctum non diſtingui à Deo Patre. Nota etiam diligenter multa de Spiritu ſancto dici, ſicut & de filio in ſacris litteris, præſertim in Euangelio quæ originem ſeu proceſſionem ipſius ab alio, non verò inęqualitatem (vt inde falſò colligunt Ariani & Macedoniani) ſignificant: vt cùm dicitur Mitti, ea quæ docet didiciſſe, non à ſeipſo loqui, &c. ex quibus benè intellectis

Varia & multiplex acceptio Spiritus.

Notandũ

facile erit hæreticorum argumenta diluere.

An tres perſonæ ſint vnus Deus. QVÆSTIO IV.

REM ita eſſe aduerſus veteres Hæreticos quos Peratas appellat Theodoretus li. 1. de fabulis hæreticorum c. 18. & recẽtiores qui dicuntur Tritheitæ Valentini cuiuſdam Itali ſectatores, & in genere aduerſus omnes Arianos tum authoritate cùm ratione probari poteſt. Et quidem imprimis authoritate ſacrarum litterarum præſertim iis locis in quibus non tantùm perſonarum pluralitas ſignificatur, ſed ſimul etiam eſſentiæ ſeu naturę vnitas inſinuatur, vti etiam ſupra obiter adnotauimus. Sic Geneſ. primo, vbi habetur Hebraice Barah Elohim, creauit Deus, nõ tantũ nomine plurali Elohim ſignificatur pluralitas perſonarum, ſed etiam verbo ſingulari Barah ſignificatur naturę vnitas: Item Geneſ. 18. Abrahamus cùm tres vidiſſet, vnum tamen alloqui & adorare ſignificatur: ſic poſtquam Pſalmiſta ter Deum inuocauit Pſalm. 66. *Benedicat* inquit *nos Deus, Deus noſter, benedicat nos Deus*: addidit, *& metuant eum omnes fines terræ*. ad ſignificandam naturæ vnitatem. ſic Iſaiæ 6. *Poſtquam Seraphim ter exclamarunt Sanctus ſanctus, ſanctus*, additur *Dominus Deus exercituum*, ad ſignificandum tres perſonas vnum eſſe Deum. Similiter Matth. 28. cùm dicitur: *Baptizantes eos in nomine Patris*

Aſſertio catholica probatur primo authoritate ſacræ Scripturæ.

&c. non verò in nominibus, quid quæſo aliud ſignificatur quam eandem plane in ſingulis perſonis authoritatem, potentiam, ac virtutem ineſſe? Præterea Apoſtolus cùm dixiſſet ad Roman. 11. *Quoniam ex ipſo per ipſum, & in ipſo ſunt omnia*, ad ſignificandum vnum eſſe Deum, addidit *ipſi gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.* Sed apertiſſimus eſt locus primæ Ioan. 5. *Tres ſunt*, inquit Euangeliſta, *qui teſtimonium dant in cælo Pater, Verbum, & Spiritus ſanctus, & hi tres ſunt vnum.*

Secundò authoritate Conciliorum.

His adde authoritatem Conciliorum œcumenicorum Niceni, & cæterorum; pręterea conſenſum omnium ſanctorum Patrum. Ratione verò ex prædictis eadem veritas facili negotio comprobatur: conſtat enim ex pręcedenti quęſtione ſingulas perſonas eſſe Deum, conſtat etiã ex iis quę docuimus tũ de exiſtentia cùm de vnitate Dei pręcedenti tractatu huius partis, vnum eſſe Deum, & non plures eſſe poſſe; concludendum igitur eſt ex præmiſſis tres perſonas eſſe vnum Deum.

Tertio ratione comprobatur.

Sanctiſſ. Trinitatis vnitas multiplici ſimilitudine illuſtratur.

Quomodo autem in diuinis tria eſſe poſſint vnum, multis rerum creatarum exemplis illuſtrari ſolet, verbi gratia, cùm vna candela accendit aliã, & ambę tertiã, & tres ſimul coniunguntur, ex iſtis tribus exiſtit vnum lumen; ſic videtur eſſe res eadem lux in ſole, radius in aëre, & ſplendor reflexus in pariete; ſic eadem eſt aqua in fonte, riuulo, & ſtagno: ſic in iride color triplex vnicũ lumen, eſt: ſimiliterq; ſciẽtia vna eadẽque ab vno alteri & ab ambobus tertio communicata: ſic quoque idem lumen

Digitized by Google

in aëre, in ſpeculo concauo, & in ſtupa igne accenſa: ſimiliter in eodem indiuiduo idem videtur eſſe materia & forma & natura ex iis compoſita; licèt in hac ſimilitudine ſicut & aliis ſit ſemper aliqua diſſimilitudo. Verùm vt alia id genus prætermittam in anima rationali quę propterea ad imaginem & ſimilitudinem Dei dicitur creata elucet peculiare quoddam altiſſimi iſtius myſterii veſtigium: nam in vna animę eſſentia tres ſunt potentiæ ſeu facultatés, nempe memoria, intellectus, & voluntas, quæ licèt ſuis inter ſe actibus diſtinguantur, ab ipſa tamen animæ eſſentia ſaltem iuxta probabilem multorum opinionem nequaquam diſtinguũtur. lege Diuum Auguſt. lib. 6. de Trinitate, vbi hanc ſimilitudinem ex inſtituto proſequitur, vbi etiam inter cætera ſic habet: *Mens meminit ſui, intelligit ſe, diligit ſe & hæc tria non ſunt tres vitæ, ſed vna vita.* lege eumdem ſanctum Auguſt. lib. 10. de Trinitate cap. 11. item lib. 14. de Trin. & Magiſtrum Sententiarum lib. 1. D. 3.

Quid ſignificat nomen Trinitatis in diuinis.

QVÆSTIO V.

EX prædictis quęſtionibus non eſt difficile intelligere quid ſit Trinitas in diuinis & quatenus hoc nomine vti poſſimus. Non igitur ſignificat iſtud nomen eſſentiam, quaſi trium vnitas diceretur; neque relationes perſonarum, quia ex ſui ſignificatione non re-

Digitized by Google

fertur ad aliud; ſed ſignificat numerum perſonarum. Cùm autem in diuinis admittatur pluralitas perſonarum, nihil obeſt quominus vti debeamus nomine Trinitatis; quod enim ſignificat (pluralitas) indeterminatè, hoc ſignificat (Trinitas) determinatè. Neque tantùm hoc vocabulum ſignificat formaliter numerum trium perſonarum, ſed etiam tres perſonas numeratas, & id quidem ex communi vſu cum ordine ſeu reſpectu ad vnitatem naturæ, itavt cùm dicitur (ſanctiſſima Trinitas) idem ſit ac ſi dicātur (ſanctiſſimæ tres perſonæ, quæ ſunt vnus Deus) Itaque dici poteſt quod iſtud vocabulum formaliter ſignificat determinatum perſonarum numerum, & ſupponit pro tribus perſonis, ac ſimul connotat in ipſis naturæ vnitatem.

Trinitas ſignificat numerum perſonarũ ac ipſas perſonas.

Licèt autem vtamur hoc nomine Trinitatis, abſtinendum tamen eſt in diuinis à vocabulo Triplicitatis; tum quia ex vi ſuæ ſignificationis vnitati naturæ videtur aduerſari; tùm quia in ſuo ſignificatu aliquam inuoluit inæqualitatis proportionem quæ nulla eſſe poteſt in diuinis; triplex enim maius eſt eo cuius reſpectu dicitur triplex, tota autem Trinitas non eſt maior vnâ ſolâ perſonâ: ita D. Th. hîc quæſt. 31. art. 1. ad 3. idque ex D. Auguſt. lib 6. de Trinit. c. 7.

Nota circa vocabulũ triplicitatis

Porrò Deus non tantùm Trinus, ſed etiam Trinitas dici poteſt, cùm Deus non differat ab entitate trium perſonarum quæ nomine Trinitatis ſignificantur: neque enim termini numerales quidquam poſitiuum addunt ad res

ipſas quibus apponuntur, ſed ipſaſmet ſignificant cum duplici negatione, nempe diuiſionis à ſeipſo, & identitatis cum alio: ex quo intelligis cùm dicimus diuinas perſonas eſſe tres, ſiue in Deo eſſe Trinitatem, nos nihil quidquam poſitiuum addere ad ipſas perſonas, aut ad ipſum Deum.

Quomodo vtendum ſit aliis quibuſdam terminis ad pluralitatem & vnitatem perſonarum pertinentibus.

QVÆSTIO VI.

QVONIAM cùm de Trinitate ſermo habetur, cauendi ſunt maximè duo extremi errores, Arij ſcilicet, qui cum Trinitate perſonarum poſuit ſubſtantiarum trinitatem, & Sabellij qui cum vnitate eſſentiæ vnitatem perſonæ admiſit; idcirco cauendum eſt maximè ab iis vocabulis in quibus nonnihil alterutrius erroris latere poteſt: idcirco quomodo iis vtēdum ſit ſequentibus propoſitionibus declarabitur.

Prima propoſitio. Sit igitur prima propoſitio. Ad euitandum errorem Arij repudianda ſunt imprimis nomina (diuerſitatis) & (differentiæ) ne tollatur vnitas eſſentię, niſi fortè pro diſtinctione vſurpentur, item nomina ſeparationis, & diuiſionis, ne ſimplicitati diuinæ fiat iniuria; diſparitatis, quoque, ne perſonarum violetur æqualitas. Denique, alieni, & diſcrepantis, ne ſubſtantialis tollatur ſimilitudo.

Secunda propoſitio. Secunda propoſitio. Ad vitandum errorem Sabellii remouenda ſunt etiam à Deo nōnulla nomina: imprimis nomen, ſingularis, ne com-

Digitized by Google

municabilitas eſſentiæ tollatur; deinde nomẽ (vnici) ne quid de perſonarum numero detrahatur; confuſi, ne originis ordo ſubuertatur; denique ſolitarii, ne trium perſonarum conſortium dirimatur.

Tertia propoſitio. Rectè poteſt dici filius eſſe alius à Patre & ecõtrà, ſimiliterq; Spir. ſanctus alius à Patre & Filio, & ecõtrà, quia iſte terminus ſic poſitus importat tãtũ diſtinctionẽ ſuppoſiti; itemq; rectè dici poteſt filius eſſe aliud ſuppoſitũ à Patre & ecõtra, ſimiliterq. Spir. S. eſſe aliud ſuppoſitũ à Patre & Filio, & ecõtra, nõ tamẽ rectè dici poteſt quod filius ſit alius Deus à Patre, aut Spirit. S. alius Deus à Filio & Patre, nec ecõtrà; neq; etiã dici poteſt propriè loquẽdo Filiũ eſſe aliud quid à Patre ſicut nec Spir. S. aut ecõtrà: etſi .n. iſtud poſtremũ in vero ſenſu dici poſſit, ſi per iſtud aliud quid intelligatur aliud ſuppoſitum, quia tamen poteſt hîc latere venenum aliquod Arianiſmi, eo quòd cõmuniter aliquid dicitur eſſe aliud quid ab alio, quod eſt alterius naturæ, idcircò Latini Patres ab iſto vocabulo, aliud, ſic ſubſtãtiuè ſumpto abſtinendum eſſe docuerunt.

Tertia propoſitio. Circa vocabulum (alius)

Quarta propoſitio. Si hæc dictio, Solus, categorematicè ſeu quatenus eſt terminus categorematicus accipiatur, quomodo idẽ ſignificat ac ſolitarius, nõ poteſt addi termino eſſẽtiali, neq; etiam perſonali in diuinis; quo fit vt non poſſit dici quod Deus ſit ſolus, vel quod pater ſit ſolus. Si verò accipiatur ſyncategorematicè, ſeu quatenus eſt terminus ſyncategoremat. tũc poteſt addi termino eſſẽtiali; quo fit

Quarta propoſitio circa vocabulum (Solus)

vt dici poſſit, Solus Deus eſt æternus, Sapiens, &c. & etiam perſonali in ſenſu improprio, nõ verò in ſenſu proprio: quo fit vt illa propoſitio (ſolus Pater eſt Deus), ſit quidem vera ſi accipiatur hoc ſenſu improprio, id eſt (Pater & nullus alius qui ſit Pater Deus eſt) vel vt iam explicauimus (ſolus Pater & nullus alius qui ſit alterius naturę eſt Deus) at verò eadem propoſitio falſa ſit ſi accipiatur in ſenſu proprio, id eſt (Pater & nullus alius præter Patrem eſt Deus.)

QVINTA DISPVTATIO.

DE NOTITIA DIVINARVM PERSONARVM.

CVM ex præcedentibus conſtet plures eaſque tres eſſe in vnitate naturæ diuinæ perſonas, ſciſcitari aliquis poſſet qua tandem ratione in earum cognitionem mortales poſſint deuenire; idcircò inſtituta eſt hîc à nobis iſta diſputatio de notitia diuinarum perſonarum, præſertim ea quam in hac mortali vita poſſumus aſſequi.

An diuinarum perſonarum Trinitas naturali ratione cognoſci poſſit.

QVÆSTIO I.

QVID de propoſita quæſtione & quibuſdam aliis ad ipſam pertinentibus tenen-

dum ſit, ſequentibus propoſitionibus explicabitur.

Sit igitur prima propoſitio, quæ eſt D. Tho. hîc qu. 32. art. 1. Impoſſibile eſt per ſolam rationem naturalem, ſeclusâ omni reuelatione, ad cognitionem Trinitatis pertingere. Probatur imprimis authoritate Matthæi. 11. *Nemo nouit filium niſi pater, neque patrem quis nouit niſi filius.* Et c. 16. eiuſdem, cùm Petrus ſecundam Trinitatis perſonam, nempè filium Dei viui clarâ voce profeſſus fuiſſet, ait illi Dominus: *Beatus es Simon Barjona, quia caro & Sanguis non reuelauit tibi, ſed pater meus qui in cęlis eſt*; quaſi diceret: non humana ratio, ſed diuina reuelatio abſcõditum iſtud à ſeculis myſterium tibi patefecit: adde etiam conſenſum ſanctorum Patrum, qui omnes altiſſimum iſtud Trinitatis myſterium longè ſupra humanam rationem eſſe tradiderunt. Præterea probatur ratione: conſtat enim ex primo tractatu huius partis, hominem naturali ratione non poſſe in cognitionem Dei peruenire, niſi ex creaturis tanquam ex ipſius effectibus: atqui ex creaturis quatenus ſunt effectus Dei, non poſſumus alia de Deo cognoſcere quàm ea quæ illi competũt quatenus eſt ipſarum principium ſeu cauſa, vt Deum eſſe omnipotentem, ſummè bonum, ſapientem, &c. ea autem omnia cùm ſint communia toti Trinitati ad eſſentiæ vnitatem, non verò ad perſonarum diſtinctionem pertinẽt. Et certè ea quæ Theologi humanâ ratione proferre ſolent ad illuſtrandum hoc fidei noſtræ myſterium, non

Prima propoſitio.

Probatur authoritate.

Ratione cõfirmatur

Digitized by Google

ſunt euidenter neceſſaria, imo ſecluſâ fidei authoritate vtplurimum ridicula viderentur.

Obiectioni quæ fieri poſſet occurritur.

Quod ſi veteres Philoſophi vt Triſmegiſtus in Pimandro & Platonici de iſto myſterio videntur loquuti; non propterea exiſtimandum eſt illos per ſeipſos potuiſſe vnquam ſibi comparare vndequaque veram iſtius myſterij notitiam. Dicendum igitur eſt imprimis eos non verè iſtud myſterium, ſicuti eſt agnouiſſe, ſed ex parte & vt plurimum cum errore: ſic enim aiunt Platonicos agnouiſſe quidem Patrem & filium, non verò Spiritum ſanctum: deinde & adhuc filium ſubſtantialiter ſeu eſſentialiter à Patre diſtinxiſſe, indeque Origenem Platonicę doctrinę plus æquo addictum Arianis impiiſſimum errorem propinaſſe: præterea ſi quid iſtius myſterij veteres agnouerunt non ex ſolâ naturali ratione iſtud conieciſſe, ſed ex diuina reuelatione hauſiſſe; ſiue illa fuerit illis facta, ut de Sybillis probabile eſt, ſiue aliis à quibus illi ore, vel ſcripto, vel traditione accipere potuerunt. Porrò iſtud quod circumfertur dictum à Triſmegiſto in dialogo de Opificio mundi qui Pimander inſcribitur, *Monas genuit Monadem, & in ſe ſuum reflexit ardorem*, ad creationem mundi pertinet, vt explicat ſanctus Thom. hîc quæſt. 32. art. 1. ad 1. vt nempè dicatur vnus Deus produxiſſe vnum mundum propter ſui ipſius amorem.

Secunda propoſitio probatur.

Secunda propoſitio. Lumine naturali demonſtrari non poteſt myſterium iſtud eſſe poſſibile. Probatur, quia lumen naturale potiùs ſuadet cõtrarium, cùm ipſum myſterium,

& ea quæ ipſum conſequuntur tamquam impoſſibilia ſe humanæ rationi offerant.

Quare qui vellet ad perſuadendum hoc myſterium vti rationibus naturalibus tanquam præcipuis motiuis, haud mediocrem Chriſtianæ fidei iniuriam irrogaret, quæ multò altioribus principiis quàm iis quæ ſolo naturali lumine percipi poſſunt innititur: neque tamen propterea exiſtimes iſtud myſterium humanæ rationi contrarium eſſe, licèt longè ſupra illam ſit; cùm enim naturale lumen ſit diuini quædam participatio, & ad verum inclinet, nec vnquam verum vero aduerſetur, non poteſt veritas noſtræ fidei veritati luminis naturalis repugnare.

Tertia propoſitio, poſito Trinitatis myſterio quod quidem ſoli authoritati diuinæ innititur ſufficienter ſoluuntur argumenta omnia quæ aduerſus illud proponuntur: vt enim ſoluantur ſatis eſt ſi dicamus illa non concludere ſeu locum non habere in diuinis, quorum longè alia ratio eſt quàm cæterarum rerum omnium. *Tertia propoſitio.*

Si quæras, an Trinitas alio lumine quàm naturali aut beatifico cognoſci poſſit, etiam in hac vita. Reſpondeo, de potentia Dei ordinaria fieri non poſſe; an vero abſolutâ Dei poteſtate poſſit aliquo lumine medio euidẽter iſtud myſterium homini etiam in hac vita declarari difficultas eſt, exiſtimat .n. Scotus in 2um Sentent. diſt. 3. q. 9. Trinitatem abſoluta Dei poteſtate cognoſci poſſe euidenter cognitione quadam abſtractiua alio lumine *Dubitatio.* *Reſolutio.*

quam beatifico: nihilominus tamen probabilius alij, vt mihi videtur, arbitrantur Trinitatem non poſſe cognoſci euidenti cognitione aliter quàm per lumen beatificum, cognitione nempè intuitiuâ; & ratio eſt, quia non poteſt Trinitas in alio euidenter cognoſci quàm in ipſo Deo, cùm nulla poſſit eſſe res creata quæ poſſit tàm incomprehenſibile myſterium ad viuum ſicuti eſt, exprimere.

An ſint aliquæ notiones in diuinis.

QVÆSTIO II.

AD propoſitæ quæſtionis intelligentiam notandum eſt primò, notionem in diuinis nihil aliud eſſe quàm rationem dignoſcendi vnam perſonam ab alia. Secundò notandum eſt duas conditiones in eiuſmodi notione deſiderari, alteram vt ſignificetur nomine abſtracto; alteram vt ſit aliquid pertinens ad originem perſonarum, ſicque exprimatur vocabulo aliquo notionali, vel potiùs perſonali. Quod vt melius intelligatur, notandum eſt tertio tria nominum genera in diuinis ſiue abſtracta, ſiue concreta vſurpari, nempè eſſentialia, notionalia, & perſonalia; eſſentialibus eſſentialia exprimuntur, & quæ ad eſſentiam pertinent, vt ſunt Deus, Deitas, æternus, æternitas &c. notionalibus exprimuntur origines ſeu proceſſiones, & actus perſonales qui & notionales dicuntur, ſeu relationes originis per

Notandum primò.

Notandum ſecundò.

Notandum tertiò.

per modum actionis & paſſionis, vt ſunt generans, genitus, ſpirans, ſpiratus, dicere, generare, ſpirare, dici, generari, ſpirari, generatio, ſpiratio, proceſſio tum actiuè cùm paſſiuè sũpta; perſonalibus exprimuntur perſonæ & relationes non per modum proceſſionum aut actuum notionalium, ſed per modum veluti formarũ & proprietatũ; eiuſmodi ſunt Pater, Filius, Spiritus ſanctus, vocabulũ perſonæ tũ in ſingulari cùm in plurali numero, paternitas, filiatio, ſpiratio, proceſſio, innaſcibilitas. Notandum quartò, quod licèt actus notionales (de quibus ſuo loco dicemus) nominibus notionalibus propriè exprimantur, notiones tamen magis propriè nominibus perſonalibus in abſtracto ſignificantur; neque enim rationes illæ dignoſcendi perſonas, vt ſic, conſiderantur vt actus, ſed potius veluti formæ, & proprietates in ipſis perſonis incluſæ. *Notãdum quartò.*

His poſitis præſens quæſtio tribus propoſitionibus explicabitur.

Prima propoſitio. Admittẽdæ ſunt in diuinis notiones: ſunt enim in diuinis rationes quædam nominibus abſtractis ſignificatæ quibus quaſi formis & proprietatibus perſonæ formaliter ab inuicem diſtinguuntur, ac proinde dignoſcuntur; ſicut enim nomine abſtracto exprimimus rationem qua verè Pater & Filius & Spiritus ſanctus ſunt vnum, nempe eſſentia ſeu deitas; ſic nomine abſtracto exprimimus rationem qua ſunt tres, nempe paternitas, filiatio, & ſpiratio; atqui huiuſmodi rationes perſonarum propriè quatenus nos du- *Prima propoſitio ratione probatur.*

cunt ad perſonas dignoſcendas verè ſunt notiones; quare concludendum eſt admittendas eſſe in diuinis notiones; & hæc ratio eſt Diui Thomæ hîc quæſt. 32. art. 2. vbi obiter nota quod præclare docet Sanctus Doctor, nempe quod eſſentia diuina ſignificatur in diuinis, vt quid, perſona, vt quis, proprietas autem ſeu notio, vt quo, quia nempe eſt ratio quâ vna perſona diſtinguitur ab alia.

Secunda propoſitio.

Secunda propoſitio. Concedendæ ſunt proprietates in diuinis perſonis quæ eo ſenſu sũt aliquid earum, vt virtute tanquam incluſum ab includente ab eis diſtinguantur. Probatur, quia Pater dum generat communicat eſſentiam Filio, non tamen relationem quâ ab eodem diſtinguitur; ergo Pater præter eſſentiam aliud includit virtute, ſaltem ab eadem eſſentiâ ſimul, & ab ipſa Patris perſonâ quatenùs eſſentiam includit, diſtinctum.

Tertia propoſitio.

Tertia propoſitio. Perſonales proprietates nec re, nec ratione formali diſtinguuntur ex natura rei à perſonis, quia eiuſmodi proprietates perſonales ſunt ipſæ perſonarum formalitates, vt ita loquar: perſona enim diuina ex eſſentia, & proprietate perſonali conſtitui concipitur; ſed tantùm virtute diſtinguuntur, (vt ſupra dictum eſt) tanquam incluſum ab includente; quæ virtualis diſtinctio facit, vt nomina abſtracta illarum proprietatum non ſupponant præſuppoſitis, nec proindè concedant Theologi Paternitatem generare, aut filiationem generari.

An ſint quinque nationes in diuinis

QVÆSTIO. III.

CVM notio ſit ratio dignoſcendi vnam perſonam ab alia, & perſonę diſtinguantur per originem ſeu proceſſionem, hinc fit vt notiones illæ accipiendæ ſint iuxta aliquam habitudinem ad origines ſeu proceſſiones diuinas. Poſſunt autem generatim concipi quatuor veluti modi quibus ſe habẽt diuinæ perſonæ in ordine ad origines ſeu proceſſiones, duo quidem poſitiui, nempe (à quo alius) & (qui ab alio) & duo negatiui, nempè (qui à nullo) & (à quo nullus.) Ex quibus colligi poſſent decem circiter notiones diuinarum perſonarum: quatuor quidem poſitiuæ ex duobus poſitiuis modis, nempè paternitas & ſpiratio, ex modo quo ſe habet is à quo alius: itemque filiatio & proceſſio Spiritus ſancti, ex modo quo ſe habet is qui ab alio: ſex verò negatiuæ ex duobus negatiuis modis: tres quidem ex ſingulis; qui enim à nullo eſt, dici poteſt tripliciter, vel à nullo abſolutè loquendo, quo modo ſolus Pater dicitur eſſe à nullo; vel à nullo per generationem quod eſt commune Patri & Spiritui ſancto, vel à nullo per ſpirationem quod eſt cõmune Patri & Filio: ſic quoq; tripliciter dici poteſt aliquis eſſe à quo nullus; vel enim hoc dici poteſt abſolutè, quo modo ſolus Spir. S. dici poteſt eſſe à quo null⁹, vel dici poteſt à quo nullus per generationẽ, ꝙ

Quatuor modi quibus ſe habent diuinæ perſonæ ad origines.

Notio nes 10.

eſt commune Filio & Spiritui ſancto, vel à quo nullus per ſpirationem, quod ſoli Spiritui ſancto competit.

Verùm quia negatio communiter non eſt apta ad aliquid notificandum, cùm ipſa potiùs per aliud innoteſcat, ſcilicet per habitum oppoſitum, notio vero in diuinis ſit ratio qua innoteſcit perſona, idcircò non eſt ponenda in numero notionum vlla negatio niſi peculiaris aliqua ratio vrgeat: quare meritò omnes illæ negatiuæ notiones ſuperiùs allatæ reiiciuntur à Theologis exceptâ ſola innaſcibilitate ſecundùm quam dicitur Pater is qui à nullo abſolutè loquendo: eſt enim ratio quæ meritò impulit ſanctos Patres, vt eiuſmodi perſonalem proprietatem primę perſonæ Trinitatis tribuerint: neque enim ratio primi principii quæ ſoli Patri conuenit, clariùs innoteſcere potuiſſet quàm per negationem proceſſionis ab alio. Si igitur innaſcibilitas ad quatuor poſitiuas notiones prædictas addatur, inde exiſtent quinque notiones, nempè innaſcibilitas, paternitas, filiatio, communis ſpiratio, & proceſſio. Comprobatur iſte numerus iuductione facta per modos quibus innoteſcunt perſonæ: Pater enim innoteſcit tripliciter, primò ex eo quod à nullo eſt, vnde exiſtis innaſcibilitas: ſecundò ex eo quod alius eſt ab eo per generationem, vnde exiſtit Paternitas, tertio ex eo quod alius eſt ab eo per ſpirationem, vnde exiſtit communis ſpiratio; ſimiliter Filius dupliciter innoteſcit, primò ex eo quod ipſe eſt ab alio per generationem vn-

Quinque vulgo dictæ notiones colliguntur.

Digitized by Google

de exiſtit filiatio; ſecundò ex eo quod ab ipſo eſt alius per ſpirationem, vnde exiſtit communis ſpiratio; at verò Spiritus ſanctus non innoteſcit per hoc quod alius ſit ab ipſo, ſed tantũ per hoc quod ipſe eſt ab alio, idque per ſpirationem, vnde exiſtit propria ipſius proceſſio; ex quibus facile eſt colligere ſupradictas quinque notiones.

Nonnulla hic notanda.

Primum.

Sunt autẽ circa has quinque notiones quædam notatu digna. Primùm, nos hîc enumerare modos ſpeciales, non verò generales; ſic n. eſſent tantùm tres, nempè qui à nullo, a quo alius, & qui ab alio; verùm quia iſti duo poſteriores ſubdiuiduntur, vnde exiſtunt quinque modi ſeu rationes quibus diuinæ perſonę innoteſcunt: & licèt ſpiratio ſit communis Patri & Filio, non deſinit tamen eſſe ſpecialis notio quia eſt eiuſdem rationis in vtroque, imò eadem realiter in vtroque, vt poſtea patebit. Secũdò obſeruandum eſt quod ex illis quinque notionibus quatuor ſunt relationes, nẽpè paternitas, filiatio, ſpiratio, proceſſio; nam innaſcibilitas non eſt relatio niſi reductiuè, quatuor quoque proprietates perſonarum, nempè innaſcibilitas, paternitas, filiatio & proceſſio Spiritus, nam communis ſpiratio non eſt proprietas vnius perſonæ; tres verò notiones ſeu proprietates perſonales, id eſt perſonas conſtituẽtes, nempe paternitas, filiatio, & proceſſio Spiritus; nãq; innaſcibilitas, & cõmunis ſpiratio perſonas non conſtituunt. Huc etiã ſpectant quatuor actus notionales, nã ad paternitatem ſpectat generatio actiua, ad filiationẽ genera-

Secundum

Digitized by Google

tio paſſiua, ad communem ſpirationem productio actiua Spiritus ſancti, ad proceſſionem ſpiratio paſſiua eiuſdē Spir. S. Tertiò obſeruādum eſt vnam & eandem rem poſſe ſimul dici proceſſionem, notionem, relationem, proprietatem perſonæ, proprietatem ſeu notionē perſonalem, & actum notionalem diuersâ cōſideratione: dicitur proceſſio, quatenùs eſt ratio originis vnius perſonæ ab alia; relatio, quatenùs eſt ratio referendi vnam perſonam ad aliam; notio, quatenùs eſt ratio dignoſcendi vnam perſonam ab alia; proprietas perſonæ, quatenùs vni perſonæ tantùm conuenit; proprietas perſonalis ſeu notio perſonalis, quatenùs conſtituit perſonam in eſſe perſonæ & ſuppoſiti, denique actus notionalis, quatenùs per modū actionis aut paſſionis ſignificatur.

Tertium.

Quartum. Quartò obſeruandum eſt per innaſcibilitatē quæ eſt proprietas primæ perſonæ, intelligi negationem, non natiuitatis tantùm preſsè ſumpto nomine, ſed proceſſionis cuiuſlibet, vt docet ſanctus Th. hîc quæſt. 32. art. 3. idque iuxta doctrinam ſanctorum Patrum, vt Athanaſij in Epiſtolis de Synodis Arimini, & Seleuciæ, & Baſilij qui lib. primo contra Eunomium ita abſolutè ſcribit: *Hæc eſt ingeniti ſignificatio non habere aliundè principium vt ſit*: vbi etiā aduerte quod innaſcibilitas conſtituitur notio non quatenùs ſignificat negationem proceſſionis præcisè, ſed quatenùs conſignificat rationem primi principii quæ poſitiua eſt & ſoli Patri conuenit.

Quintum. Quintò obſeruandum eſt, quod licèt ſpiratio

ſit notio ſuo modo diſtincta à notione paternitatis & filiationis, vt patet ex prçcedẽtibus, cùm ſpiratio dicat ordinem ad aliud genus proceſſionis quàm illud ad quod paternitas & filiatio pertinent, eſt tamen idem realiter & formaliter cum paternitate & filiatione eodẽ modo quo relationes & eſſentia ſunt idem inter ſe; alioqui quatuor eſſent relationes in diuinis diſtinctæ à ſe inuicem realiter, proindeque quatuor perſonæ; deinde ſequeretur Patrem eſſe quid compoſitum conſtans rebus diuerſis, quod ſimiliter de filio dicendum eſſet; denique non eſt ratio cur vlla admittatur inter ipſam & paternitatem aut filiationem diſtinctio, cùm nulla ſit inter hanc & illas oppoſitio.

SEXTA DISPVTATIO.

DE PERSONA PATRIS.

QVONIAM præter ea quæ generatim de ratione, pluralitate, vnitate ac notitia diuinarum perſonarũ hactenus dicta ſunt, nonnulla ſuperſunt quæ ad ſingulas pertinent explicanda, idcircò deinceps hac & duabus ſequentibus diſputationibus, de tribus ſingulis perſonis ſigillatim dicendum eſt.

An Patri competat eſſe principium.

QVÆSTIO I.

REPETENDA ſunt hîc ea quæ generatim de ratione principii & cauſæ in pr.p.noſtræ phy.tr.1.d.3.q.1.&tr.2.d.1.q.1.docuimus: deĩde *Notãdum.*

Digitized by Google

notandum hîc cùm principium in ſui ratione includat ordinem vnius ad aliud quod ab ipſo eſt, principium in diuinis dici poſſe dupliciter ſecundùm duplicem ordinem qui in Deo reperitur: eſt enim in Deo ordo productionis ad extra, reſpectu rerum creatarũ, & ordo originis ad intra reſpectu perſonarum procedentium; vnde primo modo principium dicitur eſſentialiter, quomodo tribus perſonis conuenit eſſe principium omnium creaturarum; altero modo principium dicitur notionaliter, quomodo vni perſonæ conuenit eſſe principiũ alterius quæ ab ipſa procedit; eſt enim in genere principium id omne à quo aliud eſt aut procedit.

Propoſita quæſtioni reſpondetur.

Hoc poſito reſpondetur, licèt Patri & Filio communiter competat eſſe principium reſpectu Spiritus ſancti, Patri tamen adhuc magis propriè competit, cùm ipſe ſit etiam principium reſpectu filii, ideoque non immeritò dicitur à D. Aug. 4. de Trin. cap. 20. eſſe principium totius deitatis, non quaſi deitas à Patre procedat, ſed tùm quia ipſe eſt principium reliquarum perſonarum in quibus eſt tota deitas, tùm quia eſt principium reliquarum perſonarum quibus communicat totam deitatẽ, tum quia eſt principium reliquarum perſonarum quæ ſecum ſunt in deitate, tum quia ipſe Pater eſt principium & fons reliquarum perſonarum in tota deitate. Præterea dicitur Pater non tantùm principium, ſed etiam primum principium; non quaſi Deus Pater ſit tempore vel natura prior reliquis perſonis,

Digitized by Google

ſed tum quia eſt illud principium à quo ducitur omnis diuina proceſſio, tùm quia eſt principium principians nõ principiatum, tùm quia ſecundùm originem videtur reliquas perſonas præcedere ſaltem ſecundùm noſtrum concipiendi modum.

Sciſcitaberis forſan, nùm etiam perſona dici poſſit cauſa alterius perſonæ ab ipſa procedentis. Reſpondetur; licèt Græci Patres nonnunquam vtantur nomine* cauſæ & principii indifferenter in diuinis; Latini tamen Doctores non vtuntur nomine cauſæ, ſed principii, cuius acceptio communior eſt, ac proinde aptior quæ ad diuina transferatur; adde quod nomen cauſæ ſecundùm communem acceptionem importat diuerſitatem ſubſtantiæ & dependentiam vnius ab altero, ac proinde quamdam prioritatem & poſterioritatem naturæ, præſertim ſi ſermo ſit de cauſa efficiente, qualis eſſet vna perſona reſpectu alterius, quam non importat nomen principii. Porrò nil videtur repugnare Patrem dici authorem filii, ſimiliterque Patrem & Filium authorem Spiritus ſancti, ſi per authorem intelligas eum à quo alius eſt aut procedit, non verò qui in alium authoritatem habet.

Dubitatio.

* αἰτίας ϗ ἀρχῆς

Reſponſio.

An eſſe Patrem ſit proprium diuinæ perſonæ, & quomodo.

QVÆSTIO II.

DVAS difficultates propoſita quæſtio cōtinet, quæ duabus propoſitionibus explicandæ ſunt, ſi priùs perceptum fuerit quod præclarè docet ſanctus Thomas hîc quæſt. 33. art 2. & 3. nomen hoc (Pater) dupliciter in diuinis accipi non ſecus ac nomen (Principii) nempe aut perſonaliter, aut eſſentialiter.

Prima propoſitio.

Sit prior propoſitio. Maximè proprium eſt diuinæ perſonæ eſſe ac dici Patrem, ſi vocabulum iſtud, Pater, propriè ac notionaliter ſeu perſonaliter accipiatur. Confirmatur primùm authoritate Pſalmiſtæ Pſal. 88. *Ipſe inuocauit me pater meus es tu*: Secundò ratione; illud enim eſt maximè proprium cuiuſlibet perſonæ per quod diſtinguitur ab omnibus aliis; atqui eiuſmodi eſt paternitas reſpectu perſonæ Patris: ergo maximè proprium eſt illius perſonæ eſſe ac dici Patrem. Vbi obiter aduerte paternitatem apud nos quidem non ſignificare perſonam, ſed relationem tantùm perſonæ, in diuinis tamen ſignificare perſonã, quia ſignificat relationem ſubſiſtentem quæ eſt perſona. Nota etiàm quod quia denominatio rei cuiuſque maximè debet fieri ſecundùm id quod perfectius eſt; generatio autem ſignificat vt in fieri, paternitas verò vt in facto eſſe & quaſi complementum generationis; idcirco diuina perſona magis propriè dicitur Pater

Ratione cōfirmatur

quàm generans, vel genitor.

Poſterior propoſitio. Pater per prius ac magis propriè dicitur de Deo perſonaliter quàm eſſentialiter, ſeu de prima perſona ſanctiſſimæ Trinitatis reſpectu filii quàm de Deo abſolutè reſpectu creaturarum: Ratio in promptu eſt, quia perfectior eſt ratio paternitatis vt importat reſpectum perſonæ diuinæ ad perſonā quam vt importat reſpectum Dei ad creaturam, quia nempe Paternitas in vna perſona reſpectu alterius dicit vnam eandemque naturam & gloriam in vtraque, non item paternitas in Deo reſpectu creaturæ, cùm Creator & creatura non poſſint eſſe eiuſdem naturæ aut gloriæ: non igitur ſecundùm naturam, ſed ſecundùm ſimilitudinem dumtaxat Deus dicitur Pater reſpectu creaturarum; & quidē reſpectu creaturarum irrationalium ſecundùm ſimilitudinem veſtigii, reſpectu verò creaturæ rationalis in ſtatu naturali ſpectatæ ſecundùm ſimilitudinem imaginis, item reſpectu eiuſdem ad gloriam ordinatæ, ſecundùm ſimilitudinem gratiæ: denique reſpectu eiuſdem in ipſa iam gloria collocatæ ſecundùm ſimilitudinem gloriæ. Adde quod ſicut verbum conceptum in mente artificis per prius intelligitur procedere ab artifice quàm artificiatum quod producitur ad ſimilitudinem verbi concepti in mente eiuſdem artificis; ita per prius ac magis procedit à Patre filius quod eſt ſubſtantiale ipſius Verbum, quàm creatura,

Secunda propoſitio.

Ratione cōfirmatur

Digitized by Google

quæ non aliâ ratione dici poteſt Dei filia, quã quatenùs participat de ſimilitudine filii, & quidem magis vel minus propriè, prout magis vel minùs illam participat: ex quo concludere eſt Patrem per prius ac magis propriè dici Patrem reſpectu filii quàm ipſummet Deum reſpectu creaturarum.

An eſſe ingenitum ſit proprium Patris.

QVÆSTIO III.

Triplex acceptio ingeniti.

PROPOSITÆ quæſtionis explicatio tota pendet ex ipſius vocabuli explicatione; eſt enim triplex huiuſmodi vocabuli aceptio; Primum enim dicitur ingenitum quod non eſt ab alio per proceſſionem, & ſic ſolus Pater eſt ingenitus ſeu innaſcibilis; ſecundò dicitur ingenitum quod non eſt ab alio per generationem, & ſic non ſolus Pater, ſed etiam Spiritus ſanctus eſt ingenitus. Tertiò ingenitum dicitur quod non eſt ab alio per vllam effectionem, ſicque idem eſt ac increatum ſeu non factum: & ſic non tantùm Pater & Spiritus ſanctus, ſed etiam filius eſt ingenitus, imò ipſa eſſentia diuina hoc ſenſu dici poteſt ingenita. Vbi nota obiter quod licèt filius hoc ſenſu dici poſſit Græcè ἀγενητὸς, id eſt non factus, numquam tamen dici poteſt ἀγέννητος, id eſt non natus. Cæterùm iſta Patris proprietas quâ ſignificatur non eſſe ab alio, potiùs exprimitur per negationem natiuitatis, quàm proceſſionis, quæ eſt pro-

Nota.

Corollariũ.

Digitized by Google

pria Spiritus ſancti: quia cùm proceſſio Spiritus generationem filii præſupponat, hinc fit vt negatio generationis in eo quod eſt ipſius principium importet quoque negationem proceſſionis Spiritus ſancti, quo fit vt cùm dicitur Pater ingenitus, ſeu non genitus, intelligatur etiam non ſpiratus: Vide quæ ſupra diximus de innaſcibilitate diſput. præcedenti quæſt. 3. ſub finem.

SEPTIMA DISPVTATIO.

DE PERSONA FILII.

DVÆ ſunt præcipuæ filii appellationes, nempe Verbum & Imago Patris: de quibus ſolent hoc loco Theologi diſputare.

An Verbum in diuinis ſit nomen perſonale proprium filii.

QVÆSTIO. I.

SVPPONENDVM eſt hîc imprimis quod aliàs inſinuauimus, cùm Verbum multipliciter accipiatur ex D. Th. hîc q. 34 a. 1. in diuini3 accipi pro conceptu intellectus de cuius ratione eſt quod ab alio procedat, vt ſuprà docuimus vbi de diuinis proceſſionibus, & aliàs in 3. Parte noſtræ Phyſ. vbi de facultatibus animæ rationalis, præſertim de intellectu & actu intelligendi. Secundò ſupponendum eſt inſigne diſcrimen eſſe, vt iiſdem locis adnotauimus, inter intelligere & dicere in rebus ſpiritualibus: nempe quod intelligere importet ſo-

Supponenda quadã primum.

Secundũ.

Digitized

lam habitudinem intelligentis ad rem intellectam: at verò dicere importet principaliter habitudinem ad verbum conceptum: in illo nulla ratio originis importetur, in iſto verò maximè; illud in diuinis omnimodam importet identitatem, iſtud verò perſonarum diſtinctionem. *Tertium.* Tertiò ſupponendum eſt non ſolùm verbum, ſed etiam rem quæ verbo exprimitur dici ab intellectu, vnde intelligimus aliquid ab intellectu dici, vel vt verbum conceptum, vel vt rem intellectam; ſicque aliud eſſe verbum dici, aliud verò rem verbo dici. Quarto notandum eſt cùm verbum ſit aliquid prolatum à dicente & ſignificatiuum rei intellectæ, ipſum habere duplicem reſpectum; alterum realem ad intellectum dicentem, alterum rationis ad rem ſignificatam.

Prima propoſitio. His poſitis ſit prima propoſitio. Verbum eſt nomen perſonale in diuinis, non eſſentiale. *Ratio.* Probatur, quia verbum in diuinis non eſt ipſum intelligere, vt nonnulli minùs probabiliter ſibi perſuadent, ſed aliquid productum intelligendo tanquam imago rei cognitæ; at in diuinis produci ſeu producere ab aliquo pertinet ad rationem nominum perſonalium non eſſentialium, cum perſonæ diuinæ diſtinguantur ſecundùm originem. Itaque licèt tota ſanctiſſima Trinitas verè ſit intelligens & intellecta, ac etiam verbo dicta, vna tamen perſona ſola eſt dicens quæ profert verbum, nempe Pater; & vna ſola vt verbum dicta, nempè filius.

Secunda propoſitio. Secunda propoſitio. Verbum eſt proprium

nomen fili non alterius perſonæ. Probatur, quia verbum importat emanationem quandam intellectus; perſona autem quæ procedit in diuinis ſecundùm emanationem intellectus dicitur filius, eiuſque proceſſio dicitur generatio, vt conſtat ex prædictis: quare ſolus filius dicitur Verbum in diuinis quod eſt productum tanquam imago obiecti primarii, nempe ſubſtantiæ Patris. Vbi nota quod nomine filii & Verbi idem ſignificatur, nempe natiuitas ipſius filii: quæ quidem proprietas perſonalis pro diuerſa conſideratione variis nominibus ſignificatur. Vt enim oſtendatur connaturalis Patri dicitur filius; vt oſtendatur coęternus dicitur ſplendor, vt oſtendatur omninò ſimilis, dicitur Imago: denique vt oſtendatur ſpiritualiter genitus, dicitur Verbum. *Ratio.*

Quòd ſi obiicias, non ſolum filium poſſe dici Verbum eo quòd ab intellectu Patris ſit dictum, cùm aliud Verbum concipi poſſit etiam ab intellectu filii expreſſum. Reſpondetur, etiam ſi filius ſit verè intelligens, non ſecus ac Pater, non tamen propterea producere, Verbum, cùm illud iam intelligatur productum à Patre, nec opus ſit plures eſſe terminos internos eiuſdem intellectionis quæ quidem eſt in Patre, Filio & Spiritu ſancto, neque opus eſſe vt omnes perſonę terminũ illum intellectionis diuinæ proferant. *Obiectio.* *Solutio.*

Si inſtes, debere aſſignari terminum internum eſſentialis intellectionis quatenus talis eſt. Reſpondeo non poſſe aſſi-

gnari eiuſmodi terminum, cùm ipſa eſſentialis intellectio ſecundùm ſe ſpectata ſit ſui ipſius terminus, vt potè cùm nihil in ipſa eſſe poſſit ab ipſamet realiter diſtinctum.

An Verbum diuinum importet reſpectum ad creaturas.

QVÆSTIO II.

Aſſertio tenenda probatur

ITA eſſe rectè docet ſanctus Doctor hìc q. 34. ar. 3. Deus enim cognoſcendo ſe cognoſcit omnem creaturam, Verbum autem in mẽte conceptum eſt repræſentatiuum omnis eius quod intelligitur: quare cõcludendum eſt Verbum diuinum ea ratione dicere reſpectũ ad creaturas quo illas exprimit & repręſentat; & quia Deus vno actu, & ſe & omnia intelligit, idcirco vnicum eſt verbum non ſolum Patris, ſed etiam creaturarum expreſſiuum; & quemadmodum in Deo ſcientia ipſiusmet Dei eſt cognoſcitiua tantũ, creaturarum autem cognoſcitiua ſimul & factiua; ita Verbum illud eſt tantùm expreſſiuum diuinæ eſſentiæ, creaturarum autem expreſſiuum ſimul & operatiuum; vnde dicitur non tantùm quod ſit apud Deum, ſed etiam quod per ipſum omnia facta ſunt, iuxta quod Pſalmiſta cecinit Pſal. 32. *Verbo Domini cæli firmati ſunt, &c.*

Corollaria quædam.

Obiectio.

Verùm obiicies forſan aduerſus hanc aſſertionẽ, abſurdũ videri quod nomen perſonale connotet effectũ in creatura, cùm omnis effectus ad extra ſit à tota ſanct. Tri. Reſpõdeo,

Solutio.

nil

nil abſurdi eſſe, quod nomẽ aliquod perſonale inquantum naturam diuinam ſuo ſignificatu ſaltem obliquè includit, importet reſpectũ ad creaturam; Adde quod reſpectus ille ad creaturam quam verbum includit, non præſupponit vllam actionem Dei trãſeuntem circa creaturas; quò fit etiam vt non ſit neceſſe eiuſmodi relationem dici ex tempore; neque enim omnia nomina quæ important relationem ad creaturas, dicuntur ex tẽpore, ſed ſola illa quę important relationem conſequentem actum Dei tranſeuntem in exteriorem effectum.

Notandũ.

Nota etiam inſigne diſcrimen inter nomen ideæ & nomen Verbi in diuinis, quòd illud principaliter impoſitum ſit ad ſignificandum reſpectum ad creaturã, nec perſonale ſit, cùm in ipſa eſſentia etiam vt eſt communicabilis tribus perſonis dicantur eſſe rerum omnium ideæ, vt conſtat ex iis quæ diximus in præcedenti tractatu, vbi de ideis diuinis; at nomen Verbi principaliter impoſitum ſit ad ſignificandum reſpectum ipſius Verbi ad ipſum dicentem, & ex conſequenti ac minùs principaliter vt ſignificetur ipſius reſpectus ad creaturas quas exprimit: & propterea in diuinis eſt vnicum Verbum, ſicut eſt vnicus intelligens ad quem per ſe refertur; idea verò multiplex, ſicut eſt multiplex creatura ad quam per ſe refertur.

notandum hîc cùm principium in ſui ratione includat ordinem vnius ad aliud quod ab ipſo eſt, principium in diuinis dici poſſe dupliciter ſecundùm duplicem ordinem qui in Deo reperitur: eſt enim in Deo ordo productionis ad extra, reſpectu rerum creatarũ, & ordo originis ad intra reſpectu perſonarum procedentium; vnde primo modo principium dicitur eſſentialiter, quomodo tribus perſonis conuenit eſſe principium omnium creaturarum; altero modo principium dicitur notionaliter, quomodo vni perſonæ conuenit eſſe principiũ alterius quæ ab ipſa procedit; eſt enim in genere principium id omne à quo aliud eſt aut procedit.

Propoſita quæſtioni reſpondetur.

Hoc poſito reſpondetur, licèt Patri & Filio communiter competat eſſe principium reſpectu Spiritus ſancti, Patri tamen adhuc magis propriè competit, cùm ipſe ſit etiam principium reſpectu filii, ideoque non immeritò dicitur à D. Aug. 4. de Trin. cap. 20. eſſe principium totius deitatis, non quaſi deitas à Patre procedat, ſed tùm quia ipſe eſt principium reliquarum perſonarum in quibus eſt tota deitas, tùm quia eſt principium reliquarum perſonarum quibus communicat totam deitatẽ, tum quia eſt principium reliquarum perſonarum quæ ſecum ſunt in deitate, tum quia ipſe Pater eſt principium & fons reliquarum perſonarum in tota deitate. Præterea dicitur Pater non tantùm principium, ſed etiam primum principium; non quaſi Deus Pater ſit tempore vel natura prior reliquis perſonis,

ſed tum quia eſt illud principium à quo duciur omnis diuina proceſſio, tùm quia eſt principium principians nō principiatum, tùm quia ſecundùm originem videtur reliquas perſonas præcedere ſaltem ſecundùm noſtrum concipiendi modum.

Sciſcitaberis forſan, nùm etiam perſona dici poſſit cauſa alterius perſonæ ab ipſa procedentis. Reſpondetur; licèt Græci Patres nonnunquam vtantur nomine* cauſæ & principii indifferenter in diuinis; Latini tamen Doctores non vtuntur nomine cauſæ, ſed principii, cuius acceptio communior eſt, ac proinde aptior quæ ad diuina transferatur; adde quod nomen cauſæ ſecundùm communem acceptionem importat diuerſitatem ſubſtantiæ & dependentiam vnius ab altero, ac proinde quamdam prioritatem & poſterioritatem naturæ, præſertim ſi ſermo ſit de cauſa efficiente, qualis eſſet vna perſona reſpectu alterius, quam non importat nomen principii. Porrò nil videtur repugnare Patrem dici authorem filii, ſimiliterque Patrem & Filium authorem Spiritus ſancti, ſi per authorem intelligas eum à quo alius eſt aut procedit, non verò qui in alium authoritatem habet.

Dubitatio.

* αἰτίας ἢ ἀρχῆς

Reſponſio.

Digitized by Google

An eſſe Patrem ſit proprium diuinæ perſonæ, & quomodo.

QVÆSTIO II.

DVAS difficultates propoſita quæſtio cōtinet, quæ duabus propoſitionibus explicandæ ſunt, ſi priùs perceptum fuerit quod præclarè docet ſanctus Thomas hîc quæſt. 33. art 2.& 3. nomen hoc (Pater) dupliciter in diuinis accipi non ſecus ac nomen (Principii) nempe aut perſonaliter, aut eſſentialiter.

Prima propoſitio.

Sit prior propoſitio. Maximè proprium eſt diuinæ perſonæ eſſe ac dici Patrem, ſi vocabulum iſtud, Pater, propriè ac notionaliter ſeu perſonaliter accipiatur. Confirmatur primùm authoritate Pſalmiſtæ Pſal. 88. *Ipſe inuocauit me pater meus es tu*: Secundò ratione; illud enim eſt maximè proprium cuiuſlibet perſonæ per quod diſtinguitur ab omnibus aliis; atqui eiuſmodi eſt paternitas reſpectu perſonæ Patris: ergo maximè proprium eſt illius perſonæ eſſe ac dici Patrem. Vbi obiter aduerte paternitatem apud nos quidem non ſignificare perſonam, ſed relationem tantùm perſonæ, in diuinis tamen ſignificare perſonā, quia ſignificat relationem ſubſiſtentem quæ eſt perſona. Nota etiàm quod quia denominatio rei cuiuſque maximè debet fieri ſecundùm id quod perfectius eſt; generatio autem ſignificat vt in fieri, paternitas verò vt in facto eſſe & quaſi complementum generationis; idcirco diuina perſona magis propriè dicitur Pater

Ratione cōfirmatur

quàm generans, vel genitor.

Poſterior propoſitio. Pater per prius ac magis proprie dicitur de Deo perſonaliter quàm eſſentialiter, ſeu de prima perſona ſanctiſſimæ Trinitatis reſpectu filii quàm de Deo abſolutè reſpectu creaturarum: Ratio in promptu eſt, quia perfectior eſt ratio paternitatis vt importat reſpectum perſonæ diuinæ ad perſonã quam vt importat reſpectum Dei ad creaturam, quia nempe Paternitas in vna perſona reſpectu alterius dicit vnam eandemque naturam & gloriam in vtraque, non item paternitas in Deo reſpectu creaturæ, cùm Creator & creatura non poſſint eſſe eiuſdem naturæ aut gloriæ: non igitur ſecundùm naturam, ſed ſecundùm ſimilitudinem dumtaxat Deus dicitur Pater reſpectu creaturarum; & quidẽ reſpectu creaturarum irrationalium ſecundùm ſimilitudinem veſtigii, reſpectu verò creaturæ rationalis in ſtatu naturali ſpectatæ ſecundùm ſimilitudinem imaginis, item reſpectu eiuſdem ad gloriam ordinatæ, ſecundùm ſimilitudinem gratiæ: denique reſpectu eiuſdem in ipſa iam gloria collocatæ ſecundùm ſimilitudinem gloriæ. Adde quod ſicut verbum conceptum in mente artificis per prius intelligitur procedere ab artifice quàm artificiatum quod producitur ad ſimilitudinem verbi concepti in mente eiuſdem artificis; ita per prius ac magis procedit à Patre filius quod eſt ſubſtantiale ipſius Verbum, quàm creatura,

Secunda propoſitio.

Ratione cõfirmatur

Digitized by Google

quæ non aliâ ratione dici poteſt Dei filia, quā quatenùs participat de ſimilitudine filii, & quidem magis vel minus propriè, prout magis vel minùs illam participat: ex quo concludere eſt Patrem per prius ac magis propriè dici Patrem reſpectu filii quàm ipſummet Deum reſpectu creaturarum.

An eſſe ingenitum ſit proprium Patris.

QVÆSTIO III.

Triplex acceptio ingeniti.

PROPOSITÆ quæſtionis explicatio tota pendet ex ipſius vocabuli explicatione; eſt enim triplex huiuſmodi vocabuli aceptio; Primum enim dicitur ingenitum quod non eſt ab alio per proceſſionem, & ſic ſolus Pater eſt ingenitus ſeu innaſcibilis; ſecundò dicitur ingenitum quod non eſt ab alio per generationem, & ſic non ſolus Pater, ſed etiam Spiritus ſanctus eſt ingenitus. Tertiò ingenitum dicitur quod non eſt ab alio per vllam effectionem, ſicque idem eſt ac increatum ſeu non factum: & ſic non tantùm Pater & Spiritus ſanctus, ſed etiam filius eſt ingenitus, imò ipſa eſſentia diuina hoc ſenſu dici poteſt ingenita.

Nota.

Vbi nota obiter quod licèt filius hoc ſenſu dici poſſit Græcè ἀγενητὸς, id eſt non factus, numquam tamen dici poteſt ἀγέννητος, id eſt non natus.

Corollariū.

Cæterùm iſta Patris proprietas quâ ſignificatur non eſſe ab alio, potiùs exprimitur per negationem natiuitatis, quàm proceſſionis, quæ eſt pro-

pria Spiritus ſancti: quia cùm proceſſio Spiritus generationem filii præſupponat, hinc fit vt negatio generationis in eo quod eſt ipſius principium importet quoque negationem proceſſionis Spiritus ſancti, quo fit vt cùm dicitur Pater ingenitus, ſeu non genitus, intelligatur etiam non ſpiratus: Vide quæ ſupra diximus de innaſcibilitate diſput. præcedenti quæſt. 3. ſub finem.

SEPTIMA DISPVTATIO.

DE PERSONA FILII.

DVÆ ſunt præcipuæ filii appellationes, nempe Verbum & Imago Patris: de quibus ſolent hoc loco Theologi diſputare.

An Verbum in diuinis ſit nomen perſonale proprium filii.

QVÆSTIO. I.

SVPPONENDVM eſt hîc imprimis quod aliàs inſinuauimus, cùm Verbum multipliciter accipiatur ex D. Th. hîc q. 34 a. 1. in diuini 3 accipi pro conceptu intellectus de cuius ratione eſt quod ab alio procedat, vt ſuprà docuimus vbi de diuinis proceſſionibus, & aliàs in 3. Parte noſtræ Phyſ. vbi de facultatibus animæ rationalis, præſertim de intellectu & actu intelligendi. Secundò ſupponendum eſt inſigne diſcrimen eſſe, vt iiſdem locis adnotauimus, inter intelligere & dicere in rebus ſpiritualibus: nempe quod intelligere importet ſo-

Supponenda quadã primum.

Secundũ.

lam habitudinem intelligentis ad rem intelle-ctam: at verò dicere importet principaliter habitudinem ad verbum conceptum: in illo nulla ratio originis importetur, in iſto verò maximè; illud in diuinis omnimodam importet identitatem, iſtud verò perſonarum diſtinctionem. *Tertium.* Tertiò ſupponendum eſt non ſolùm verbum, ſed etiam rem quæ verbo exprimitur dici ab intellectu, vnde intelligimus aliquid ab intellectu dici, vel vt verbum conceptum, vel vt rem intellectam; ſicque aliud eſſe verbum dici, aliud verò rem verbo dici. Quarto notandum eſt cùm verbum ſit aliquid prolatum à dicente & ſignificatiuum rei intellectæ, ipſum habere duplicem reſpectum; alterum realem ad intellectum dicentem, alterum rationis ad rem ſignificatam.

Prima propoſitio. His poſitis ſit prima propoſitio. Verbum eſt nomen perſonale in diuinis, non eſſentiale. *Ratio.* Probatur, quia verbum in diuinis non eſt ipſum intelligere, vt nonnulli minùs probabiliter ſibi perſuadent, ſed aliquid productum intelligendo tanquam imago rei cognitæ; at in diuinis produci ſeu producere ab aliquo pertinet ad rationem nominum perſonalium non eſſentialium, cum perſonæ diuinæ diſtinguantur ſecundùm originem. Itaque licèt tota ſanctiſſima Trinitas verè ſit intelligens & intellecta, ac etiam verbo dicta, vna tamen perſona ſola eſt dicens quæ profert verbum, nempe Pater; & vna ſola vt verbum dicta, nempè filius.

Secunda propoſitio. Secunda propoſitio. Verbum eſt proprium

nomen fili non alterius perſonæ. Probatur, quia verbum importat emanationem quandam intellectus; perſona autem quæ procedit in diuinis ſecundùm emanationem intellectus dicitur filius, eiuſque proceſſio dicitur generatio, vt conſtat ex prædictis: quare ſolus filius dicitur Verbum in diuinis quod eſt productum tanquam imago obiecti primarii, nempe ſubſtantiæ Patris. Vbi nota quod nomine filii & Verbi idem ſignificatur, nempe natiuitas ipſius filii: quæ quidem proprietas perſonalis pro diuerſa conſideratione variis nominibus ſignificatur. Vt enim oſtendatur connaturalis Patri dicitur filius; vt oſtendatur coęternus dicitur ſplendor, vt oſtendatur omninò ſimilis, dicitur Imago: denique vt oſtendatur ſpiritualiter genitus, dicitur Verbum. *Ratio.*

Quòd ſi obiicias, non ſolum filium poſſe dici Verbum eo quòd ab intellectu Patris ſit dictum, cùm aliud Verbum concipi poſſit etiam ab intellectu filii expreſſum. Reſpondetur, etiam ſi filius ſit verè intelligens, non ſecus ac Pater, non tamen propterea producere, Verbum, cùm illud iam intelligatur productum à Patre, nec opus ſit plures eſſe terminos internos eiuſdem intellectionis quæ quidem eſt in Patre, Filio & Spiritu ſancto, neque opus eſſe vt omnes perſonę terminū illum intellectionis diuinæ proferant. *Obiectio.* *Solutio.*

Si inſtes, debere aſſignari terminum internum eſſentialis intellectionis quatenus talis eſt. Reſpondeo non poſſe aſſi-

nil abſurdi eſſe, quod nomē aliquod perſonale inquantum naturam diuinam ſuo ſignificatu ſaltem obliquè includit, importet reſpectū ad creaturam; Adde quod reſpectus ille ad creaturam quam verbum includit, non præſupponit vllam actionem Dei trāſeuntem circa creaturas; quò fit etiam vt non ſit neceſſe eiuſmodi relationem dici ex tempore; neque enim omnia nomina quæ important relationem ad creaturas, dicuntur ex tēpore, ſed ſola illa quę important relationem conſequentem actum Dei tranſeuntem in exteriorem effectum.

Nota etiam inſigne diſcrimen inter nomen ideæ & nomen Verbi in diuinis, quod illud principaliter impoſitum ſit ad ſignificandum reſpectum ad creaturā, nec perſonale ſit, cùm in ipſa eſſentia etiam vt eſt communicabilis tribus perſonis dicantur eſſe rerum omnium ideæ, vt conſtat ex iis quæ diximus in præcedenti tractatu, vbi de ideis diuinis; at nomen Verbi principaliter impoſitum ſit ad ſignificandum reſpectum ipſius Verbi ad ipſum dicentem, & ex conſequenti ac minùs principaliter vt ſignificetur ipſius reſpectus ad creaturas quas exprimit: & propterea in diuinis eſt vnicum Verbum, ſicut eſt vnicus intelligens ad quem per ſe refertur; idea verò multiplex, ſicut eſt multiplex creatura ad quam per ſe refertur. *Notandū.*

Digitized by Google

An Verbum diuinum procedat ex omni cognitione quæ in Deo eſt.

QVÆSTIO III.

Varia ſententia.

ARbitratur Scotus in 2. ſent. diſt. 1. q. 1. ar. 2. Verbum diuinum ex cognitione ſolius eſſentiæ diuinæ procedere, alij cõtra arbitrãtur ex omni cognitione quæ in Deo eſt non tantùm naturali eſſentiæ omniũ perſonarum, ſed etiam libera creaturarum ſecundùm proprias exiſtentias, nos verò vt mediam ita probabiliorem ſententiam ſequimur; nempe Verbum procedere ex omni ſcientia naturali quæ in Deo eſt, non verò ex libera : quæ ſententia ſequentibus propoſitionibus explicabitur.

Prima propoſitio.

Prima propoſitio quæ eſt D. Tho. hîc q. 34. a. 3. & q. 37. ar. 2. ad 3. & aliorum. Verbum procedit de naturali notitia Patris qua omnia cognoſcit; tum ſuam ipſius eſſentiam, cũ tres perſonas, & etiam omnes creaturas ſaltem vt poſſibiles. Probatur primùm authoritate Diui Auguſt. lib. 15. de Trin. cap. 13. *Non enim inquit, ſeipſum Pater integrè perfectéque dixiſſet ſi aliquid minus aut amplius eſſet in eius verbo quàm in ipſo.*

Authoritate probatur.

Secundò ratione, quia nempe Verbum procedit ex notitiâ Patris nobiliſſimâ ac perfectiſſimâ, qualis eſt ſola comprehenſiua notitia eſſentiæ; atqui comprehenſio eſſentiæ diuinæ eſt cognitio etiam eorum omniũ quæ in ipſa eminenter continentur, cuiuſmodi ſunt tres perſonæ diuinæ quæ in ipſius eſſentiæ fæcun-

Ratione confirmatur.

ditate virtualiter, vel vt alij loquũtur radicaliter continẽtur, & etiam creaturæ quas docuimus etiam eminenter in eadem eſſentia diuina contineri; ergo Verbũ procedit de notitia Patris quâ cognoſcit non ſolùm ſuam eſſentiam, ſed etiam tres perſonas vt ſunt radicaliter in ipſa, & creaturas omnes ſecũdùm ſuum eſſe poſſibile. Vbi nota quod licèt Verbum procedat de notitia tùm ſuiipſius cùm creaturarum, non ſequitur tamen quod procedat de ſeipſo, vel de creaturis, quia neque ipſum neque creaturę per ſe concurrunt ad notitiam quâ Pater æternus eas in eſſentia ſua cognoſcit, quemadmodum ipſa eſſentia diuina quæ ad id concurrit per modum ſpeciei intelligibilis: vnde rectè dicitur Verbũ à Patre procedere de ipſius eſſentia. Et licèt in eo priori noſtro intelligendi modo quo concipimus eſſẽtiam per modum ſpeciei intelligibilis cõcurrere cum Patre ad producendum Verbũ nondum ſit verbum ſicut nec Spiritus ſanctus formaliter in eſſentia diuina, eſt tamen in ipſa radicaliter & eminenter, & ſic in ipſa eſſentia cognoſcitur dum ipſamet eſſentia cognoſcitur vt fœcunda: & quia in eodẽ inſtanti reali Verbum ipſum producitur & exiſtit ſicut & ipſe Spiritus ſanctus, idcirco illa notitia quam pater æternus habet de ipſo Verbo & Spiritu ſancto in eſſentia, abſolutè loquendo eſt intuitiua, & non ſimplicis intelligentiæ; ſecundùm quid tamen, & in eo priori quo ſecundum rationem nondum cõcipitur eſſe Verbum ſicut nec Spiritus ſanctus formaliter in diuinis,

Notandũ.

Digitized by Google

poſſet dici notitia abſtractiua ſeu ſimplicis intelligentiæ.

Secunda propoſitio. Secunda propoſitio. Verbum non procedit ex ea notitia perſonarum qua omnes cognoſcantur vt formaliter exiſtẽtes in eſſentia diuina, neque etiam ex notitia libera creaturarũ. *Prior pars propoſ. probatur Primo.* Prior pars huius propoſitionis probatur; quia ſi Verbum produceretur ex notitia ipſius formaliter præexiſtẽtis in natura diuina, iam ſupponeretur productus antequã produci cõciperetur, quod implicat cõtradictionẽ: *Secundo.* Deinde, de illo verbo præexiſtente quæri poſſet, an ex ſui ipſius notitia produceretur, ſicque progreſſus in infinitum eſſet admittendus: *Tertio.* denique illa notitia ſecundùm quam concipimus Verbum procedere, ſupponitur tanquam aliquid ſecundùm noſtrum concipiendi modũ prius quàm ratio formalis ipſius Verbi, ac proinde quàm ipſum Verbum formaliter exiſtẽs in diuinis; *Cõſectar. ũ.* ex quo ſimiliter infertur quod idem Verbum nõ procedit ex notitia Spiritus ſancti ſecundùm quam cognoſcitur vt formaliter exiſtens in diuinis, cùm non poſſit ſic concipi niſi præſuppoſita formali exiſtentiâ Verbi. *Poſterior pars præc. propoſ. probatur.* Poſterior pars eiuſdem propoſitionis etiam confirmatur; quoniam quæ naturalia ſunt in Deo, antecedunt noſtro concipiendi modo ea quæ libera ſunt, vt aliàs docuimus tract. præcedenti, vbi de intellectu & voluntate diuinis; ſed generatio Verbi, Verbũque ipſum in Deo ſunt naturalia; ergo antecedunt actum liberũ diuinæ voluntatis circa creaturas, atque adeò ſcientiam liberam quam Deus habet de crea-

turis pro libera determinatione ſuæ voluntatis futuris.

Tertia propoſitio. Verbum diuinum omnia exprimit quæ à Patre cognoſcuntur tùm naturali cũ libera ſcientia; quò fit vt perſonæ etiã quatenus formaliter exiſtunt ſicut & creaturę, non tantùm vt poſſibiles, ſed etiã vt futuræ in propriis exiſtẽtiis per ipſum repręſentẽtur. Itaque licèt Verbum ex vi illius cognitionis per quam producitur non exprimat perſonas vt formaliter exiſtentes in eſſentia diuina, illas tamen vt ſic ex conſequenti & quaſi per concomitantiam exprimit: ſimiliter etiam licèt ex vi ſuæ productionis Verbum non exprimat creaturas niſi vt poſſibiles, ex conſequenti tamen aut per cõcomitãtiã illas etiam exprimit & repręſentat vt futuras, ſi futuræ ſint. Et ratio huius propoſitionis eſt; quia in eodem inſtãti æternitatis & naturæ quo producitur Filius producitur quoque Spiritus ſanctus, & ſimul elicitur à Deo omnis actus ſiue intellect⁹ ſiue volũtatis circa creaturas tũ poſſibiles cũ futuras: hinc fit vt cũ Verbũ ſit ſplendor & imago Patris, repręſentet & exprimat omnia quæ in ipſo inſtãti ęternitatis ſunt in Patre. Et ſane hæc ſententia eſt D. Tho. hîc q. 34. ar. 3. vbi docet Verbum eſſe eorum omnium expreſſiuum imò etiam & factiuum quæ diuina ſcientia comprehenduntur, quod intelligendum eſt tã de libera quàm de naturali; non enim intelligi poteſt Verbum eſſe factiuum niſi eorum quæ Deus liberè determinauit eſſe facienda.

Tertia propoſitio.

Ratione confirmatur.

Verùm obiicies, Verbum mentis non eſſe

Obiectio. expreſſiuum niſi eorum ex quorum cognitione producitur. *Solutio.* Reſpondetur, hoc eſſe verum de verbo noſtro mentali creato, non verò de Verbo diuino increato, cui quidem illud competit non ſimpliciter, quatenus eſt verbum mentale, ſed quatenus eſt Verbum diuinum ipſi Patri conſubſtantiale, vnde habet quod ſit ſplendor, & imago Patris, proindeque omnia in ipſo reluceant quæ à Patre cognoſcuntur.

Quarta propoſitio. Quarta propoſitio. Cognitio patris per quã Verbum producitur ſecundùm rem & naturam non priùs terminatur ad res intelligendas quàm ad ipſum Verbum, nec è cõtra priùs ad ipſum Verbum quam ad res intelligendas ſecundùm rationem tamen & noſtrum concipiendi modum priùs terminatur ad res intelligendas quàm ad ipſum verbũ. *Prior pars propoſ.* Prior pars propoſitionis probatur; quia cùm eadem reipſa actio ſit productio verbi & cognitio rerũ, fit vt vna non poſſit eſſe cauſa alterius, proindeque vna non poſſit eſſe natura prior altera; & certè quòd Pater nullo modo accipiat cognitionem à Verbo docet Diu. Auguſt. l. 6. de Trinitate c. 1. & l. 15. c. 7. *Poſterior pars propoſ.* Poſterior pars propoſitionis etiam probatur, quia priùs cõcipimus Patrem cognoſcere quàm producere, cùm non aliter intelligamus Patrem producere Verbum quam per cognitionem rerum quas æterna mente complectitur.

An imago dicatur perſonaliter & propriè de filio.

QVÆSTIO IIII.

QVæſtio hæc duplici propoſitione facillimè explicabitur.

Sit igitur prima propoſitio D. Thomæ hîc q. 35. ar. 1. Imago eſt nomen perſonale in diuinis; probatur, quia ad rationem imaginis requiritur tum ſimilitudo quæ ſit ſecundùm ſpeciem, aut quę ſit ſignum ſpeciei, cùm etiam proceſſio quædam ab alio: neceſſe enim eſt vt aliquid dicatur imago alterius quòd ſit ab illo ducta & veluti expreſſa, quod nil aliud eſt quàm ex alio procedere ſimile in ſpecie aut in ſigno ſpeciei; at verò ea quæ proceſſionē ſiue originem important in diuinis ſunt perſonalia: quare hoc nomen imago erit in diuinis perſonale: vbi nota quod licèt nonnumquam imago pro exemplari vſurpetur, ab ipſo tamen propriè diſtinguitur: Eſt enim exemplar id ad cuius ſimilitudinem aliud procedit; imago vero id quod procedit ad ſimilitudinem alterius. *Prima propoſitio. probatur.*

Secunda propoſitio. Imago eſt nomen proprium filij. Probatur, quia imago eſt quippiam ſimile ad alterius imitationem productum, quare cùm in diuinis nil ſit productum niſi perſona Filij & Spiritus ſancti: at perſona Spiritus ſancti vi ſuæ productionis non producatur ad imitationem Patris & Filii, ſed ſolus filius ad imitationem ſubſtantiæ *Secunda propoſitio. Probatur.*

Digitized by Google

Patris procedat, quia nempe ſolus ipſe per intellectum producitur fit vt ſolus filius in diuinis rationē imaginis ſibi iure vendicet. Vbi nota quod licèt homo proceſſerit à Deo aliqua ratione ſimilis, quia tamen non eſt eiuſdē naturæ cum ipſo, ſicuti eſt filius dictus cum ſuo patre, idcirco non propriè & perfectè dicitur Imago Dei, ſed ad ipſius imaginem, per quam modus & ratio tendendi ad illam deſignatur.

Nota.

OCTAVA DISPVTATIO.

DE PERSONA SPIRITVS SANCTI.

QVoniam præter ea quæ ad appellationem huius ſanctiſſimæ Trinitatis Perſonæ ſpectant, nonnulla ad ipſius proceſſionem pertinentia ſpecialem difficultatem habent; idcirco; tum de appellatione, cùm de proceſſione ipſius deinceps agendum eſt.

Quænam ſint nomina perſonaliter propria Spiritus Sancti.

QVÆSTIO I.

TRIA ſunt præcipua nomina quæ huic perſonę ſpecialiter competunt, nempe Spiritus ſanctus, Amor & donū, ad quæ cætera

Digitized by Google

commodè poſſunt reuocari. Quod igitur ſpectat ad primum; ſi nomen hoc Spiritus Sanctus à ſpiratione dicatur, proculdubio erit perſonale ac proprium huius tertiæ perſonæ, cùm illi ſoli conueniat per ſpirationem procedere; ſi verò nomen illud dicatur à ſpiritualitate, erit nomen eſſentiale commune toti Trinitati, præſertim ſi pro duplici dictione accipiatur; nomine enim (Spiritus) ſignificatur immaterialitas diuinæ ſubſtantię; Spiritus enim corporeus (vt aër) inuiſibilis eſt, & penè materiæ expers videtur; per hoc verò quod dicitur Sanctus, ſignificatur puritas diuinæ bonitatis; atqui tùm immaterialitas cùm puritas toti Trinitati competunt. Ex vſu tamen Eccleſiæ nomen illud Spiritus Sanctus, pro vnica dictione ſumptum accommodatum eſt ad ſignificandam tertiam perſonam Sanctiſſimæ Trinitatis: & quidem meritò; tum quia cùm Spiritus Sanctus communis ſit ambobus Patri nempè & Filio à quibus ſimul procedit, id vocatur ipſe propriè quod ambo communiter; tum quia nomen ſpiritus impulſionem & motionem ſignificat, eſt autem proprium amoris quod moueat & impellat voluntatem amantis in amatum; & quia impulſio illa & motio ad Deum ordinatur, idcircò iure & meritò ſanctitas illi attribuitur.

De nomine Spiritus.

Quod ſpectat ad ſecundum vocabulum quo dicitur Spiritus Sanctus amor; notandum eſt quod in diuinis amare ſeu diligere interdum ſumitur eſſentialiter, vt ſignificat actum quo tres perſonæ amant ac diligunt; interdum

De nomine amoris.

verò notionaliter, vt ſignificat idem quod ſpirare ſeu amando producere, & etiam producendo amare, quomodo ſoli Patri & Filio cõuenit: ſimiliter vocabulum iſtud (Amor) interdum ſumitur pro amore eſſentiali quo tres perſonæ diuinæ diligunt; interdum verò pro amore notionali, idque dupliciter, vel pro amore notionali productiuo quo Pater & Filius producunt Spiritum Sanctum, vel pro amore notionali producto, quomodo eſt nomen perſonale proprium Spiritui Sancto. Et quoniam ea quę ad voluntatem ſpectant, præſertim in diuinis, nos magis latent quàm quæ ad intellectum, idcircò operæpretium duxerim ea quæ ad Amorem productum pertinent ex analogia Verbi diuini paucis hîc iuxta D. Tho. doctrinã hac 1. par. qu. 36. art. 1. aperire.

Analogia Amoris producti cum Verbo.

Sicut igitur dum Pater ſeipſum in eſſentia contemplatur, Verbum mentis qui eſt ipſius imago, Filius nempè, generatur: ita dum Pater & Filius ſe in vnitate eſſentię diligunt, affectus cordis qui eſt vtriuſque amor, nẽpè Spiritus Sanctus, producitur. Item ſicut intelligere Filio conuenit non ſecùs ac Patri, ſed cõceptum efformare ſeu verbum dicere ſoli Patri: ita amare Spiritui Sancto conuenit non ſecùs ac Patri & Filio, ſed affectum exprimere ſeu amorem ſpirare ſoli Patri & Filio. Præterea ſicut quia Filius eſſentialiter intelligit vt Verbũ procedens, non vt id à quo verbum procedit, idcircò non illi competit verbum dicere; ita quia Spiritus Sãctus eſſẽtialiter amat vt amor procedẽs, non vt à quo procedit amor, idcircò

non ipſi amorem ſpirare competit. Denique ſicut in Verbo importatur reſpectus non ſolũ ad Patrem tanquã ad ſui principium, ſed etiam ad rem Verbo expreſſam ſeu intellectam: ita in amore producto includitur reſpectus non modò ad ſpirationem tanquam ad ſui principium, ſed etiam ad rem amatam, quæ tum ipſa eſſentia eſt, cùm etiam & ipſæ perſonæ diuinę, ac res etiã creatę vt amantur à Deo amore tùm naturali vt poſſibiles, cùm libero vt futuræ.

Ex iis intelligere eſt quomodo verũ ſit quod hîc docet S. Thomas, qu. 37. art. 2. Patrẽ & Filiũ ſeſe diligere Spiritu Sãcto, idque iuxta doctrinã D. Aug. l. 15. de Trinit. c. 17. & D. Bernardi lib. de diligendo Deo: hoc enim præſertim intelligendũ eſt de dilectione notionali, vt docet Sãctus Doctor loco citato: neq; enim exiſtimandum eſt Patrẽ & Filiũ ſe tãtùm diligere amore eſſẽtiali; ſe enim etiã mutuò cõplectũtur amore notionali: quòd igitur hic loquendi modus ſit verus probatur hac ratione; Quãdo agẽs aliquid ſignificatur efficere quod mediũ ſit inter actionẽ & vltimũ terminũ quẽ agẽs ſignificatur reſpicere per actionẽ, tũc nõ ſolùm per ipſam actionẽ, ſed etiã per illud mediũ dicitur reſpicere vltimũ terminũ ad quẽ tendit: atqui in propoſito vbi ſermo eſt de amore notionali quo Pater & Filius ſe diligunt, Spiritus Sãctus eſt tãquã mediũ aliquod productũ per eã actionẽ dilectionis qua Pater & Filius reſpiciũt ſeipſos vt vltimũ terminum, quia per illam volitionem notionalẽ Pater & Filius tendunt in ſeipſos amando ſe & ſimul producẽdo *Corollariũ.*

Spiritum Sanctum amant ſeipſos, atqui Spiritus Sanctus eſt quaſi medium quid inter actionem illam, vt eſt dilectio, & Patrem & Filium vt ſunt vltimus ipſius actionis terminus: ergo non ſolùm per illam dilectionem qua producitur Spiritus Sanctus, ſed etiam ipſo Spiritu Sancto per eã producto ſe Pater ac Filius diligunt. Ex quo ſequitur quod docet D. Thom. ibidem, non perindè poſſe dici quod Pater & Filius ſpirent Spiritu Sancto, quoniam Spiritus Sanctus non eſt aliquid medium inter ſpirationẽ quatenùs ſpiratio dicitur, & vltimum eius terminum, cùm ſit ipſe terminus ſpirationis vltimus; ſicut quamuis ob rationem allatam dici poſſit Pater ſe & omnia dicere Verbo, non tamen dici poteſt generare Verbo. Porrò nota obiter quod nonnulli ſatis probabiliter dictum illud explicant de dilectione eſſentiali hoc modo; Pater & Filius diligendo ſe eſſentiali dilectione producunt Spiritum Sanctum, vel diligunt ſe eſſentiali dilectione quæ appropriatur Spiritui Sancto.

Conſectarium ex prædictis.

Notãdum.

Quod ſpectat ad tertium quo Spiritus Sanctus dicitur donum; notandum eſt donum duplicem habitudinem importare, vt hîc docet Sanctus Tho. qu. 38. art. 1. vnam ad id à quo datur, alteram ad id cui datur, ita vt vtriuſque eſſe intelligatur; non enim daretur ab aliquo niſi eſſet eius, & ad hoc alicui datur vt eius ſit. Pręterea notandum eſt donum dici poſſe eſſe donantis; vel quia eſt idem cum donante; vel quia ad ipſum aliqua ratione pertinet: quare in diuinis donum dici poteſt eſſe donantis

De nomine doni.

Nota primo.

Secundo.

Digitized by Google

dupliciter, vel per identitatem, vel per originem.

Hoc poſito aſſerimus ſi donum in diuinis ſumatur prout dicitur eſſe donantis per identitatem, eſſe quid eſſentiale ac commune toti Trinitati; nam eſſentia diuina, & Trinitas ipſa, ſe donant per gratiam rationali creaturæ in terris, ſicut & per iuſtitiam ſe dāt eidem creaturæ in cœlis; & hoc modo Spiritus Sanctus dici poteſt ſeipſum donare: ſi verò ſumatur donum quatenùs dicitur eſſe donantis per originem, aſſerimus eſſe quid perſonale, conuenireque Filio & Spiritui Sancto, quatenùs illæ perſonę dari poſſunt creaturæ rationali ab iis à quibus procedunt: etenim in diuinis perſona aliqua dicitur eſſe eius à quo datur, per originem, v. g. Filius dicitur eſſe Patris, & eadem fit aliquo modo eius cui datur, per participationem, ſicque idem Filius noſter eſſe dicitur. *Aſſertio tenenda.*

Quamuis autem ſi ſolam vocabuli ſignificationem ſpectes, Filius non ſecùs ac Spiritus Sanctus dici poſſit donum in diuinis, ſi tamen communem vſum & accommodationem ipſius vocabuli ſpectemus, Spiritus Sanctus dicitur donum potiori iure quàm Filius, quia (inquit D. Tho. qu. citata art. 2.) donum importat gratuitam donationem, cuius vnica ratio eſt amor; idcircò enim aliquid alicui gratis damus quia ei volumus bonum: ſicque amor habet rationem primi doni per quod cætera gratis donantur: vnde cùm Spiritus Sanctus procedat vt amor, procedit in ratione primi &

principalis doni; quò fit vt illud nomen ipſi propriè ac perſonaliter ex communi vſu competat.

Nota. Porrò obiter nota Donum appellari, non ex eo quod actu datur, ſed ex eo quod aptū ſit dari, quò fit vt ab æterno diuina perſona dicatur donum, licèt ex tempore detur. *Nota.* Nota etiam quod ex hoc quod nomen illud importat reſpectum ad creaturas, non ſequitur propterea quod ſit nomen eſſentiale, ſed tantùm quod aliquid eſſentiale in ſuo conceptu includat; neque enim idcircò nomen aliquod eſſentiale dicendum eſt ſi aliquid eſſentiale ſuo ſignificatu includat, ſed ſi illud primariò & in recto ſignificet.

An Spiritus Sanctus procedat ſimul à Patre & Filio.

QVÆSTIO II.

VEtus olim error fuit Neſtorianorum, nūc verò communis Græcorum ab anno circiter ſexcenteſimo vel ſeptingenteſimo, quorum propter hoc apertū ſchiſma erupit anno milleſimo quingenteſimo quarto, Spiritum Sanctum à Patre duntaxat, nequaquam verò à Filio procedere. Contra verò fides orthodoxa ſemper fuit Spiritum Sanctum ab vtroque ſimul procedere. Ideoque aduerſus illum errorem apud Græcos ita graſſantem ab Eccleſia Latina circa annum 600. in Symbolo Niceno & Conſtantinopolitano maioris explicationis gratia addita sūt illa verba (Filioque procedit)

Græcorum error.

Fides orthodoxa.

&, vt vetuſtiora etiam Græcorum Cōcilia ante exortum ſchiſma prætermittā, error ille dānatus eſt etiam cōſentientibus Græcis in Lugdunenſi Concilio ſub Gregorio 10. anno 1274. Deinde expreſſè in Cōcilio Florentino quod maximè aduerſus illū errorem habitū eſt anno 1439. Denique in Cōcilio Tridētino ſeſſione 5. Probatur autem hęc orthodoxæ fidei doctrina imprimis authoritate ſacrarū Scripturarum ex quibus id ſatis apertè colligitur, vt cùm Chriſtus ſe miſſurū pollicetur Spiritū Sanctū, Ioan. 15. *Cùm venerit Paracletus quē ego mittā vobis à Patre*, Ioan. 16. *Si autē abiero mittā eum ad vos*; atqui vt poſtea docebim⁹ de miſſione diuinarū perſonarū, perſona nō poteſt mitti niſi ab ea à qua procedit. Deinde cap. 16. ait Chriſtus, *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet*. Id autē quod Spiritus Sāctus ibi accepturus eſſe dicitur, eſt veritatis ſciētia, vt exponūt Sācti Patres, & patet ex ipſis Chriſti verbis; at ſciētia Spiritus Sācti eſt idē cū ipſius eſſētia; quare ſi ſcientiā dicitur accipere à Filio, ergo & eſſentiā, proindeque verè ab ipſo procedit. Pręterea Ioā. 2. *Inſufflauit Chriſtus diſcipulis, & dixit, Accipite Spiritū Sāctū, &c.* Vt queādmodum ſpiritus aëreus ex ore humano procedit, ita & Spiritus Sāctus à Filio procedere intelligeretur. Huc enim eā Chriſti cerimoniā pertinuiſſe atteſtatur Auguſt. l. 3. cōtra Maximinū, cap. 14. Deniq; idē colligitur ex iis locis in quibus Spiritus Sanctus dicitur eſſe Filij, vt ad Rom. 8. *Vos autē in carne nō eſtis, ſed in Spiritu. ſi tamē Spiritus Dei habitat in vobis: ſi quis autē Chriſti Spiritum non habet, hic non eſt eius.* Et ad Gal. 4.

Aſſertio Catholica probatur authoritate

Digitized by Google

Quoniam autem eſtis Filij Dei, miſit Deus Spiritum Filij ſui in corda veſtra, &c. Atqui non poteſt dici Spiritus ille Filij niſi vel per identitatem naturæ, vel per originem, non autem ſic dicitur ſolum per identitatem naturæ, idem enim dici poſſet cùm Filius dicitur eſſe Verbum Patris ; ergo cùm Spiritus Dei dicitur Spiritus Filij, intelligi etiam debet ſecũdùm originem ; vt eodem ſenſu dicatur eſſe Spiritus Sanctus Filij, quo filius dicitur eſſe Patris.

Ratione confirmatur. Primo.

Confirmatur eadem veritas ratione Theologica in hũc modum à D.Tho. hîc qu. 36. art. 2. Neceſſe eſt (inquit) dicere Spiritum Sanctum eſſe à Filio ; niſi enim eſſet ab eo nullo-modo poſſet perſonaliter diſtingui : neque enim dici poteſt quod ſecundùm aliquid abſolutum diuinæ perſonę ab inuicem diſtinguãtur ; quidquid enim in diuinis abſolutè dicitur, ad vnitatẽ eſſentiæ pertinet: quare neceſſe eſt vt ſolis relationibus diuinæ perſonæ ab inuicem diſtinguantur ; relationes autem perſonas diſtinguere non poſſunt niſi quatenùs ſunt oppoſitæ , quod ex eo patet quod cùm duæ ſint in Patre relationes, altera qua Filium, altera qua Spiritum Sanctum reſpicit, quia tamen non ſunt oppoſitæ non conſtituunt duas perſonas, ſed ad vnam perſonam Patris tantùm pertinent : ſi ergo in Filio & Spiritu Sancto non eſſent niſi duę relationes quibus vterque referretur ad Patrem, & nulla eſſet per quam Spiritus Sanctus referretur etiam ad Filium , illæ relationes non eſſent ad inuicem oppoſitæ, ſicut nec illæ duæ relationes quibus Pater

Pater refertur ad illos; vnde ſicut perſona Patris eſt vna, ita ſequeretur quod perſona Filij & Spiritus Sancti eſſet vna habens duas relationes oppoſitas duabus relationibus Patris, quod impium eſſet aſſerere: neceſſe igitur eſt quod Filius & Spiritus Sanctus à ſe inuicem diſtinguantur oppoſitis relationibus quibus ad ſe inuicem referantur; non poſſunt autem eſſe in diuinis aliæ relationes oppoſitę quàm relationes originis, quæ quidem accipiuntur ſecundùm id à quo eſt aliud & id quod eſt ab alio: neceſſe eſt igitur aſſerere vel Filium eſſe à Spiritu Sancto, quod nemo dicit, vel Spiritū Sanctum eſſe à Filio, quod omnes Catholici profitentur. Idem etiam confirmatur ex ratione proceſſionis vtriuſque: dictum enim eſt ſupra vbi de proceſſionibus diuinis, quod Filius procedit per modum intellectus vt verbum, Spiritus Sanctus autem per modum voluntatis vt amor; neceſſe eſt autem quod amor à verbo procedat, non enim quid amatur niſi priùs mente concipiatur. Denique Pater generando Filium communicat ei quidquid non ei repugnat, nec ordini diuinarum proceſſionum; atqui ſpiratio actiua nec Filio repugnat, nec ordini proceſſionum diuinarum; ergo debuit communicari Filio: cuius argumenti vim videtur Chriſtus innuere Ioan. 16. *Omnia quæcumque Pater habet mea ſunt, propterea dixi quia de meo accipiet, & annunciabit vobis:* & certè cùm vltrò Græci fateantur Spiritum Sanctum eſſe Spiritum Filij ac de eius ſubſtantia, neceſſariâ quadam conſequutione videntur cogi

Secundo.

Tertio.

Digitized by Google

poſſe admittere relationem eius ad Filium, ſimul & proceſſionem eiuſdem ab ipſo.

Modus loquendi veterum Græcorum explicatur. Cùm verò D. Damaſc.l.1.Orthodoxæ fidei cap.11. & veteres quidã Græci renuunt Spiritum Sanctum eſſe ex filio; id faciunt ex eo quod apud eos dictio (ex) denominat emanationem ab aliquo tanquam à prima origine & fonte, quo pacto Spiritus Sanctus à ſolo Patre eſt: licèt autem idem ſit dicere Spiritum Sanctum procedere à Patre per Filium, vt Græci loquũtur, ſi modo rectè intelligatur, vt explicat D. Thom. qu.36. art. 3. & Spiritum Sanctum procedere à Patre & Filio, vt dicunt Latini; iſte tamen modus loquendi Latinorum aptior eſt: Vbi nota Spiritum Sanctum dici eſſe à Patre per Filium, non quaſi immediatiùs ſit à Filio & principaliùs à Patre, aut per aliam virtutem ſit à Patre, & per aliam à Filio, aut quaſi Filius ſit inſtrumẽtum Patris in productione Spiritus Sancti; ſed quia eſt ita à Patre & Filio vt ſit à Patre tanquam à primo fonte totius Trinitatis, & à quo Filius vt eſſentiam, ita & ſpirandi virtutem habet.

Conſectarium. Porrò ex ratione ſupra allata D. Thom. facile eſt intelligere quod ſi per impoſſibile Spiritus Sanctus à Filio non procederet, ab ipſo minimè diſtingueretur, quidquid in contrarium ſentiãt quidam Scholaſtici; quia nempè nulla foret inter illas duas perſonas relatiua oppoſitio, quę ratio eſt cur paternitas & ſpiratio actiua vnum & idem principium conſtituant. *Obiectio.* Quòd ſi obiicias, paternitatem non eſſe oppoſitam ſpirationi paſſiuæ, ſicut nec filia-

tionem, & tamen conſtituere diſtincta ſuppoſita. Reſpondeo non tantùm ſpirationem actiuam eſſe oppoſitam ſpirationi paſſiuæ, ſed etiam paternitatem & filiationem: relationes enim illæ in diuinis cenſendæ ſunt oppoſitæ alteri, non tantùm quæ primo per ſe opponuntur, vt potè quę ſint correlatiuæ, ſed etiam quibus ſecũdùm originis ordinem prę ſuppoſitis aduenit alia relatio quæ per ſe primò opponitur tanquam correſpondens alteri prædictæ relationi; ſic igitur paternitas & filiatio opponuntur ſpirationi paſſiuæ, quia illis ſecundùm originis ordinem præſuppoſitis aduenit ſpiratio actiua quæ eſt primò per ſe oppoſita ſpirationi paſſiuæ. Itaque inter ea in diuinis eſt realis oppoſitio inter quæ cernitur relatiua oppoſitio vel ratione ſui vel ratione relationis adiunctæ, & quaſi ſuperuenientis quæ ſit ratio vt quæ ita ordine originis prę ſupponuntur etiam diſtinguantur: ſic enim inter Patrem & Filium ex vna parte, & Spiritum Sanctum ex altera eſt relatiua oppoſitio non ratione ſui præciſè, ſed ratione relationis adiunctæ, & quaſi ſuperuenientis, nempè ſpirationis actiuæ, quæ eſt ratio cur Pater & Filius, quos iſta relatio ſecundùm ordinem originis præſupponit, opponantur Spiritui Sancto, & ab ipſo diſtinguantur: quare oppoſita relatiuè in diuinis dici poſſunt non tantùm correlatiua, ſed generatim omnia inter quæ mediate vel immediatè eſt ordo originis eius à quo alius & qui ab alio; ſic igitur Pater non tantùm opponitur

Solutio.

Quænam realiter opponuntur in diuinis.

relatiuè Filio, ſed etiam Spiritui Sancto, idemque de Filio dici debet.

Tria notanda.

Primum.

Sunt autem hîc tria diligenter aduertenda. Vnum eſt, quod filiatio qua nunc conſtituitur Filius in eſſe Filij, ſit alterius rationis quam Filiatio quâ conſtitueretur ſi ab eo non procederet Spiritus Sanctus, idemque dicendum de paternitate ſi à Patre per Filium non procederet: & ratio eſt, quia ea ſpiratio actiua, qualis nunc in diuinis reperitur, eſt de intrinſeca ratione tum paternitatis cùm filiationis, licèt ipſas præciſè ſpectatas ſecundùm noſtrum concipiendi modum præſupponat.

Secundum

Alterum eſt, quod ſi Spiritus Sanctus non procederet à Filio, ſed à ſolo Patre, licèt in Filio & Spiritu Sancto eſſent duæ rationes perſonæ, non tamen eſſent duæ perſonæ: ad pluralitatem enim perſonarum non ſatis eſt pluralitas rationum perſonæ, ſed etiam requiritur pluralitas ſubſtantiarum indiuiduarum incommunicabilium, quę pluralitas non poteſt eſſe abſque reali diſtinctione, realis autem diſtinctio non poteſt eſſe ſine relationum oppoſitione mediata vel immediata.

Tertium.

Tertiũ eſt, quòd ſi Spiritus Sanctus non procederet à Filio, non eſſet idem Spiritus Sanctus qui nunc eſt, tùm quia, vt rectè notat D. Thomas hîc quæſt. 36. art. 4. ad 4. non eſſet amor mutuus Patris & Filij, tum quia non eſſet quid procedens à duobus tanquam ab vno principio.

Digitized by Google

An Spiritus Sanctus procedat à Patre & Filio tanquam ab vno principio.
QVÆSTIO III.

IDem eſt quod quęrit hîc S. Thom. qu. 36. art. 4. vtrùm Pater & Filius ſint vnum principiũ Spiritus Sancti. Poteſt autem hęc quæſtio dupliciter intelligi; nempè vel de principio quo, vel de principio quod: Principium enim Spiritus Sancti, dupliciter dici poteſt; nempè principium quo, & principium quod: illud dicitur ratio ſecundùm quam producitur Spiritus Sanctus quæ eſt virtus ſpirandi in Patre & Filio; hoc verò illud à quo producitur Spiritus Sanctus, diciturque ſpirans vel ſpirator, iſque tum Pater, tum Filius. Non eſt autem hîc difficultas de principio quo; conſtat enim illud vnicum eſſe tum in Patre cum in Filio, nempè virtus ſpirandi; cùm enim illud ſit vnum & idem in diuinis ſecundùm quod perſonæ diuinæ non diſtinguuntur aut relatiuè opponuntur, ſanè ipſa virtus ſpirandi erit vna eademque in Patre & Filio, vtpote in qua Pater & Filius conueniunt & ſecundùm quam minimè diſtinguuntur. Sicque verè dici poteſt quod Pater & Filius ſunt vnum principium quo Spiritus Sancti, vel potius quod in ipſis ſit vnum & idem principium quo Spiritus Sancti, nempè virtus ſpirandi. Itaque præcipua difficultas eſt de principio quod, quam tamen ſequentibus propoſitionibus explicare conabimur.

Principiũ Spir. S. dupliciter dicitur.

Prima propoſitio. Authoritas

Prima propoſitio, eaque D. Tho. loco citato. Pater & Filius propriè loquẽdo ſunt vnum principium quod Spiritus Sãcti. Probatur primùm authoritate Concilij Lugdunenſis ſub Gregorio 10. vbi determinatum eſt Spiritum Sãctum æternaliter ex Patre & Filio procedere, non tanquam ex duobus principiis, ſed tanquam ex vno principio; neque duabus inſpirationibus, ſed vnica inſpiratione; idemque docet S. Aug. l. 5. de Trinit. c. 14. Secundò probatur hac ratione D. Thomæ; Pater & Filius in omnibus ſunt vnum, in quibus non diſtinguit inter eos relationis oppoſitio; quare cùm in eo quod eſt eſſe principium Spiritus Sancti non opponantur relatiuè, ſequitur quod Pater & Filius ſint vnum principium Spiritus-Sancti. Confirmatur iſtud, quia quemadmodum non obſtante perſonarum multitudine Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, propter vnam quam habent deitatem & virtutem creandi, dicuntur eſſe vnum principium omnium creaturarum & vnus Creator; ita ſanè Pater & Filius cùm vnicam habeant virtutem ſpiratiuam, propriè dici poſſunt vnum principium Spiritus Sancti.

Ratio.

Secunda propoſitio ſola explicationis cõprobatur.

Secunda propoſitio. Cùm Pater & Filius dicuntur eſſe vnum principium Spiritus Sancti, per illud vnum principium intelligitur vnum quid ſimpliciſſimum quod noſtro intelligẽdi modo cõſtet ex eſſẽtia diuina & relatione ſpirationis, quodque ſibi Patrẽ & Filiũ idẽtificet; nõ ſecùs ac cùm dicimus Patrem, Filiũ, ac Spiritum Sanctũ eſſe vnũ Deũ ac vnum principium

omnium creaturarum, per ipſum vnũ Deum ac principium intelligimus vnum quid ſimpliciſſimum quod ſibi identificat in vna eſſentia tres perſonas Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, licèt illud ſit diſcrimen quod iſtud principium quod dicitur creaturarum, ſit quid abſolutum, illud verò quod dicitur principium Spiritus Sancti ſit reſpectiuũ, proindeque realiter diſtinctum in diuinis ab aliquo tertio nẽpè Spiritu Sancto: quare ſicut in diuinis dicitur eſſe Deus Pater relatiuè oppoſitus Filio, ſic etiam dici poteſt Deus ſpirator relatiuè oppoſitus Spiritui Sancto; quamuis tamen illud ſit notabile diſcrimen quòd Deus Pater ſit vnum ſuppoſitum ſeu vna perſona, non item Deus ſpirator; non enim conſtituitur ſuppoſitum ſeu perſona in diuinis niſi per relationem alteri oppoſitam & incommunicabilem: atqui Deus ſpirator conſtituitur in ratione ſpiratoris per relationem ſpirationis actiuę, ſpirationi quidem paſſiuæ oppoſitam, ſed non incommunicabilem: licèt autem ob eam rationem Deus ſpirator non ſit vnum ſuppoſitum, eſt tamen vnum indiuiduum, vt potè cuius ratio non ſit diuiſa, licèt ſit communis ſeu communicabilis: & quia illud indiuiduum eſt quid vnum identificans ſibi duo ſuppoſita, non minus eſt perfectum & completum quàm ſi eſſet vnum ſuppoſitum, quò fit vt iure ac meritò dici poſſit principium quod Spiritus Sancti.

Deus ſpirator eſt vnũ indiuiduũ, non verò vnum ſuppoſitum.

Et quoniam illud vnum quatenus identificat ſibi duas tantùm perſonas, nempè Patrem

& Filium, nihil eſt aliud realiter quàm duæ illæ perſonæ prout conueniunt in vna ratione ſpirandi oppoſita ſpirationi paſſiuę; hinc fit vt illud vnum principium Spiritus Sancti non modo ſupponat pro vno illo indiuiduo conſtante ex eſſentia & ſpiratione actiua, ac ſibi identificante duas perſonas, vt dictum eſt, ſed etiam dici poſſit ſupponi pro duabus illis perſonis ſaltem in confuſo, idque iuxta doctrinam D. Tho. hîc qu. 36. art. 4. ad 4. Sicut enim in iſta propoſitione, *Pater, Filius, & Spiritus Sãctus ſunt vnus Deus, vel vnum principium creaturarum*, illud attributum *vnus Deus* vel *vnum principium* non tantùm dici poteſt ſupponere pro illo vnico indiuiduo cõſtante ex eſſentia & tribus perſonis ad ipſas ſibi identificante; ſed etiã dici poteſt ſupponere tùm pro tribus illis perſonis ſaltẽ in cõfuſo prout conueniunt in vna eſſentia, cùm pro ſingulis ſeorſim, quia eſſẽtia & potẽtia eadẽ eſt in vnaquaque illarum: ita in hac propoſitione, *Pater & Filius ſunt vnus ſpirator, vel vnum principium Spiritus Sancti*, attributum iſtud *vnus ſpirator* vel *vnum principium*, non tantùm ſupponit pro illo vnico ſimpliciſſimo indiuiduo, ſicut ſupràdiximus, ſed etiam tùm pro duabus perſonis ſaltem in confuſo, prout conueniunt in vna ratione ſpirandi actiua, cùm pro ſingulis ſeorſim, quia ratio ſpirandi in ambabus eadem eſt: itaque ſicut verè dici poteſt Pater, Filius, & Spiritus Sãctus ſunt vnus Deus, qui eſt Pater, vel qui eſt Filius, ſic etiã verè dici poteſt Pater & Filius ſunt vnum principium Spiritus Sãcti, aut vnus

Spirator ſupponit etiam pro perſonis.

Spirator qui eſt Pater vel qui eſt filius; non enim terminus ille ſupponit determinatè pro alterutra perſona quę dici poteſt principium Spiritus ſancti, ſed confuſè pro vtraque, vt rectè notat ſanctus Doctor loco citato.

Tertia propoſitio. Cùm illud vnum principium quod dicitur Spirator, ſit realiter plura ſuppoſita pro quibus in confuſo ſupponit, nēpe Pater & filius, non eſt negādum Spiritum ſanctum procedere à duabus illis perſonis etiā vt sūt plures ac diſtīctę, ita enim docet sāctus Tho. hîc ad primum: vbi ait quod licèt ſi attēdatur virtus ſpiratiua, Spiritus sāctus procedat à Patre & filio vt ſunt vnum, nihilominus tamen ſi conſiderentur ſuppoſita ſpirationis, ſic Spiritus ſanctus procedit à Patre & filio vt sūt plures; procedit enim ab eis inquit vt amor vnitiuus duorū; adde quod Pater & filius vt ſunt perſonæ ab inuicē realiter diſtinctæ etiā à Spiritu ſancto diſtinguūtur, ſicque etiam vt diſtinctæ inter ſe habent ordinem originis ad illum, atque adeò illum producunt. Ex quo intelligis poſſe dici quod Spiritus sāctus procedat à duobus, id eſt, à duabus perſonis Patre nempè & filio; nō verò quod procedat à duobus principiis, quia duæ illæ perſonæ ſunt vnum in formali ratione principii Spiritus ſancti, quæ eſt virtus ſpirandi. Hinc etiam intelligis quod licèt dicatur vnus ſpirator ſicut & vnum principium Spiritus ſancti, dici tamē poſſunt in diuinis eſſe duo ſpirantes ſicut ſunt duo ſuppoſita: cuius diſcriminis ratio eſt iuxta doctrinam D. Tho. hîc, quia nomen ſpira-

Tertia propoſitio.

Ratione confirmatur.

Conſectarium.

Aliud cōſectarium

Digitized by Google

tionis ſicut & nomen principii eſt nomẽ ſubſtantiuum, nomen autem ſpirantis nomen adiectiuum; nomina autem ſubſtantiua non debent multiplicari niſi ſuppoſitum ſimul & forma quam ſignificant multiplicentur: quare cũ ratio principii & ſpiratoris, quæ eſt virtus ſpirandi, ſit eadẽ in Patre & Filio, non debent dici plura principia aut plures ſpiratores, ſicut nec dicuntur in diuinis plures creatores aut plures Domini; nomina verò adiectiua aut connotatiua ad ſolã multiplicationem ſuppoſitorum in quibus eſt forma, multiplicari poſſunt, quò fit vt dici poſſint in diuinis plures ſpirantes aut producentes Spiritum ſanctum: vbi obiter nota ex D. Tho. hîc ad 7. quod nonnunquam apud ſanctos Patres nomina ſubſtantiua pro adiectiuis vſurpantur.

Nota.

Dubitatio. Quæres forſan hîc, vtrùm ſpiratio actiua aut virtus ſpirandi, per quam formaliter Spirator aut principium Spiritus ſancti conſtituitur, ſit aliquid eſſentiale aut perſonale. Reſpondemus, neque eſſentiale eſſe neque etiam perſonale propriè loquendo quaſi perſonam vel ſuppoſitum conſtituat, ſed eſſe aliquid perſonæ, id eſt aliquid pertinens ad perſonam iam conſtitutam, nempè tum ad perſonam Patris, cùm ad perſonam Filij; quæ quidem perſonæ eam ſpirandi rationem propriè ac intrinſecè ſibi vendicant.

Reſolutio.

NONA DISPVTATIO DE PERSONIS AD ESSENTIALIA COMPARATIS.

HActenus de perſonis diuinis abſolutè cōparatis diſſeruimus; reliquũ eſt vt de iiſdem cōparatè ſumptis pertractemus: & quoniam diuinę perſonę comparari poſſunt vel ad eſſẽtialia quæ toti Trinitati cōmunia ſunt, vel ad ea quæ ipſarum ſunt propria quæ perſonalia vel notionalia dicũtur, & præterea ad ſe inuicem, idque vel quoad ęqualitatẽ, vel quoad miſſionem; idcircò ſuperſunt quatuor diſputationes de perſonis comparatè ſpectatis, quarum prima eſt hæc de iis in ordine ad eſſentialia ſpectatis.

An in diuinis eſſentia ſit idẽ quod perſona. QVÆSTIO I.

TAntã eſſe in Deo ſimplicitatẽ, vt nulla eſſe poſſit in eo eſſentiæ & ſuppoſiti differentia, ac proinde nulla ex ipſis compoſitio iãpridem oſtenſum eſt tract. 1. huius partis, diſp. 2. q. 2. ex quo intelligere eſt idẽ planè eſſe in diuinis eſſentiam & ſuppoſitum ſeu perſonam. *Aſſertio ſidei probatur primo ex prædictis* Confirmatur adhuc hæc veritas ex iis quæ docuimus d. 2. huius tract. q. 2. vbi oſtenſum eſt relationem in diuinis eſſè idem cum eſſentia. oſtenſum eſt autem d. 3. q. 3. perſonã in diuinis

eſſe relationem ſubſiſtentem, & prӕterea diſ. 4. huius tract. q. 3. & 4. oſtenſũ eſt ſingulas perſonas eſſe Deum, & præterea vnum Deum, iuxta illud Io. 10. *Ego & Pater vnum ſumus.* & illud D. Auguſtini l. 7. de Trinit. cap. 6. *Non aliud* (inquit) *eſt Deo eſſe, aliud perſonam eſſe, ſed omnino idem;* Et paulò poſt, *Neque in hac Trinitate* (inquit) *cum dicimus perſonam Patris, aliud dicimus quàm ſubſtantiam Patris.* Et ſanè ſi aliqua eſſet inter eſſẽtiam ac perſonã diſtinctio, aliqua foret ex iis compoſitio, neque mediocre detrimentũ infinitæ perfectioni Dei inferretur (ſic enim aliquid perfectionis eſſet in eſſentia quod non foret in perſona, aut econtra.

Secundo authoritate.

Tertio ratione.

Difficultas

Verùm difficultas eſt ſi in diuinis eſſentia ſit planè idẽ quod perſona, qui fieri poſſit vt multiplicatis perſonis eſſentia retineat vnitatem. Cui reſpondet S. Doctor hîc q. 39. art. 1. hoc ex eo prouenire quod in diuinis perſona ſit relatio ſubſiſtens in natura diuina, quatenus autẽ eſt quid ſubſiſtens in natura diuina & ad ipſam comparatur non differre, ſed ratione tantùm ab ipſa: quatenus autem eſt in ordine ad aliud & ad oppoſitam relationem comparatur virtute huiuſmodi realis oppoſitionis ab ipſa oppoſita relatione realiter diſtinguitur; ſicque exiſtunt plures relationes in diuinis ſubſiſtentes, & vna ipſarum eſſentia à qua minimè diſtinguuntur.

Solutio.

Obiectio.

Si inſtes à parte rei eſſentiam in diuinis eſſe communicabilem, perſonã verò incõmunicabilem; ac proinde aliquam eſſe à parte rei diſtinctionem. Reſpondeo hoc non inferre vllã

Solutio.

Digitized by Google

diſtinctionem formalem aut quidditatiuam, ſed tantùm diſtinctionem rationis ratiocinatę ſeu virtualem: eſt enim in Diuinis vnica ratio formalis obiectiua tùm eſſentiæ cùm perſonę, quæ propter eminentiſſimam ſui perfectionẽ ſimul abſoluta eſt & relatiua, & quidẽ quatenùs abſoluta communicabilis: quatenùs verò relatiua, incommunicabilis, ſufficit autem virtualis iſta diſtinctio vt poſſit aliquid affirmari de vno & negari de altero: ſic enim verè dici poteſt quod eſſentia ſit communicabilis, perſona verò non item; ſimiliter quod perſona ſit incommunicabilis, eſſentia verò non item; quod eſſentia ſit indiſtincta, perſona verò non item, & contra quod perſona ſit diſtincta, eſſentia verò non.

Quare explodenda penitus inuecta à Scoto diſtinctio quædam media inter diſtinctionem realem & virtualem, quę dicatur diſtinctio actualis formalis, ſeu à natura rei; licèt enim eã vltro admittamus in rebus creatis quę compoſitionem aliquam ſaltem metaphyſicam admittunt, vt docuimus 3. p. noſtrę Met. d. 3. q. 5. in diuinis tamen locum habere penitùs inficiamur. Et ſanè hæc Scoti opinio parùm in fide tuta eſſe videtur, cùm omnes Eccleſiæ ſancti Patres ſummam inter eſſentiam & perſonas diuinas identitatem naturæ & quidditatis eſſe ſenſerint.

Scoti opinio parum in fide tuta.

An dicendum ſit tres perſonas eſſe vnius eſſentiæ.

QVÆSTIO II.

Aſſertio tenenda.

RECtè id omninò dici poſſe conſtat primò ex iis teſtimoniis & argumentis quibus ſupra diſp. 4. huius tractatus probauimus tres perſonas eſſe vnum & eundem Deum; idque probat D.Thom. hîc qu. 39.art.2. *Solemus* (inquit) *de rebus diuinis ad modum rerum creaturarũ loqui vel diſſerere, cum ipſas nemo ſecundum propriũ earum modum noſſe queat*; atqui in rebus creatis præſertim corporeis à quibus primum omnis noſtra cognitio ducitur, natura ſe habet vt forma, ſuppoſitum verò vt ſubiectum; quò fit vt etiã in diuinis eſſentia ſe habeat per modũ formæ cõmunis tribus perſonis, quæ ſunt veluti ſubiecta. Sicut igitur in rebus creatis dicimus formã eſſe eius cuius eſt forma, & e cõtrà rẽ habẽtẽ formã dicimus etiã ipſius formæ: hinc fit vt nõ tãtũ verè dicamus eſſentiam diuinam eſſe triũ perſonarũ, ſed etiã tres perſonas eſſe vnius eſſentię, quaſi eiuſdẽ formæ; non tamen ex vna aut de vna eſſentia, hoc enim ſignificaret habitudinẽ cauſę efficientis, & non tantùm principii formalis. Et quidẽ perſonas dici eiuſdẽ eſſentiæ, nil aliud eſt, inquit S. Auguſt. lib 3. cõtra Maximinũ c.14. quã illud ὁμόυσιον quod in Concilio Niceno definitum eſt, idẽque ſenſus huius propoſitionis eſt ac ſi dicas eaſdem tres perſonas eſſe vnam ac eandẽ eſſentiã. Vbi nota obiter, tres perſonas diuinas magis propriè di-

Quomodo tres perſonæ dicantur vnius eſſentiæ.

Nota.

Digitized by Google

ci vnius eſſentiæ quã naturæ; ſiquidẽ dici poſſunt vnius naturæ quæcũque conueniunt in aliquo actu etiã generico vel ſpecifico,& non tantũ numerico,vt omnia calida inquantũ calida ſunt,& omnes homines inquantũ homines;at verò dici non poſſunt propriè vnius eſſentiæ,niſi quorum eſt vnum eſſe; ideoque vt oſtendatur ſumma diuinarum perſonarũ vnitas, conuenientiùs dicuntur vnius eſſentiæ quã naturæ,vt monet hîc D.Thom.art.2.ad.3. idque ex Gregorio Nazianz.epiſt.ad Euagriũ.

An nomina eſſentialia prædicentur ſingulariter de tribus perſonis.

QVÆSTIO III.

SVpponendũ eſt hîc nominũ diuinorũ alia dici perſonalia&notionalia,quæ relationẽ ſignificant,alia verò eſſentialia quæ eſſentiam exprimunt,vt dictũ eſt diſp.5.huius tract. q.2. &rurſus eſſentialium,alia dici ſubſtantiua quæ ſignificant eſſentiam,aut aliquid pertinens ad eſſentiam ſubſtantiuè ſeu per modum rei ſubſiſtentis,alia verò adiectiua,quæ ſignificant eſſentiam, aut aliquid pertinens ad eſſentiam adiectiuè ſeu per modum accidentis aut formæ inhærentis:hoc poſito, Sit prima propoſitio quæ eſt D.Thom.hîc art.3.Nomina quæ ſubſtantiuè eſſentiam ſignificant,prædicantur de tribus perſonis ſingulariter tantùm:Exempli gratia,nomen iſtud(Deus)quod eſt nomẽ eſſentiale ſubſtantiuum non poteſt prædicari in plurali de tribus perſonis , ſed tantùm

Nonnulla ſupponẽda.

Prima propoſitio.

in ſingulari; neque enim fas eſt aſſerere tres perſonas eſſe Deos aut tres Deos, ſed tantùm eſſe Deum ac vnum Deũ, vt cenſent omnes orthodoxi Patres: & ratio eſt, quia nomina ſubſtantiua ex ſuo modo ſignificãdi ſignificãt formam aliquam abſolutè & quaſi per ſe conſiſtentem, quę vt habet ſuum eſſe per ſe, ita per ſe habet vnitatem vel multitudinem; quò fit vt ſingularitas vel pluralitas nominis ſubſtantiui attendatur ſecundũ formam ſignificatam per nomen, ſicque niſi forma per eiuſmodi nomina ſignificata multiplicetur, non debeant ipſa nomina in numero multitudinis de aliquibus affirmari. cũ igitur in diuinis forma ſignificata per nomina ſubſtantiua nequaquam multiplicetur, fit vt nomina illa ſubſtantiua de diuinis perſonis haudquaquam pluraliter, ſed tantùm ſingulariter prædicentur.

Ratione confirmatur.

Secunda propoſitio.

Secunda propoſitio. Nomina adiectiua quę ſubſtantiam ſeu formam in diuinis adiectiuè, id eſt per modum accidentis ſeu inhærentis ſignificant, poſſunt de perſonis diuinis pluraliter prædicari. Exempli gratiâ, dici poſſunt in diuinis tres eſſe creantes, aut mundum gubernantes; ratio eſt, quia nomina adiectiua ex ſuo modo ſignificandi formã vt alteri inhærẽtem ſignificãt, quæ vt habet eſſe à ſubiecto, ſic ab ipſo habet vnitatem & multitudinem; quo fit vt ſingularitas vel pluralitas nominis adiectiui attendatur ſecundùm ſuppoſita ſeu ſubiecta; ſicque licèt forma ſignificata per modum inhærentis in diuinis non ſit reuera accidens inhærens, neque

Ratione confirmatur.

verè multiplicetur in ſuppoſitis, quia tamen per modum inhærentis ſignificatur nominibus iſtis adiectiuis, idcirco nomina illa adiectiua pluraliter prædicari poſſunt de diuinis ſuppoſitis, præſertim cùm non tam pro forma quam ſignificant, quam pro ipſis ſuppoſitis ſupponant. Porrò nota pleraque nomina eſſẽtialia in diuinis poſſe vtroque modo ſumi, nẽpe ſubſtantiuè vel adiectiuè, ſicque apud ſanctos Patres nonnumquam ſingulariter, interdum etiam pluraliter de diuinis perſonis enũciari: verbi gratiâ iſtud nomen (Omnipotens) nõnumquã ſubſtantatiuè accipitur vt in ſymbolo Athanaſii, vbi negatur Patrem, Flium & Spiritum ſanctum eſſe tres omnipotentes; nõnumquã verò adiectiuè, vt cũ in cap. *Firmiter* ex Concilio Lateranenſi ſub Inno. 3. dicuntur omnes perſonæ eſſe æquè omnipotentes. *Nota.*

An nomina eſſentialia in concreto poßint ſupponere pro perſona.

QVÆSTIO IV.

NOTANDVM eſt imprimis id quod docent Dialectici, vt inſinuauimus 1. pa. Dial. tr. 1. q. 3. de terminis, aliud eſſe ſaltem ſecundùm noſtrũ concipiẽdi modum, id quod ſignificat dictio; aliud verò id pro quo ſupponit: v. g. nomen iſtud (candidũ) ſignificat quidẽ candorẽ, ſupponit tamen pro ſubiecto quod cãdore afficitur. Deinde notãdum eſt rẽ eamdem ſignificari poſſe duobus modis, vt etiam dictum eſt loco citato Dialect. nempe vel in cõcreto, vel *Notandũ primo.* *Secundo.*

in abſtracto; vnde in diuinis nomina quædã dicuntur concreta, alia verò abſtracta. Denique notandum eſt quæſtionem hîc haberi de nominibus eſſentialibus ſubſtantiuis. conſtat enim, vt præcedenti quęſt. ſubindicauimus, adiectiua ſupponere per perſonis.

Tertiò.

Prima propoſitio.

His præſuppoſitis ſit prima propoſitio. Nomina ſubſtantiua eſſentialia in cõcreto vtplurimum ſupponunt pro vno ente ſimpliciſſimo ſibi identificante tres perſonas; de quo aliàs diximus, nempe 1. tract. huius partis diſ. 2. qu. 2. & in iſto d. 3. q. 2. exẽpli gratiâ, cũ dicitur Deus creat, Deus gubernat, &c. vocabulum iſtud, Deus, idẽ ſignificat ac pro eodẽ ſupponit, ſignificat enim Ens ſimpliciſſimum ac perfectiſſimum ſibi idẽtificans tria ſuppoſita, quod quia nil eſt aliud quàm ipſa diuina eſſentia per ſe ſubſiſtens tribus ſuppoſitis, idcirco non immeritò S. Doctor ait nomen iſtud in his & ſimilibus propoſitionibus ſupponere pro eſſẽtia, & nos etiã id vltro concedimus: quamuis, ſi diſtinctiùs loquamur, dicẽdũ potius ſit nomẽ iſtud ac ſimilia ſignificare quidẽ primò ac principaliter eſſentiã aut aliquid eſſentiale, ſupponere tamen pro ente ſimpliciſſimo ac perfectiſſimo idẽtificante ſibi tria ſuppoſita, nõ tamen pro aliquo ſuppoſito abſoluto quod per quartam ſubſiſtentiam abſolutã conſtituatur, vt non ſatis rectè ſentit Caietanus; licèt enim ſubſiſtentiam abſolutam in Deo admittamus, nõ tamen eã dicimus hypoſtaſim, neque per eã ſuppoſitũ cõſtitui arbitramur. Repete ſi placet quæ dicta ſunt 2. part. Metha. diſp.

Notandũ.

2. q. 7. & locis paulò ante citatis huius partis noſtræ Summæ.

Secunda propoſitio. Nomina ſubſtantiua in concreto habent ex modo ſignificandi quòd poſſint in diuinis ſupponere pro perſona vna vel pluribus, vel etiam omnibus: quia nẽpe ſignificant formã vt in ſubiecto ipſam habẽte, exẽpli gratiâ, nomẽ hoc ſubſtãtiuũ (DEUS) quia ſignificat diuinitatem vt in habẽte ipsã poteſt ſupponere pro ſuppoſito ipſam habente, ſiue pro perſona diuina, idque vel vna, vt cũ dicitur *Deus generat*, ibi enim ſupponit pro Deo Patre; *Deus generatur*, ibi enim ſupponit pro Deo filio, *Deus ſpiratur*, ibi enim ſupponit pro Deo Spiritu ſancto; vel duabus, vt cũ dicitur *Deus ſpirat*; ibi enim ſupponit pro Deo Patre & Filio, item cùm dicitur *Deus procedit*, ibi enim ſupponit pro Deo Filio & Sp. ſancto; vel denique pro tribus, vt cùm dicitur *Deus eſt trinus*, item *ſoli Deo honor & gloria*, &c. ex quo intelligis iſtas propoſitiones veras eſſe, *Deus genuit Deum*, & *Deus à Deo proceſſit*; &c. neque tamẽ propterea exiſtimes admittendas eſſe iſtas propoſitiones, *Deus genuit ſe Deum*, aut *Deus genuit alium Deum*; nam in priori propoſitione attributum ſupponit pro ſubiecto, falſum autem eſt idem ſuppoſitum ſeipſum producere: in poſteriori verò, attributum ſupponit pro aliquo ſuppoſito diſtinctæ naturæ, quod impiũ eſt aſſerere.

Secunda propriatiò:

Nota:

Si quæras, vtrùm vera an falſa ſit iſta propoſitio *Deus non generat*. Reſpondeo in aliquo ſenſu veram eſſe, abſolutè tamen loquendo

Dubitationis reſolutio:

Digitized by Google

exiſtimandam eſſe falſam. Cenſeri quidē poteſt vera ſi vocabulum iſtud (Deus) ſupponat pro eſſentia, vel etiā ſi ſupponat pro illo Ente ſimpliciſſimo quod ſibi identificat tria ſuppoſita; ſic enim falſum eſt quod eſſentia generet, vt patebit ex ſequentibus, aut quod tria ſimul ſuppoſita generent; quia tamen communis vſus loquendi obtinuit vt in hac aut ſimilibus propoſitionibus, Deus, ſit veluti communis terminus tribus ſuppoſitis, quod indifferēter accipi poſſet pro quolibet ex illis, hinc fit vt propoſitionem illam dicamus abſolutè eſſe falſam, idque cum Diuo Thom. Bonauent. & aliis; falſum enim eſt, nullum ex tribus ſuppoſitis generare.

An termini eſſentiales in abſtracto poſſint ſupponere pro perſona.

QVÆSTIO V.

CONSTAT quidem ex precedenti quæſtione terminos eſſentiales in concreto nonnumquam ſupponere pro perſona, iam vero queritur vtrùm etiam in abſtracto poſſint ſupponere pro perſona.

Propoſitio tenenda probatur.

Reſpondemus cum D. Tho. hîc q. 39. art. 5. negatiuè; quia nempe termini abſtracti cùm formam vt abſtractam à ſuppoſito exprimāt, aut ſubiectū iſtud ſeu ſuppoſitū nullo modo ſignificant (ſicuti concreti, qui illud conſignificant) ac proinde pro ipſo ſupponere non poſſunt; quò fit vt ea quæ ſunt perſonarum propria, nunquam poſſint eis attributi, neque

Digitized by Google

enim fas eſt aſſerere diuinã eſſentiam aut deitatem generare aut generari, ſpirare aut ſpirari, &c. ſi enim hęc aut ſimilia dici poſſent ſignificaretur quidam ordo originis inter eſſentiam & perſonas, qui nullus eſt.

Si obiicias; idem planè eſſe Deum ac deitatem, proindeque idem de deitate quod de Deo dicendum eſſe. Reſpondet S. Th. hîc art. citato ad 3. quod licèt Deus & Deitas ſeu diuina eſſentia ſint idem ſecundũ rem, nihilo tamẽ ſecius ratione diuerſi modi ſignificandi non eodem modo de vtroque loquendum eſſe. Inſtabis forſan; ſapientiam de ſapientia ſicut eſſentiam de eſſentia aſſeri à Diuo Auguſt. lib. 7. de Trini. c. 1. Verùm has & ſimiles loquutiones non eſſe extendendas, ſed exponendas docet Angelicus Doctor hîc loco citato ad 1. ſic vt nomina abſtracta explicentur per concreta: verbi gratiâ, cùm dicitur in diuinis, eſſentia de eſſentia, vel ſapientia de ſapientia, ſenſus eſt, filius qui eſt eſſentia & ſapientia eſt de Patre qui eſt eſſentia & ſapientia. *Obiectio.* *Secundo.* *Inſtantia.*

An perſonalia nomina prædicari poſſint de nominibus eſſentialibus.

QVÆSTIO VI.

QVEMADMODVM nomina quædam eſſentialia in diuinis dicuntur adiectiua, quædã verò ſubſtantiua; ita quoque nomina quædã perſonalia ſunt adiectiua, vt generare, generari, ſpirare, ſpirari, & in vniuerſum verbalia omnia; alia verò ſubſtantiua, vt Pater, Filius,

Digitized by Google

Spiritus ſanctus: Perſona, Trinitas &c. quæ quidem tam in concreto quàm in abſtracto conſiderari poſſunt. His ita poſitis;

Prima propoſitio. Sit prima propoſitio. Nomina perſonalia ſeu notionalia adiectiuè ſumpta, non poſſunt prædicari de nominibus eſſentialibus in abſtracto ſumptis: neque enim fas eſt aſſerere quod eſſentia aut Deitas generet vel generetur; & hoc ſatis patet ex præcedẽti quęſtione.

Secunda propoſitio. Secunda propoſitio. Nomina perſonalia ſeu notionalia ſubſtantiuè ſumpta, vt ſunt Pater, Filius, Spirator, genitor, &c. prædicari poſſunt tã in plurali quã in ſingulari de nominibus eſſentialibus tam in abſtracto quàm in concreto ſumptis: ſic dici poteſt non tantùm quod Deus ſit Pater, ſed etiã quod Deitas ſit Pater: item quod Deus aut Deitas non tãtũ ſit Pater, ſed etiam ſimul ſit Pater & Filius & Spiritusſanctus, item quod Deus aut Deitas ſint tres perſonæ, itẽq; quod Deus aut Deitas ſit Trinitas: & ratio eſt, quia nempe eſſentia in re eſt planè idẽ quod vna perſona, itẽque idẽ quod plures, ac etiam idem quod tres ſimul, ac proinde idem quod ipſa Trinitas. *Nota.* Porrò aduerte quòd licèt hæc propoſitio *Deus eſt Pater*, non videatur adeo eſſentialis ac iſta *Pater eſt Deus*, non tamen debet dici vllo modo per accidẽs, ſed propoſitio per ſeidentica; cũ in ea attributum non tantùm idem ſit cùm ſubiecto, verũ etiam de ipſius intrinſeca ratione, vt conſtat ex iis quæ dicta ſunt de identitate relationum diuinarum cum eſſentia Diuina diſ. 2. huius tract. quæſt. 2.

An rectè eſſentialia perſonis approprietur.

QVÆSTIO VII.

APPROPRIARI aliquid perſonæ ſeu aliquid eſſentiale per appropriationem dici de aliqua perſona, nihil eſt aliud quā id quod alioqui cōmune eſt omnibus perſonis alicui ſpecialiter ob aliquam peculiarem rationem accommodari: ſic enim potentia Patri, ſapientia Filio & bonitas Spiritui ſancto non immeritò à Theologis appropriātur, vt explicat Magiſter Sent. l. 1. d. 34. & S. Doctor hîc q. 39. art. 8. ſimiliter dicitur à D. Hilario in 2. de Tri. quòd *Æternitas eſt in Patre, ſpecies in imagine*, nēpe filio, *vſus in munere*, nēpe Spiritu Sancto; quod quomodo ſit intelligendum explicāt Magiſt. Sentent. lib. 1. diſp. 31. idque ex Diuo Auguſt. l. 6. de Trin. c. 10. & S. Doctor loco citato. Præterea D. Auguſt. lib. 1, de doctrina Chriſtiana, c. 5. ſcribit quod *in Patre eſt vnitas, in filio æqualitas, in Spiritu ſancto æqualitatis vnitatiſque concordia; & hæc tria vnum omnia propter Patrem, æqualia omnia propter filium, connexa omnia propter Spiritum ſanctum*; quod quomodo intelligendum ſit docent Doctores ſupradicti locis proximè citatis. Denique idem Diu. Auguſt. lib. 6. de Trin. ſub finem, ſcribit non confuſè accipiendum eſſe quod ait Apoſtolus ad Rom. 11. *Ex ipſo, per ipſum, & in ipſo ſunt omnia*; Ex ipſo dicens propter Patrem, per ipſum propter Filium, & in ipſo propter Spiritum ſanctum; quod

Quid ſit appropriatio.

Exempla quadam: primum.

Secundum

Tertium.

Quartum.

Digitized by Google

quomodo intelligendum ſit docet S. Thom. loco citato.

DECIMA DISPVTATIO.

DE PERSONIS AD PERSONALIA COMPARATIS.

PERSONALIA itaque appellamus quæcumque perſonis diuinis ſecundùm earũ inter ſe diſtinctionem competunt; cuiuſmodi ſunt relationes, ac proprietates perſonales, itẽ notiones, & actus notionales: de perſonis igitur diuinis in ordine ad iſta comparatis deinceps dicendum eſt.

An relatio ſit idem quod perſona. QVÆSTIO I.

Aſſertio tenenda. ITA eſſe facile eſt ex antecedentibus concludere: quod enim relatio, ſit idem ac eſſẽtia diuina ſuprà oſtenſum eſt diſ.2. q.2. quòd verò eſſentia ſit idẽ ac perſona dictum eſt præced. diſt. q.1. Confirmatur adhuc hac præclara D. Th. ratione hîc q.40.a.1, ad 1. *Ratione cõfirmatur* Conſideranda eſt (inquit) propter diuinam ſimplicitatem duplex realis identitas in diuinis eorum quę differunt in creatis: quia enim diuina ſimplicitas excludit omnem compoſitionem materiæ & formę, atque eius omnis quod eſt inſtar materiæ & formæ, ſequitur quod in diuinis idem eſt abſtractum & concre-

tum, vt deitas & Deus; quia verò diuina ſimplicitas excludit compoſitionem ſubiecti & accidentis, ſequitur quod quidquid attribuitur Deo eſt eius eſſentia, verbi gratiâ, ſapientia in Deo eſt ipſa Dei eſſentia: & quidem ſecundùm hanc duplicem rationem identitatis relatiua proprietas in diuinis ſeu relatio diuina eſt idem cum perſona; nam proprietas relatiua perſonalis, id eſt, quæ conſtituit perſonam eſt idem cum perſona ea ratione qua abſtractum eſt idem cum cõcreto, eſt enim eiuſmodi relatiua proprietas ipſamet perſona ſubſiſtens: ſic paternitas eſt ipſe Pater, itemque filiatio eſt ipſe filius, & proceſſio ipſe Spiritus ſanctus; proprietas verò relatiua non perſonalis, id eſt, quæ licèt ſit perſonarum aliquarum propria, non tamen perſonam conſtituit, vt eſt communis ſpiratio Patris & Filii propria, eſt idem cum perſona ſecundùm aliam rationem identitatis, nempe qua attributum eſt idem cum ſubiecto in diuinis, ſic enim prædicta cõmunis ſpiratio eſt idem cum Patre & Filio, quia eſt ipſa Patris ac Filij eſſentia, ac idem planè cum ipſa paternitatis ac filiationis relatione, vt ſupra dictũ eſt diſp. 4. huius tract. q. 2.

Porro notandum eſt hîc licèt verè ac propriè Pater dicatur generare, non tamen propriè dici poſſe quod paternitas generet: repugnat enim ex parte modi ſignificandi (inquit S. Doct. hîc quæſt. 40. art. 1. ad 3. quod participia & verba notionalia de proprietatibus prædicentur, cùm participia & verba notionalia ſignificent actus notionales, actus autem ſint *Notandũ.*

ſuppoſitorum, proprietates verò non ſignificent vt ſuppoſita, ſed vt formæ ſuppoſitorum.

An perſonæ conſtituantur ac diſtinguantur per relationes.
QVÆSTIO II.

SVPPONENDA ſunt hoc loco ea quæ iam dicta ſunt in duabus primis diſputationibus huius tract. vbi tùm de originibus cùm de relationibus diuinis, & etiam quæ dicta ſunt d.4. de perſonarum pluralitate & vnitate, vt quod ſint duę tantùm proceſſiones ſeu origines, quatuor relationes reales, & quod ex iis quatuor tres tantùm ſint perſonales, ſeu perſonas conſtituentes quæ ſibi nomen proprietatum perſonalium iure vendicant; ex quibus etiam poteſt facilè colligi tria in vnaquaque perſona inſtar totidem rationum formalium conſiderari poſſe, nempè eſſentiam, originem, & relationem; quæ licèt vnum ſint actu realiter & formaliter, nihilo tamen ſecius virtualiter diſtinguũtur; quò fit vt poſſit aliquid verè vel falsò de vno affirmari, & idem verè vel falsò de altero negari; verbi gratia, verè affirmari poteſt multiplicem eſſe relationem in diuinis, & tamen verè negari poteſt eſſentiam eſſe multiplicem. His poſitis ſenſus propoſitæ quæſtionis maximè eſt, ſecundùm quam iſtarum rationum diuinę perſonæ competat eſſe incommunicabilem & diſtinctam, quod eſt eſſe perſonam. Verùm tota hæc difficultas ſequentibus propoſitionibus explicabitur.

Nota tria in vnaquaque perſona formaliter conſiderari poſſe.

Prima propoſitio. Poteſt in aliquo ſenſu vero dici cum nõnullis doctoribus Scholaſticis quod perſonæ ſe totis conſtituuntur ac diſtinguuntur: ſi nempè intelligatur quod vnaquæque perſona, cuius vnica eſt ſimpliciſſima realitas & formalitas tota diſtinguitur ab alia perſona; item ſi intelligatur quod vnaquæq; perſona diſtinguitur ab alia tota ſua realitate, non parte aliqua ſuæ realitatis, vtpotè quæ ob ſummam ſui ſimplicitatem partibus careat: ſi tamen intelligatur quod perſonæ conſtituuntur ac diſtinguuntur ſecundùm omnes rationes quę in illis virtualiter diſtinguuntur, falſum eſt; neque enim verè dici poteſt quòd perſona Patris conſtituatur in eſſe perſonæ ſecundùm eſſentiam aut rationem quamuis abſolutam. *Prima propoſitio.*

Secunda propoſitio. Perſonæ diuinæ non conſtituuntur ac diſtinguuntur niſi per origines aut relationes. Probatur primùm authoritate tum ſacrarum litterarum quæ perſonas diuinas reſpectiuis nominibus exprimunt, cùm etiam Conciliorum & ſanctorum Eccleſiæ Patrum qui non aliter aſſignant perſonarum diſtinctionem in diuinis quàm per rationes tùm originum ſeu proceſſionum, cùm proprietatum relatiuarum. Secundò ratione confirmatur; quia cùm plura in vno communi conueniunt, ex eo quod plura ſunt debent habere aliquid diſtinctiuum: atqui in tribus perſonis diuinis quæ ſecundùm vnitatem eſſentiæ conueniunt duo tantùm inueniuntur ſecundùm quę differunt, nempè origo & relatio; ergo non niſi per origines, aut relationes conſtituuntur ac diſtinguuntur. *Secunda propoſitio. Authoritate probatur. Ratione cõfirmatur.*

Explodenda igitur eſt eorum ſententia qui perſonas diuinas conſtitui & diſtingui per proprietates quaſdam abſolutas arbitrantur.

Tertia propoſitio.

Tertia propoſitio. Perſonæ diuinæ non per ſolas relationes, nec etiam per ſolas origines, ſed tùm per origines cùm per relationes æquè à parte rei, & non priùs aut principaliùs per has aut illas conſtituuntur ac diſtinguuntur.

Authoritas

Probatur primùm authoritate ſacrarum litterarum, conciliorum, ac ſanctorum Patrum à quibus indiſcriminatim modò per origines aut actus notionales, modò per relationes aut proprietates relatiuas diuinarum perſonarum differentia exprimitur.

Ratio prima.

Secundò ratione; quia res diuina (quæ eſt Pater, v.g.) tam vt eſt generatio quàm vt eſt paternitas, eſt ſubſtantia incommunicabilis & diſtincta ab aliis perſonis; ergo tam per originem quàm per relationem conſtituitur in ratione perſonæ & ab aliis diſtinguitur:

Secunda.

deinde tam generatio quàm paternitas in diuinis eſt quid ſubſiſtens & propriũ perſonæ Patris; ergo per vtramque perſona Patris conſtitui ac diſtingui concipitur:

Tertia.

denique origo vt origo, ſiue vt productio, vel proceſſio, verè eſt relatio, vt oſtenſum eſt d. 1. huius tract. q. 3. ſub finem.

Quarta propoſitio. Prima pars ipſius.

Quarta propoſitio. Fieri poteſt vt ſub aliqua conſideratione noſtra videantur perſonæ priùs diſtingui per origines & actus notionales, quàm per relationes, cùm relationes prædictis originibus, ſeu actibus notionalibus quaſi fundamentis aut fundandi rationibus inniti, ac ipſas præſupponere videantur; &

hoc fortaſsè ſibi vult D. Bonauentura, cùm docet perſonas conſtitui ac diſtingui potiùs per origines quàm per relationes:& item fieri poteſt, vt ſub alia conſideratione noſtra perſonę videantur principaliùs diſtingui per relationes quàm per origines, ſeu actus notionales, præſertim ſi non tantùm modus concipiẽdi noſter, ſed etiam modus ſignificandi vocabulorum ſpectetur, quatenus nempè relatio ſignificatur vt aliquid perſonæ intimum ac veluti formale, origo verò quaſi aliquid extrinſecum magis quod ſit veluti medium quid inter vtramque perſonam, & veluti via quædam ſeu diſpoſitio ad diſtinctionem magis formalem quam conſtituit ipſa relatio;& hoc procul dubio ſibi vult S. Doctor cùm ſcribit hîc q 40.art.2. perſonas non tam per origines quàm per relationes conſtitui ac diſtingui. *Secunda pars.*

Tertia pars

Si tamen noſter concipiendi modus conformetur quantum poterit obiectiuo conceptui, ſeu rei conceptæ, quæ eſt à parte rei in diuinis, perſonæ diuinæ non magis per proprietates perſonales quatenus ſunt relationes, quàm quatenus ſunt origines conſtituuntur ac diſtinguuntur; cùm illę proprietates non aliter à peritis Theologis concipiantur, quàm quatenus originem ſimul & relationem in ſuo conceptu formali includunt; neque etiam concipi debeant rationes fundandi, quæ ſunt proceſſiones aut actus notionales, vt natura, præcedentes ipſas relationes; neque etiam concipi debeant relationes quaſi magis intimæ, aut formales in perſonis quàm proceſſiones aut

actus notionales;ſed potiùs ea omnia ſimul & vnitè tanquam vnum quid realiter & formaliter in diuinis concipienda ſint.

Quomodo ſe habent perſonæ diuinæ ad actus notionales.

QVÆSTIO IV.

Cur actus notionales admittēdi.

QVONIAM omnis origo deſignatur per aliquem actum, idcircò ad ſignificandū originis ordinem in diuinis perſonis neceſſarium fuit illis attribuere aliquos actus qui notionales appellantur, quia illi actus deſignant habitudines perſonarum ad inuicem; quæ habitudines in quantùm conducunt ad dignoſcendas perſonas, appellari poſſunt notiones: quî verò differant notiones communiter dictæ ab actibus notionalibus, & quare notiones nominibus perſonalibus potiùs quàm notionalibus exprimantur, colligere eſt ex iis quę dicta ſunt de notionibus diuinarum perſonarum diſp.5.huius tract. q. 2.& 3. Notādum autem hîc eſt, origines ſeu proceſſiones diuinas, quæ latè ſumpto ipſarum nomine tàm actiuè quàm paſſiuè accipi poſſunt, dici poſſe tùm notiones, cùm actus notionales diuerſa conſideratione: dicuntur enim notiones quatenus per modum habitudinum ſeu relationum originis duntaxat significantur; quomodo non tàm nominibus notionalibus quàm perſonalibus exprimuntur, vt nomine paternitatis, filiationis, item ſpirationis, & proceſſionis, ſi

Notādum.

Digitized by Google

ſumantur pro mutuis habitudinibus tùm eius à quo alius cùm eius qui ab alio per voluntatem: appellātur verò actus notionales, quatenus per modum actionum aut paſſionum ſignificantur; quomodo nominibus notionalibus propriè dictis exprimuntur, nempe generatione actiua, generatione paſſiua ſeu natiuitate, item ſpiratione actiua, & ſpiratione paſſiua, vt dictum eſt loco ſupra citato.

Nodus difficultatis. His ſuppoſitis præcipua difficultas quæ propoſita quęſtione continetur, eſt, vtrùm in diuinis perſonis ſit potentia aliqua ad prędictos actus notionales, præſertim actiuè ſumptos, & vtrùm potentia illa ſit aliquid abſolutum vel reſpectiuum: quæ difficultates ſequentibus aſſertionibus enodabuntur.

Prima aſſertio. Prima aſſertio, quæ eſt D. Thom. hîc qu. 41. art. 3. Potentia ad actus notionales in diuinis eſt admittenda. *Ratio.* Probatur, quia ei quod eſt principium quod, alicuius actus neceſſariò tribuenda eſt potentia ad talem actum, quæ in ipſo rationem principii ſortiatur; atqui Pater eſt principium quod generationis, item Pater & Filius principium quod ſpirationis; ergo Patri iure ac meritò generandi potentia, itemque Patri & Filio potentia ſpirandi adſcribitur. *Authoritas.* Adde quod ſic loquuntur ſancti Patres, cùm aiunt Patrem genuiſſe Filium, quia potuit generare: ita ſanct. Auguſt. contra Maximinum lib. 3. cap. 7. *Nota.* Vbi nota obiter cùm omne principium importet diſtinctionem ab eo cuius eſt principium, non dari potentiam ſecundùm propriam ratio-

nem principii in Deo, niſi ratione illarum actionum ſecundùm quas aliquæ res procedunt, ab ipſo diſtinctæ vel eſſentialiter, vel perſonaliter: quò fit vt reſpectu intellectionis & volitionis non poſſit ſaluari ratio potentiæ in Deo, niſi fortè ſecundùm noſtrum intelligendi modum, vt aliàs monuimus in primo tractatu huius partis, vbi de intellectu & voluntate Dei.

Secunda aſſertio. Secunda aſſertio. Potentia producendi in diuinis verè dicit aliquid abſolutum, nēpè eſſentiam diuinam: & quidem potentia producendi filium in Patre, quæ dicitur potentia generatiua, dicit eſſentiam ſimul & intellectum: potentia verò producendi Spiritum Sanctum in Patre & Filio, quæ dicitur potentia ſpiratiua, dicit eſſentiam ſimul & voluntatem. *Authoritas.* Probatur hæc noſtra aſſertio primùm authoritate ſanctorum Patrum, qui propterea paſſim docent Filium natum eſſe de Patris eſſentia, & ipſius generationem eſſe ex Patris natura, ſeu ſecundùm operationem naturæ, iis enim & ſimilibus loquendi modis ſignificant eſſentiam diuinam eſſe potentiam ſeu principium quo generationis, idemque de productione Spiritus ſancti dici debet. Secundò ratione confirmatur: *Ratio.* illud enim dicitur propriè potentia in quocumque agente quo agens agit, omne autem producens aliquid per ſuam actionem producit ſibi ſimile quantum ad formam qua agit, quare illud erit potentia productiua in aliquo producente in quo productum aſſimilatur producenti: atqui perſona procedens,

ſeu

ſeu producta aſſimilatur producenti ſeu generanti,ſeu ſpiranti in eſſentia, ſeu natura;ergo eſſentia,ſeu natura diuina eſt potentia, ſeu principium quo, producendi diuinas perſonas. Quod autem intellectus ac voluntas in diuinis ad potentias notionales pertineant; ex eo patet, quod ſicut in igne natura ignis eſt tanquam principium remotum quo ignis calefacit, proximum verò eſt calor exiſtens in igne; ſic in Patre natura diuina noſtro intelligendi modo eſt principium veluti remotum quo Pater generat, proximum verò eſt intellectus, ſimiliterque in Patre & Filio reſpectu Spiritus ſancti, principium veluti remotum eſt natura,proximum verò voluntas.

Tertia aſſertio explicatur.

Tertia aſſertio. Potentia notionalis ſeu potentia ad actum notionalem verè dicit aliquid reſpectiuum; quia nempe præter eſſentiam includit in ſua formali ratione relationem per quam vltimatè completur in ratione potentiæ notionalis alicuius aut aliquarum duntaxat perſonarum propriè, itavt potentia generandi adæquatè & completè ſit ſimul eſſentia, intellectus, & relatio paternitatis quatenus hæc relatio eſt quaſi actus quidam vltimus ſecundùm quem in diuinis eſt generatio; ſimiliterque potentia ſpirandi ſit ſimul eſſentia, voluntas, & relatio ſpirationis quatenus hæc relatio eſt actus quidam vltimus ſecundùm quem in diuinis eſt actiua ſpiratio.

Ratione probatur.

Quod autem potentia notionalis includat in ſua ratione formali relationem,probatur; quia eiuſmodi potentia ex ſua ratione eſt

Digitized by Google

vnius aut duarum duntaxat perſonarum propria, at hoc non habet per eſſentiam quæ eſt communis omnibus perſonis, ergo per relationem, cùm nihil ſit proprium in perſonis producentibus præter ipſas productiones actiuas niſi relatio; in Patre quidem reſpectu filii, relatio paternitatis; & in Patre ac filio reſpectu Spiritus Sancti, relatio ſpirationis.

Cõſectariũ. Ex iis intelligere eſt, cùm eſſentia & intellectus diuinus non dicantur potentia generandi niſi quatenus habent adiunctam relationem paternitatis, non poſſe dici quod habeat Filius potentiam generandi, ſeu quod poſſit generare (licèt verè dicatur eandem potentiam habere quam Pater) niſi in ſenſu valdè improprio; quia nempè habet potentiam eſſentialem ac abſolutam, quæ quidem eſt eadẽ ac potentia reſpectiua & notionalis quæ eſt in Patre, quæque dicitur potentia generandi.

An actus notionales in diuinis dici poßint eſſe de aliquo, aut ex aliquo.

QVÆSTIO V.

QVÆRITVR exempli gratiâ, num dici poſſit quod generatio Filii ſit de ſubſtãtia vel ex eſſentia Patris, & quod Pater generet filium de ſua ſubſtantia; ſimiliterque dici poſſit quod Spiritus Sanctus ſit de eſſentia aut ex eſſentia Patris & Filii, ipſumque Pater & Filius de ſua ſubſtantia producant.

Aſſertio fidei. Reſpondetur ita fide credendum eſſe, & de-

Digitized by Google

finitum eſt cap.damnamus,& in Concilio Florentino,ac præſertim Tolet. vbi dicitur: *Filius non ex nihilo aut ex alia ſubſtātia,ſed ex vtero Patris, id eſt ex ſubſtantia Patris genitus credendus eſt.* Et ratio eſt,quia ſubſtantia Patris ipſi Filio per generationem cõmunicatur; ſicut in generatione hominis aliquid ſubſtantiæ ipſius generãtis tranſit in ſubſtantiam geniti; ſimiliterque per ſpirationem actiuam ſubſtantia ipſa Patris,& Filii Spiritui ſancto communicatur.

Difficultatis nodus.

Verùm, difficultas eſt quam habitudinem habeat eſſentia ſeu ſubſtantia perſonę producentis ad perſonam procedentem,cùm hæc de illa aut ex illa produci dicitur; an ſcilicet ſe habeat tanquam materia, aut tanquam forma, aut tanquam principium productiuum; nam particula illa(de) vel(ex) ſignificat habitudinẽ tanquam ad principium vel materiale,vel formale,vel productiuum, vt ſcitè monet hîc S. Thom.art.3. ad 2. Cui difficultati ſatisfieri poteſt, vel ſecundùm noſtrum intelligendi modum,vel ſecundùm rem: & quidem iuxta noſtrum intelligendi modum dici poteſt perſona eſſe de ſubſtantia aut eſſentia perſonæ producentis tanquam de materia, quatenùs ex ea aliquid eſſe poteſt,ſecludendo alios magis ſpeciales conceptus materiæ qui aliquid imperfectionis includunt; poteſt etiam iuxta noſtrum intelligendi modum perſona dici de ſubſtantia aut eſſentia tanquã de forma ſubſiſtente. Si verò ſecũdũ rẽ loquẽdũ ſit, nõ poteſt propriè dici quod perſona ſit de eſſentia tanquam de materia,ſed tãtũ tãquã de forma& quidẽ ſũpta

Explicatur dupliciter. Primò.

Secundò.

Digitized by Google

pro ſum̃a perfectione ad ipſius realitatem pertinente; item dici poteſt hoc modo quod perſona ſit de eſſentia tanquam de principio quo, ſui productiuo; vt patet ex præcedenti quæſtione.

Notãdum. Vbi ſeriò notãdum eſt ad hoc vt aliquid propriè dicatur eſſe de alio tanquam de ſui principio productiuo, neceſſe eſſe vt illud principium ſit aliquo modo conſubſtantiale cum ipſo: ſic enim etiam in rebus creatis filius dicitur propriè eſſe de patre ſeu de ſubſtantia patris, quia pater eſt aliqua ratione conſubſtantialis filio ratione eius ſubſtantiæ quam filio communicauit cùm primum ipſum genuit: quò fit vt in diuinis iure & meritò perſona procedens dicatur eſſe de ſubſtantia producentis, cùm ſit illi omninò conſubſtantialis.

An actus notionales ſint voluntarij.
QVÆSTIO VI.

IDEM eſt ac ſi quæratur, vtrùm proceſſio Filij, item etiam proceſſio Spiritus ſancti ſint voluntari itavt Pater voluntariè generet filium, & Pater & Filius voluntariè ſpirent Spiritum Sanctum: quod vt intelligatur notandum eſt voluntarium dupliciter accipi; vno modo latè pro eo omni quod non eſt inuitum ſeu coactum, quomodo idem eſt ac ſpontaneum, ſiue illud ſit naturale ſeu neceſſarium, ſiue liberum ac indifferens; altero modo ſtrictè pro eo quod eſt à ſola voluntate libera, vt libera eſt, quomodo voluntarium idem eſt ac

liberum propriè dictum, ſeu liberum à neceſſitate. hoc poſito

Reſpondetur ad propoſitám quæſtionem, actus notionales in diuinis perſonis eſſe volũtarios primo modo, non ſecundò. Quòd igitur ſint voluntarij primo modo, patet, quia alioquin diceretur Pater coactus aut inuitus generare Filium, itemque Pater & Filius inuiti vel coacti producere Spiritum ſanctum, quod abſurdiſſimum eſt. Quòd verò non ſint volũtarii ſecundo modo, optimè probat S. Doctor hîc q.41.art.1. quod enim eſt à voluntate quatenus libera eſt, & naturali principio opponitur (quomodo eſſe à voluntate opponitur ei quod dicitur eſſe à natura) ex ſe non eſt tale quale eſt agens, ſed quale vult & intelligit illud eſſe; ſicque poteſt aliter atque aliter eſſe: atqui perſonæ quæ procedunt in diuinis ex ſe ſunt tales qualis perſona à qua procedunt, ita vt aliter atque aliter eſſe non poſſint; quare nõ procedunt à voluntate vt libera eſt, ac proinde non hoc ſecundo modo voluntariè producuntur: quò fit etiam vt ipſarum productiones quæ dicuntur actus notionales, non ſint hoc poſteriori ſenſu voluntarij. Dicendum igitur eſt quod Pater non inuitus, nec tamen liberè, ſed volens filium genuerit, itemque quod Pater & Filius non coactè ſeu inuito, neque etiá liberè, ſed voluntariè ſeu volentes, & quidem neceſſario ſpirent Spiritum ſanctum.

Aſſertio.

Prior pars ipſius probatur,

Poſterior pars probatur.

Vbi diligenter aduertendum eſt quod volũtas aliter ſe habet in productione Filii, aliter in productione Spiritus ſancti: namque in pro-

Notãdum.

Digitized by Google

ductionē filii non ſe habet principaliter, ſeu vt principiū à quo, vel per quod ſit filius, ſed tantùm concomitanter; quia dum Pater producit Filiū vult ipſum producere; at verò in productione Spir. S. ſe habet principaliter, ſeu vt prīcipiū quo eſt Spir. S. vbi etiā notandū eſt voluntatē diuinā cōſiderari poſſe, vel vt abſolutā cōmunē tribus perſonis, vel vt notionalē propriā Patris & Filii, quomodo ſe habet vt principiū quo Spiritus ſancti; & quidē voluntatē abſolutam ſeu eſſentialem ſe habere concomitanter tam in productione Filii quàm Spir. S. voluntatē verò reſpectiuā ſeu notionalē, ſe habere quidem concomitanter in productione Filij, quia dum per intellectum generatur Filius, ſimul etiam per voluntatem producitur Spiritus ſanctus, principaliter verò in productione ſeu proceſſione Spir. ſācti, vt dictū eſt.

Cur in diuinis non poßint eſſe plures Filii aut Sp. Sancti.

Cæterùm ratio cur non poſſint in diuinis plures Filii generari, aut plures Spiritus ſpirari (quod dicit D. Th. actus notionales ad plures perſonas non poſſe terminari) nulla poteſt aſſignari ratio philoſophica quæ neceſſariò concludat, ſed tantū probabilis, & vt loquuntur, ex congruo, cuiuſmodi nonnullas profert in mediū S. Doct. hîc art. 6. q. 41. Theologica verò poteſt aſſignari poſito hoc principio Fidei, quod de facto per actū intellectus vnica perſona procedat, & ſimiliter vnica per actum volūtatis; hoc enim poſito poteſt propoſitum demonſtrari in hunc modum: In Ente ſimpliciter neceſſario quale eſt Deus, id quod actu non eſt, non poteſt eſſe: ſed actu in Deo, neq;

plures filii, neque plures Spiritus ſancti procedunt, ergo non poſſunt plures procedere.

VNDECIMA DISPVTATIO. DE ÆQVALITATE DIVINARVM PERSONARVM.

DVABVS præcedentibus diſputationibus actũ eſt de diuinis perſonis comparatè tùm ad eſſentialia cùm ad perſonalia; duabus vero ſequentibus de iiſdem comparatè ad ſe inuicem dicendum eſt: & quidem in hac diſputatione ſecundùm ipſarum inter ſe æqualitatem, & in ſequenti ſecundùm rationem miſſionis. Et quoniam, vt ſcribit D. Aug. lib. de fid. ad Pet. c. 1. æqualitas ac ſimilitudo in diuinis perſonis eſſe quatenus nulla harũ aut præcedit æternitate, aut excedit magnitudine, aut ſuperat poteſtate; idcircò de earũ æqualitate ſecũdũ magnitudinẽ ſeu perfectionẽ, potẽtiam, & durationem, ordine dicendum eſt. *Quomodo ſit æqualitas in diuinis.*

An diuinæ perſonæ ſint æquales ſecundùm perfectionem.

NVLLAM in diuinis eſſe poſſe perfectionis inæqualitatem, probatur primò authoritate ad Philipp. 2. *Non rapinam arbitratus eſt, eſſe ſe æqualem Deo.* Secundò, ratione hac D. Th. hic q. 42. art. 4. inæqualiũ non poteſt eſſe vna numero quãtitas: at perfectionis quãtitatẽ, quę in diuinis eſt ipſa diuinitas, eſſe vnã numero in ipſis diuinis perſonis, cõſtat ex iis quæ dicta sũt d. 4 huius tract. q. 3. & 4. vbi oſtẽſum eſt ſingulas diuinas perſonas eſſe Deum, & quidẽ vnum: ergo nulla eſſe poteſt in iis perfectio- *Aſſertio Catholica authoritate probatur Ratione cõfirmatur Primò.*

Digitized by Google

Obiectio. nis inæqualitas. Deinde æquale dicitur vbi nulla eſt maioris ac minoris differentia ; atqui in infinita perfectione, qualis reperitur in trib⁹ perſonis, nulla reperiri poteſt eiuſmodi differētia propter ſūmā in ipſis naturæ idētitatem; ergo ſumma in illis eſt perfectionis æqualitas.

Verùm contrà obiicies: Relatio in diuinis formaliter eſt perfectio ; atqui vna relatio reperitur in vna perſona quæ non eſt in alia, v.g. paternitas in Patre quæ non eſt in Filio, ſicque aliquid perfectionis erit in vna perſona quæ non erit in alia; ex quo efficitur perſonas diuinas non eſſe omninò æquales, aut ſaltem prorſus ſimiles perfectione. *Prima ſolutio.* Reſponderi poſſet imprimis filiationem in filio æquiualere paternitati quę eſt in Patre, itemque ſpirationem in Spiritu ſancto, paternitati quæ eſt in eodem Patre ſi cum ipſo conferatur, & filiationi quæ eſt in Filio ſi cum ipſo conferatur, ſicque perſonas ipſas fore ſemper æquales. Verùm, quoniam hac reſponſione non omnis exhauſta eſt difficultas, cùm ſemper ex eo ſequatur non fore prorſus ſimiles perfectiones, cū alia ſit perfectio in vna perſona, v. g. paternitas in Patre, alia perfectio in altera: v. g. filiatio in Filio, & proceſſio in Spiritu ſancto. *Secunda Solutio.* Reſpondeo ſecundò, nos quidem vltrò concedere relationes in diuinis formaliter eſſe perfectiones ſecundùm conceptum ipſarum obiectiuum, ſeu ſecundùm omnem ſuam formalitatem quam habent à parte rei (licèt ſecundùm noſtrum conceptum quo illas cōcipimus præciſè ab eſſentia & vt virtualiter ab ipſa diſtinctas

videantur abſtrahere à perfectione & imperfectione, vti monuimus ſub finem quæſtionis ſecundæ diſp. 2. huius tractatus; perfectiones tamen illas relatiuas eſſe planè idem realiter ac formaliter cum eſſentia; quò fit vt nulla ſit formalis perfectio, in vna perſona quæ vt ſic, id eſt quatenus perfectio non ſit formaliter in alia, ſicque concedimus relationẽ quæ eſt formaliter in vna perſona non eſſe formaliter in alia: negamus tamen perfectionẽ vnius relationis quæ eſt in vna perſona nõ eſſe in alia, quia relationis cuiuſlibet perfectio, ipſa eſt diuinæ naturæ perfectio, quæ tota in ſingulis perſonis reperitur.

Si quæras, vtrùm relatio æqualitatis inter diuinas perſonas ſit realis. Reſpondeo ex mẽte D. Th. hîc q. 42. ar. 1. ad 4. non eſſe relationem realem diſtinctã à relationibus perſonalibus; cùm in ſuo intellectu nihil aliud includat quã ipſas relationes perſonales & eſſentię vnitatẽ: Confirmatur adhuc hac ratione. Nulla poteſt eſſe realis diſtinctio inter aliqua niſi id ſecũdũ quod formaliter ſe mutuo reſpiciunt, realiter in ipſis multiplicetur: atqui id in quo ſe mutuo reſpiciũt perſonæ diuinæ quatenus æquales aut ſimiles perfectione, nempe diuina eſſentia, non diſtinguitur aut multiplicatur in ipſis; ergo relatio iſta æqualitatis aut ſimilitudinis ſecundùm eſſentiam in ipſis non eſt realis. Neque obeſt quod maius ſit fundamentũ æqualitatis in diuinis quàm in creatis, in quibus æqualitas eſt realis relatio: nam licèt ſit maior ratio Dominii in Deo quàm apud nos,

Dubitationis reſolutio.

Tacitæ obiectioni occurritur.

relatio tamen iſtius dominii ad creaturas nō eſt realis; & quamuis relationes illæ conueniant diuinis perſonis ſecluſa operatione intellectus, non ſequitur tamen quod realiter exiſtant, cùm nō aliter exiſtere poſſint quàm obiectiuè in intellectu.

An diuinæ perſonæ ſint æquales ſecundũ potentiam.

QVÆSTIO II.

Aſſertio probatur authoritate. *Ratione.*

ITA eſſe docet fides orthodoxa, probaturque primùm authoritate Ioan. 5. *Quæcũque Pater facit hæc & filius ſimiliter facit.* Secundò ratione: Etenim potentia agendi naturæ perfectionē conſequitur, ita vt quo rei cuiuſpiam natura præſtantior eſt, eo maior ſit ipſius vis in agendo: atqui conſtat ex præcedenti quæſt. perſonas diuinas inter ſe eſſe naturæ perfectione æquales; ergo etiam poteſtate.

Obiectio prima. *Solutio.*

Verùm contra obiicies primò illud Ioan. 5. *Non poteſt Filius à ſe facere quidquam*; atqui Pater poteſt à ſe omnia facere; ergo minor videtur eſſe Filii quam Patris potentia. Reſpondetur iis verbis haudquaquam minui Filii poteſtatem, cùm ſtatim ſubdatur ibidem, *Quodcumque Pater facit, Filius ſimiliter facit*: ſed tantũ oſtendit quod Filius habet poteſtatē à Patre, à quo habet naturã: quo ſpectat iſtud ſancti Hilarii 9. de Trin. *Naturæ diuinæ* (inquit) *hæc vnitas eſt vt ita per ſe agat Filius quod non à ſe agat*; quam reſponſionem inſinuauimus ſuprà diſputatione 4. huius tract. quæſt. 3. ſub finem,

Obiectio. ſecunda.

Secundo obiicies: Ad omnipotentiam Patris

pertinet quod poſſit æqualem ſibi Filium generare, ex D. Auguſt. lib. 3. contra Maximinum cap. 7. Atqui hæc generandi potentia nequaquã in Filio reperitur; ergo non eſt Filius Patri æqualis in poteſtate. Reſpondetur potentiam generandi pertinere ad omnipotentiam Patris quatenus Pater eſt diſtinctus à Filio: non verò quatenus eſt vnus Deus cũ ipſo: neque tamen inde ſequitur quod maior ſit omnipotentia Patris abſolutè loquendo, quàm Filii, cùm potentia generandi, quatenus potentia, ſit ipſa diuina eſſentia quæ tota in Filio reperitur non ſecus ac in Patre; illud autem (generandi) quod additur in Patre, nihil dicit in Patre niſi relationem quæ præciſe ſpectata ab eſſentia abſtrahit à perfectione & imperfectione: itaque Filius habet in potentia abſoluta quidquid perfectionis eſt in potentia notionali Patris, ſicut habet in entitate abſoluta eſſentiæ quidquid perfectionis eſt in entitate relatiua Patris, idemque dicendum de Patre reſpectu Filii, & de Spiritu ſancto reſpectu vtriuſque, & etiam de vtroque reſpectu Spiritus Sancti. Repete nonnulla quæ ſupra diximus quæſt. 4. præcedentis diſputationis ſub finem. *Solutio.*

An perſonæ diuinæ ſint æquales ſecundùm durationem.

QVÆSTIO III.

IDEM eſt quod quærit hîc Diu. Thom. art. 2. Vtrùm perſona procedens ſit coæter-

na ſuo principio vt filius Patri & Spiritus ſanctus vtrique. Cui reſpondetur ita eſſe, vt conſtat ex iis ſacræ Scripturæ ac ſanctorum Patrũ Eccleſiæ teſtimoniis quibus probari ſolet Verbum Dei eſſe ab æterno genitum, itẽque Spiritum Sanctum ab æterno procedere vbi agitur de proceſſione diuinarũ perſonarum deque ipſarũ diuinitate. Repete ſi placet quę illic ad id probandum in medium adduximus.

Aſſertio catholica.

Ratione verò confirmatur, nempe perſonam procedentẽ non poſſe eſſe poſteriorem ſuo principio, ex D. Th. hîc art. 2. Quod enim aliquid ſit poſterius ſuo principio contingere poteſt ex duobus; vno modo ex parte agentis, alio modo ex parte actionis: & quidẽ ex parte agentis, aliter in agentibus voluntariis, aliter in agentibus naturalibus: in agentibus quidẽ volũtariis propter electionẽ tẽporis; eſt enim in poteſtate agentis voluntarii eligere tempus quo ſuum effectũ operetur, in agentibus autẽ naturalibus hoc cõtigit, quia nõ habẽt à principio ſui eſſe, vim ad agendum promptã & paratam, ſed eã lapſu tẽporis aſſequũtur; ſic enim homo non habet à principio ſui ortus vim ad generandum idoneam: ex parte verò actionis impeditur ne id quod eſt ab aliquo, ſit ſimul cum ipſo, eo quod actio per quam producitur ſit ſucceſſiua: Atqui nullo ex iis modis cõtingere poteſt diuinam perſonam eſſe poſteriorem eâ à qua procedit; exploratum enim eſt ex præmiſſis quod Pater non generat filiũ voluntate, ſed naturâ, iterum quod natura Patris, quę eſt ipſius virtus ſeu potentia ab æter-

Ratione probatur

no, perfecta ſit: & præterea quod actio qua Pater producit filium non ſit ſucceſſiua; relinquitur ergo Patrem numquam anteceſſiſſe Filium, ſicut nec Patrem ac Filium anteceſſiſſe Spiritum Sanctum, ac proinde omnes diuinas perſonas eſſe coæternas ſeu æquales ſecundùm durationem.

Obiectio. Verùm obiicies. Nullum ęternū habet principium, ſed omne quod eſt ex altero, cuiuſmodi eſt perſona procedens in diuinis habet principium; ergo nō poteſt eſſe quid æternū. *Solutio.* Reſpondetur ad maiorem, quod ęternitas excludit principium durationis, non verò principiū originis, quale eſt in diuinis. Si inſtes, nec quidem illud principium originis admittendum eſſe in diuinis abſque principio durationis, *Inſtantia.* eo quod quidquid aliud producit, illud ipſum ex non eſſe ad eſſe traducit, ſicque illud productum debet priùs non fuiſſe quàm eſſe: quod autem aliquando non fuit id minimè ęternum eſſe poteſt. Occurrimus, negādo id omne quod produci concipitur à non eſſe ad eſſe traduci, *Solutio.* quando nempe eiuſmodi productio fit abſque vlla eſſēdi nouitate, quomodo fit proceſſio in diuinis: quò fit vt vltrò cōcedendum ſit cum D. Baſil, l. 2. contra Eunomium, Patrem genuiſſe Flium exiſtentem per ſe, non tamen exiſtentem à ſe, ſed ab ipſo Patre: prę terea etiam ingenuè fatendum ſit Filium ſemper eſſe genitum ſimulque ſemper generari à Patre, quamuis ſatius ſit aſſerere filium eſſe genitum quàm generari, quoniam iſtud poſterius videtur nonnihil imperfectio-

nis includere, ſignificat enim rem in fieri, ac proinde veluti in eſſe imperfecto.

An perſonarum æqualitas aliquem inter ipſas naturæ ordinem patiatur.

QVÆSTIO IIII.

Natura ordo in diuinis admittendus.

ETSI ſumma ſit diuinarum perſonarũ inter ſe inuicem æqualitas, hoc tamen non impedit quominus ſit inter ipſas aliquis naturæ ordo; non quidem quo vna perſona ſit prior aliâ propriè loquendo, ſed quod ſit ex alia, ne vlla concipiatur eſſe in diuinis confuſio: quod quidem probatur; quia ordinis ratio principii rationem analogicè conſequitur: quare cũ in diuinis ratio principii reperiatur ſecũdũ originem abſque prioritate, erit etiã in illis ratio ordinis ſecundùm originẽ abſque prioritate aliqua durationis aut cauſæ, quem quidẽ ordinẽ appellat D. Th. ſecũdũ D. Aug. l. 4. ſuper Gen. c. 34. ordinẽ naturæ; non quòd ipſa natura diuina ordinetur, ſed quod ordo in diuinis perſonis attendatur ſecundùm naturalem originem.

Dubitatio.

Si quæras, num etiã admitti poſſit aliqua prioritas originis & naturæ in diuinis, vt cõtendit Scotus in ſecundũ Sent. d. 28. q. vltima.

Reſolutio.

Reſpondeo in aliquo ſenſu admitti poſſe, ſi nẽpe nihil aliud nomine prioritatis intelligas, quàm ipſum ordinẽ originis & naturæ: quia tamẽ ex cõſueto loquẽdi modo aliud videtur intelligi, præſertim cùm dicitur aliquid eſſe prius natura, intelligi enim ſolet prioritas quędã cauſæ quæ lõge abeſt à diuinis, idcircò

meritò negat D.Th.a.3.ad 2.vllá eſſe in diuinis naturæ aut rationis prioritatem, ideoque ab iſto loquendi modo quantum fieri poteſt abſtinendum eſſe arbitramur.

DVODECIMA DISPVTATIO. DE MISSIONE DIVINARVM PERSONARVM.

QVandoquidem perſonam diuinam interdum ab alia mitti diuinarum Scripturarũ oracula perhibent quod ſecundùm prædictum ipſarum inter ſe originis ordinem accipitur; idcircò locus hic poſtulat vt de ipſarum miſſione nonnihil pro tractatus huius coronide breuiter diſſeramus.

An alicui perſonæ diuinæ conueniat mitti.

QVÆSTIO I.

PERSONAS diuinas nonnumquam mitti vnicuique vel mediocriter in ſacris litteris verſato compertum eſt: id enim tum de ſeipſo cùm de Spiritu Sancto apertè Chriſtus teſtatur; de ſe quidem Ioan. 13. *Miſit Deus Filium ſuũ &c.* & cap. 8. *Non ſum ego ſolus, ſed ego, & qui me miſit Pater:* Item de Spiritu Sancto ibidem 14. *Spiritus veritatis quem mittam vobis à Patre.* & ibidem *quem mittet Pater in nomine meo.*

Miſsionem eſſe perſonarum probatur.

At verò difficul[?]eſt in explicanda ratione iſtius miſſionis qua[?] D. Tho. hîc q. 43.a.1.in hũc modũ optime exponit. Duo, inquit, in ratione miſſionis importãtur, quorũ vnũ eſt habitudo miſſi ad principiũ à quo mittitur, aliud

Ratio miſſionis explicatur.

eſt habitudo miſſi ad terminum ad quem mittitur: eſt autem habitudo miſſi ad eum à quo mittitur quędam ab ipſo proceſſio, idque vel per imperium, vt cùm ſeruus à domino mittitur; vel per Conſiliũ, vt ſi Rex dicatur mitti à Conſiliario ad ineundum bellum; vel ſecundùm originem vt cùm flos emittitur ab arbore: habitudo verò miſſi ad terminum ad quem mittitur eſt, vt aliquo modo ibi eſſe incipiat: ita vt vel abſolutè ibi incipiat eſſe, quia nempe ibi antea omninò non erat; vel incipiat ibi aliquo modo eſſe quo priùs non erat. Miſſio igitur diuinæ perſonæ conuenire poteſt tum quatenus importat ex vna parte proceſſionẽ originis à mittente, tũ ſecũdum quod importat ex alia parte nouum modum exiſtendi in alio: ſic Filius dicitur à Patre miſſus in mundũ quia ab ipſo Patre procedens incepit in mundo eſſe per carnem aſſumptam, cùm tamen antea in mundo eſſent, iuxta illud Ioan. primo *In mundo erat, & mundus per ipſum factus eſt*, non tamen eo modo quo cepit eſſe per incarnationem.

Conſectarium.

Ex hoc intelligis, quod licèt in humanis miſſio importet minorationem in eo qui mittitur ab alio, proindeque tollat æqualitatem perfectionis inter vtrumque: quia nempe miſſio illa fit aut per imperium, & ſic qui mittit eſt potentior; aut per conſilium, & ſic qui mittit eſt ſapientior; aut ſecundùm originem cum aliqua prioritate cauſæ vel durationis, & ſic qui mittit eſt ſaltem natura prior: in diuinis tamẽ non importat vllam inęqualitatem, quia

fit

Digitized by

ſit ſecundùm proceſſionem originis abſque vlla prioritate vel poſterioritate durationis aut cauſæ.

Notandũ. Vbi nota, cùm nouus ille modus quo perſona miſſa dicitur eſſe vbi ante non erat cõmuniter ſit ſecundùm aliquam operationem ad extra, qua aliquid efficit in creatura, nihil autẽ in creatura operetur perſona miſſa niſi per entitatem ſuæ naturæ quam accepit à perſona producente; hinc fit vt habeat ab ipſa quod aliquid efficiat in creatura: ſicque ſcum nouo modo incipit eſſe vbi non erat, iure ac meritò illuc à perſona producente mitti cenſeatur.

Conſectarium Ex quibus etiam facile eſt intelligere miſſionem eſſe quid perſonale ſeu notionale; cùm in ſua ratione notionem in communi includat, nempè habitudinem eius qui ab alio: qua duplex notio in ſpeciali ſignificatur, nempe filiatio propria Filii, & proceſſio propria Spiritusſancti, diſcrimẽ autem inter miſſionem Filii & miſſionem Spiritus ſancti, tum ex prædictis, tùm ex ſequentibus facili negotio poterit intelligi.

An perſona quælibet à qualibet mitti poſſit.
QVÆSTIO II.

Miſſio neceſſariò proceſſioni annexa. CVM ex præcedenti quæſt. conſtet miſſionem propriè dictã indiſſolubiliter annexam eſſe proceſſioni, ita vt eatenus perſona mitti ab alia dicatur quatenus ab ipſa habet virtutem operandi in aliqua creatura, vt eo modo ſit in ea quo antea non erat: ex eo ne-

Digitized by Google

ceſſariò efficitur perſonam non poſſe mitti niſi quæ procedat, nec ab alia poſſe mitti niſi à qua procedit; itaque licèt omnes perſonæ dici poſſint ad nos venire, iuxta illud Ioan 14. *Ad eum veniemus &c.* quia omnis effectus ad extra tribus perſonis communis eſt; ſoli tamē filius & Spiritus ſanctus veniunt miſſi à Patre; Pater verò à nullo, quia à nullo procedit: & quoniā filius à ſolo Patre procedit, idcircò ab ipſo ſolo mittitur: quia verò Spiritus ſanctus à Patre & Filio procedit, idcircò ab vtroque mitti iure creditur.

Nota quod perſona dicitur mittens dupliciter.

Notandū tamen hìc eſt quod perſona duobus modis dici poteſt mittēs: vno modo propriè, ita vt perſona illa mittens ſit ea à qua tanquā à principio procedit perſona miſſa; quomodo & hoc ſenſu negāt ſancti Patres & poſt hos S. Doctor perſonam dari aut mitti ab ea à qua non procedit: altero modo minùs propriè ita vt perſona dicatur mittēs, eo quod ſit principium eius effectus ſecundùm quem alia perſona quæ dicitur miſſa incipit eſſe alicubi: & ſic D. Auguſt. l. 2. de Trin. cap. 5. docet filium mitti tū à ſeipſo cùm à Spiritu ſancto, iuxta illud Iſa. 46. *Nunc me miſit Dominus & Spiritus eius:* & 61. *Spiritus ſuper me eo quod vnxerit me, ad euangelizandum pauperibus miſit me.* Poſſent etiā hęc & ſimilia loca intelligi de Chriſto vt homine, ſic enim verè dici poteſt à tota ſanctiſſima Trinitate miſſus, ſicut & vnctus.

Digitized by Google

An miſſio ſit æterna, vel temporalis.

QVÆSTIO III.

TEmporalem eſſe diuinarum perſonarum miſſionem, non verò ab æterno conſtat apud omnes; idque ſacræ litteræ teſtantur ad Galat. 4. *Vbi venit plenitudo temporis miſit Deus filium ſuum.* *Miſſio non niſi temporalis eſt.*

Ad cuius rei pleniorem intelligentiam notãdum eſt cum D. Thoma hîc q. 43. art. 2. inſigne diſcrimen eſſe inter ea vocabula quæ diuinarũ perſonarum originem important: quædã enim in ſui ſignificatione important ſolam habitudinem ad principium, vt proceſſio, & exitus: quædam verò cum habitudine ad principium important habitudinem ad terminum; eũque vel æternum, vt generatio, & ſpiratio; vel temporalem, vt miſſio, & datio ſiue donatio; mittitur enim aliquid ad hoc vt ſit in aliquo, & datur ad hoc quod ab aliquo habeatur. Perſonam autem diuinam haberi ab aliqua creatura vel eſſe nouo quodam exiſtẽdi modo in ea eſt quid tẽporale: itaque in diuinis miſſio & datio dicuntur temporaliter tantùm; generatio & ſpiratio, æternaliter tantùm; proceſſio verò & exitus, æternaliter & temporaliter: exempli gratiâ filius ab æterno proceſſit vt ſit Deus; temporaliter verò tum vt ſit homo ſecundùm miſſionem viſibilem quod ſemel factum eſt, tùm vt ſit in homine, ſeu cum homine ſecundùm inuiſibilem miſſionem quod ſæpiùs euenit, ex D. Auguſt. 4. de Trinit. cap. 2.

Miſſio & datio. *Generatio & ſpiratio* *Proceſſio & exitus.*

An alia ſit inuiſibilis miſsio, alia viſibilis, & qui differant.

QVÆSTIO IIII.

Conuenientia. *Prima.* *Secunda.* *Tertia.* *Differētia.* *Prima.* *Secunda.*

VT liquidò magis conſtet diſcrimen inter vtrumque genus miſſionis, prius aduertendum eſt quid vtrique commune ſit: Primò igitur vtrique cōmune eſt quod ſit temporalis non ab ęterno, ſecundò quod fiat ad rationalē creaturam, tertiò quod fiat ſecundū aliquē effectū ad extra, ad quem producēdū tres ſimul perſonę cooperantur; differunt tamen; 1. quod inuiſibilis miſſio fiat ſæpè abſque viſibili, viſibilis verò vix vnquam abſque inuiſibili fiat, & licèt fieri poſſit imò facta fuerit, ſemper tamē fit in ordine ad inuiſibilem miſſionē aut præcedentē, aut mox ſubſequentē; ſecundò quod miſſio inuiſibilis fit ſēper ſecūdū aliquē effectū gratiæ gratū faciētis in eo ad quē perſona inuiſibiliter mittitur: miſſio verò viſibilis non fit ſēper cū aliquo effectu de pręſēti producto gratiæ gratū faciētis in eo ad quē perſona viſibiliter mittitur; miſſio enim illa viſibilis ſecūdū ſe importat tantū effectū aliquē externū q̃ ſit ſignū gratiæ iam infuſæ, aut quæ iam infunditur per inuiſibilem miſſionem in eo ad quē perſona viſibiliter mittitur. Exempli gratiâ, cū Spiritus ſanctus ad Chriſtū miſſus eſt in ſpecie columbæ Math. 3. nulla fuit tunc inuiſibilis miſſio ſecundùm aliquem effectum gratiæ de præſenti productæ, cùm iam eſſet in eo omnis plenitudo gratiæ, ſed tantū fuit viſibilis miſſio ſecundùm effectum externum, nempe veram

apparitionem colũbæ aſſumptæ à ſancto Spiritu, quod fuit ſignũ gratiæ iam in Chriſto exiſtentis;at verò cum idem Spiritus ſanctus viſibiliter ad Apoſtolos miſſus eſt,certum eſt ſimul ad eoſdem inuiſibiliter per gratiam miſſum fuiſſe, iuxta illud Actorum 2. *Repleti ſunt omnes Spiritu ſancto.* denique idẽ Spiritus ſãctus ſæpenumero inuiſibiliter tantũ ad nos mittitur,vt cùm Spiritus ſanctus dari dicitur ei qui iuſtificatur,iuxta illud ad Rom. 5. *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum qui datus eſt nobis.* Cæterùm vbi accidit perſonã diuinam ſimul viſibiliter & inuiſibiliter mitti, non eſt cẽſenda hæc duplex miſſio propriè loquendo quaſi bis mittatur eadem perſona, cũ miſſio viſibilis fiat propter inuiſibilem & ad ipſam ordinetur. Nota etiam cùm perſona viſibiliter mittitur, fieri poſſe vt reſpectu quorumdam tantum viſibiliter mittatur,reſpectu verò aliorum viſibiliter ſimul & inuiſibiliter; vt cùm Chriſtus viſibiliter miſſus eſt in hunc mundum, ſimul etiam inuiſibiliter miſſus eſt reſpectu eorum qui ipſum receperunt; reſpectu verò eorum qui non receperunt eum,viſibiliter tantùm ſic dici poteſt quod reſpectu eiuſmodi hominum miſſus eſt Chriſtus vt cũ eis eſſet ſeu conuerſaretur,non verò vt in iis eſſet ſeu in ipſis inhabitaret, niſi forte ſecundùm voluntatem Dei antecedentem.

Notandũ.

Notãdum

Porrò licet ſignũ externũ viſibilis miſſionis ſit effectus totius Trinitatis,ſicut& quodlibet aliud opus Dei ad extra;eſt tamẽ à Deo inſtitutũ ad ſignificandũ vnã tantum perſonam quæ

Nota circa ſignum viſibilis miſſionis.

propterea per ipſam dicitur apparere & non propter aliã, ſicut etiam effectus gratię gratum facientis, licèt ſit opus totius Trinitatis, ſecundùm peculiarem tamen conſiderationem perſonæ miſſę appropriatur.

Denique nota circa miſſionem inuiſibilem, quòd licèt ex ea ſequi poſſit aliquis effectus gratiæ gratis datæ vt eſt donũ prophetiæ, linguarũ, miraculorũ, &c. non tamen perſonam dici propriè poſſe mitti ſecundùm illum effectum, ſed tantùm ſecundùm effectum gratiæ gratum facientis; dicitur enim mitti perſona ex hoc quod nouo aliquo modo ſit in creatura rationali ſeu in ipſa inhabitet, nempe vt cognitũ in cognoſcente ac ſimul & pręſertim vt amatum in amante; atqui non dicitur perſona diuina inhabitare propriè in rationali creatura niſi ſecundùm effectum gratię gratum facientis, cuius proprium eſt nos Deo gratos efficere per charitatem ſecundùm quam non tantum nos in Deo, ſed etiam ipſe Deus in nobis inhabitat, iuxta illud 1. Ioan. 4. *Deus charitas, eſt, & qui manet in charitate in Deo manet, & Deus in eo.*

An poßit vna perſona mitti abſque alterius procedentis mißione.

QVÆSTIO V.

COnſtat quidem ex præcedenti quęſtione vnam perſonã poſſe mitti viſibiliter abſque alia; cùm poſſit ſignum aliquod inſtitui ad ſignificandam vnam perſonam & non aliam, vt inibi diximus: at verò quæſtio hæc inſtituitur de inuiſibili miſſione, quæ triplici aſſertione explicabitur.

Prima aſſertio. Miſſio vnius perſonæ ſecundum nouum modum exiſtendi per hypoſtaticam terminationem naturæ, poteſt eſſe abſque alterius miſſione ſecundùm eundem exiſtẽdi modum. Probatur, quia de facto Verbũ diuinum ſolum ſic miſſum eſt ad humanitatem aſſumptam in vtero Beatiſſimæ Virginis, non verò Spiritus ſanctus, quamuis is etiam ſecundum gratiam gratis datam eidem humanitati fuerit miſſus. *Prima aſſertio.*

Secunda aſſertio. Miſſio vnius perſonæ ſecũdùm nouum modum exiſtendi per actionẽ ad extra, non poteſt eſſe abſque miſſione alterius perſonæ procedentis. Probatur, quia impoſſibile eſt effectum ad extra prodire ab vna perſona diuina, & non ab alia: quo fit vt in quo eſt vna perſona ſecundùm eiuſmodi effectum, in eodem ſit & altera; quæ ſi ſit procedẽs & eiuſmodi effectus ad extra ſit effectus gratiæ gratũ facientis, proculdubio mitti cenſenda eſt: & quidem licèt ſecundũ eiuſmodi effectũ dicantur omnes ad creaturam rationalem venire, & in ipſa manſionem facere: attamen duæ tantùm procedentes mitti dicuntur. *Secunda aſſertio.*

Tertia aſſertio. Cùm duæ perſonæ procedentes ſecundùm eundem (ſaltem in genere) effectum gratiæ mittuntur, miſſio vnius ſemper diſtinguitur à miſſione alterius ratione proceſſionis diuerſæ, vt ex dictis patet: & etiam ratione effectus ſpecialis, qui ſaltem ſecundùm attributionem concipitur diuerſus produci à diuerſis perſonis, vt patebit ex ſequenti quæſtione. *Tertia aſſertio.*

Qui differat miſsio Filii à miſsione Spirit⁹ S.

QVÆSTIO VI.

Tres difficultates hic explicandæ

CVM ex antedictis exploratũ ſit vtrãq; perſonã tã viſibiliter quam inuiſibiliter mitti; oſtẽdẽdũ eſt imprimis quî differat miſſio Filii in genere à miſſione Spiritus S. in genere: Secũdò, qui differat miſſio viſibilis filii à miſſione viſibili Spirit⁹ S. Tertio, quî differat miſſio inuiſibilis filii ab inuiſibili miſſione Spiritus S.

Prima difficultas explicatur.

Quod igitur ſpectat ad primum : duplex eſt inſigne diſcrimẽ inter miſſionẽ filii in genere, & miſſionẽ Spiritus sãcti: alterũ eſt quod miſſionem filii nulla merita anteceſſerũt, at verò miſſionẽ Spiritus sãcti merita Chriſti præceſſerunt ac impetrarũt, iuxta illud Ioan. 14. *Ego rogabo Patrẽ, & alium Paracletũ dabit vobis*: Alterũ eſt, quod miſſio filii ſit à ſolo Patre, miſſio vero Spirit⁹ sãcti à Patre & filio, ſicuti ab vtroq; eſt ipſius proceſſio: vnde ipſe Chriſtus nõ tãtũ pollicetur Spiritũ ſanctum à Patre venturum aut mittendum eſſe, ſed etiam ſeipſum illum daturum ac miſſurum pollicetur.

Secunda difficultas explicatur. Primũ diſcrimen.

Quod verò ſpectat ad ſecundũ: imprimis diſcrimẽ eſt, quod Chriſtus ſemel tantũ viſibiliter miſſus ſit in hunc mundũ; nẽpè cũ aſſumptâ humanitate noſtra in terris viſus eſt, & cum hominibus conuerſatus eſt: non quod Chriſtus vnquam poſtea non apparuerit, ſed quod non apparuerit ad ſanctificandã creaturam : quo fit vt eiuſmodi apparitiones non dicantur propriè miſſiones, ſicut nec apparitiones diuinarum perſonarum in veteri Teſtamento, eo quòd ad ſanctificãdos homines per

ſe non ordinarentur: at verò Spiritus Sanctus ſæpiùs legitur miſſus in Euangelio; bis quidem ad Chriſtum, nempè ſemel in ipſius baptiſmate ſub forma columbæ, Matth. 3. & ſemel in trãsfiguratione ſub forma nubis lucidę, Math. 17. & Lucæ 9. bis quoque ad ipſius diſcipulos, idque poſt ipſius reſurrectionem, ſemel quidem ante aſcenſionem ſub ſpecie flatus. Ioan. 20. & ſemel poſt aſcenſionem ſub ſpecie tùm vehementis venti, cùm linguarum ignearum. Actorum 2. Adde alias miſſiones viſibiles eiuſdem Spiritus Sancti quæ paſſim habentur in Actibus Apoſtolorum, vt cap. 4. & 10. Ex quibus aliud diſcrimen intelligitur, nempè quod Chriſtus ſub vna tantùm forma numquam ab ipſo ſeparanda miſſus fuerit; at verò Spiritus Sanctus ſub multiplici forma eaque tranſeunte, cuius multiplicis apparitionis rationes lege apud D. Thom. hîc qu. 43. art. 7. ad 6. Præterea differunt quod Chriſtus veram humanitatem aſſumpſit; At Spir. S. non veram columbam, ſed ſpeciem columbæ dumtaxat, ſeu verum corpus aereum ſpeciem columbę præ ſe ferens aſſumpſit, iuxta probabiliorem ſententiam D. Chryſoſt. hom. 12. in Math. & hom. 3. in Marc. Ambroſ. 1. de Sacramẽt. c. 5. Aug. c. 2. de Trin. c. 5. & ep. 102. imò iuxta ipſa Euangeliſtæ verba: *Vidit cœlos apertos, & Spiritum S. tanquam columbam deſcendentem* Marci. 1. *Secundum* *Tertium.*

Denique differunt, quòd Chriſtus viſibiliter apparens accepit formã viſibilẽ in vnionẽ ſuppoſiti, ideoque ſecũdũ formã illã ſerui aſſumptã verè dicitur minoratus à Patre; at verò Spi- *Quartum.*

ritus S. formas viſibiles ſub quib⁹ apparuit nō accepit in vnionem ſuppoſiti, quò fit vt non poſſit dici minor Patre aut Filio, ſicut nec dici poteſt factus columba, nubes, aut ignis, ſicut Filius verè factus homo creditur.

Tertia difficultas explicatur. Quod ſpectat ad tertiū: licet tùm Filius cùm Spiritus S. inuiſibiliter mittātur ad ſanctificādā creaturā; alio tamē modo dicitur illā ſanctificare Filius, alio modo Spiritus S. ſicque, vt rectè monet S. Doctor hîc qu. 43. art. 5. ad 3. licet cōmunicēt duæ miſſiones in radice gratiæ, diſtingūtur tamē in effectibus gratiæ, qui sūt illuminatio intellectus, & inflāmatio affectus; quod optimè idē S. Doctor explicat ibidē ad 2. ad hoc enim (inquit) vt aliqua perſona mittatur ad aliquē per gratiā, neceſſe eſt fieri aſſimilationē illius ad eiuſmodi diuinā perſonam per aliquod gratiæ donū: quia igitur Spirit⁹ S. amor eſt, per donū Charitatis anima Spiritui S. aſſimilatur, vnde ſecūdùm modū Charitatis attēditur miſſio Spiritus S. & quoniā Filius Verbū eſt non qualecūque, ſed Verbū ſpirās amorē (quod innuit S. Aug. 9. de Trinit. c. 10. *Verbum*, inquit, *quod inſinuare intēdimus cū amore, notitia eſt*) hinc fit vt nō ſecūdùm quālibet perfectionē intellect⁹ mittatur Filius, ſed ſecūdùm eiuſmodi inſtructionē quę prorūpat in affectū amoris, iuxta illud Ioā. 6. *Omnis qui audiuit à Patre & didicit, venit ad me*. & illud Pſal. *In meditatione mea exardeſcet ignis*. Verū hęc de tā incōprehēſibili myſterio ſatis ſuperq; dicta ſit, idq; in honorē altiſſimi cui vni, ac trino Deo Patri, & Filio, & Spir. S. ſit honor, virtus, & gloria in ſæcula ſæculorū. Amen.

Digitized by Google

TABVLA SPECIALEM huius tertij Tractatus in quatuor diſputationes partitionem indicans.

Circa proceſſionem creaturarum à Deo creatore conſiderari debet

- Primò, Deus ipſe vt eſt ipſarum primum prĩcipium: vnde exiſtit
  - 1. Diſputatio, de ipſo Creatore.
- Secundò ipſa Dei operatio circa creaturasquę duplex eſt.
  - Primaria, qua primò Deus confert eſſe ceaturis, quæ cõſiderari poteſt dupliciter.
    - Primò in genere: vnde exiſtit Secũda diſputatio, de prima productione creaturarum.
    - Secundò in ſpecie ratione rerum ſingulis diebus productarum; vnde exiſtit, Tertia diſputatio, de opere ſex dierum, vbi de Creatura merè corporea.
  - Secundaria & veluti continuata: vnde exiſtit Quarta diſputatio, de gubernatione creaturarum, vbi de ipſarum conſeruatione & directione.

TRACTATVS TERTIVS.

DE DEO VT CREATORE.

SEV

De Creatione, in quatuor Diſputationes diuiſus.

CVM hactenùs de Deo ſecundùm ſe ſpectato, tùm vt vno, cum vt trino diſputatum ſit, rectus ordo poſtulat, vt de ipſo in ordine ad aliud, nempè ad creaturas, ſeu de ipſo vt creatore deinceps diſſeratur: Adde quod optima ratione fieri videtur, vt poſtquam in præcedenti tractatu de proceſſione ad intra diuinarum perſonarum dictum eſt, in iſto quoque de proceſſione ad extra creaturarum pertractetur.

Erunt autem huius tractatus quatuor diſputationes; prima erit de ipſo Creatore, ſecunda de creaturarum productione; tertia de opere ſex dierum, vbi de Creatura merè corporea. quarta de creaturarum gubernatione, vbi de

earūdē cōſeruatione ac directione diſſeretur.

PRIMA DISPVTATIO.

DE IPSO CREATORE.

CVm Deus ſe habeat per modum cauſæ quatenùs Creator reſpectu creaturarum, cōſtetque non poſſe Deum ſe habere per modum cauſæ materialis, aut formalis propriè dictæ reſpectu earum; reſtat examinandum vtrū ſe habeat per modum efficientis cauſę exēplaris & finalis reſpectu earumdem: quod in iſta diſputatione (Deo dāte) pręſtabimus. Interim nonnulla quę ad hanc diſputationem ſpectant repeti poterunt ex prima parte noſtræ Phyſicæ tract. 3. diſp. 4. qu. 10. vbi de Primo motore.

An Deus ſit cauſa efficiens omnium rerum.

QVÆSTIO I.

VAria circa propoſitam quæſtionem hęreticorum, vt Simonis Magi, Mæandri, Baſilidis, Carpocratis, Gnoſticorum, Manichæorum, & Albigenſium commenta lubens prætermitto; qui omnes Deum nullarum aut non omnium rerum authorem eſſe ſomniarunt, vt videre eſt partim apud S. Irenæum, l. 1. aduerſus hæreſes 22. 24. & 25. partim apud Epiphaniū hæreſi 27. & 66. partim apud Antoninum tertia parte hiſtoriali titulo 19. cap. 1.

Eſt igitur certa fide aſſertio, Deum eſſe rerum omnium authorem ſeu primam cauſam efficientē omniū planè entiū. Probatur primū authoritate litterarū ſacratū; Geneſ. 1. *Vidit Deus* *Aſſertio de fide.*

cuncta quæ fecerat, & erãt valde bona. Pſal. 45. *Qui fecit cœlum & terram, mare, & omnia quę in eis ſunt.* Ioan. 1. *Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil, quod factum eſt.* ad Rom. 11. *Ex ipſo, per ipſum, & in ipſo ſunt omnia.*

Secũdo ratione confirmatur. Secundò ratione hâc D. Tho. hîc qu. 44. art. 1. Id omne quod habet eſſe per participationem, eſt ab eo quod habet eſſe per eſſẽtiã, cùm quidquid in aliquo genere imperfectè & per participationem eſt tale, ſit ab eo quod in eodẽ genere eſt maximè & perfectiſſimè tale; atqui ſolus Deus habet eſſe per eſſentiã, reliqua omnia per participationẽ, cùm ſoli Deo eſſentiale ſit eſſe, nõ itẽ aliis rebus, vt potè cuius exiſtentia ſit de eius eſſentia, imò ſit ipſa eius eſſentia, vt aliàs dictũ eſt in primo tractatu, vbi de exiſtentia Dei, deque eius ſimplicitate, quod de nulla alia re dici poteſt: quare cõcludendũ eſt omnia quæ ſunt extra Deũ (cùm ſint per participationem) eſſe ab ipſo tãquam ab authore ſui eſſe, ſiue tanquam à cauſa ſui efficiente. *Nota.* Vbi nota quod licèt eſſe cauſatum, ſeu eſſe ab alio tanquam à cauſa, non ſit de ratione entis ſimpliciter, alioqui non poſſet eſſe aliquod ens nõ cauſatum; eſt tamen de ratione entis finiti: quo fit vt nullũ ſit ens finitũ, quod nõ ſit ab alio cauſatum, & quidem à Deo tanquam à primo ſui principio ac principali cauſa.

Conſectarium. Cæterùm ex hoc intelligis etiã ipſam primam materiã eſſe à Deo effectiuè productã ex nihilo, cõtra veteres quoſdã Philoſophos & hæreticos, qui illã Deo eſſe coæternã, ac minimè ab ipſo depẽdentẽ cõmenti ſunt: quod quidẽ cõ-

mentũ facile eſt ex ſupradictis cõuincere; tum etiã hac ratione D.Tho.hîc art.2.quod nempè Deus producat rẽ vt eſt ens, ac proinde omne quod ad entitatẽ eius pertinet, cuiuſmodi eſt materia in rebus Phyſicis, illudque etiam aliàs docuimus 2.p. Phyſicæ tract.1. diſp.1. quęſt.4. vbi de productione mundi.

An Deus ſit cauſa immediata omniũ rerum.

QVÆSTIO II.

SEnſus quæſtionis eſt; vtrũ non tantũ id omne quod per creationem productũ eſt, ſed etiã id omne quod in dies per ſecundas cauſas efficitur, etiam immediatè à Deo producatur. Hoc enim negat Durandus in hoc ſequutus Pelagium, qui Deum ad omnes effectus ſimul cum cauſis ſecundis concurrere inficiebatur. *Sẽſus quæſtionis aperitur.*

Verùm cõmunis Theologorũ ſentẽtia, eaque fide tenenda eſt; Deũ eſſe cauſam efficientem immediatã rerũ omnium. Probatur primò authoritate ſacrarũ Scripturarũ, Iſa.26. *Omnia opera noſtra operatus es in nobis domine.* Pſal.144. *Aperis tu manũ tuã, & imples omne animal benedictione.* & Pſal.146. *Qui producit in montibus fœnum, & herbam ſeruituti hominum.* Ioan.5. *Pater meus vſque modo operatur, & ego operor.* Apoſtolus 1. ad Cor.12. *Qui omnia operatur in omnibus.* *Communis Theol. ſententia.* *Probatur primo auctoritate.*

Secundò ratione cõfirmatur; quia non aliter quidpiã immediatè à Deo fieri concipitur, ſiue fiat ab ipſo ſolo, ſiue ab ipſo ſimul cũ cauſis ſecũdis, quàm quia Deus immediatè cognoſcit, & vult volũtate cõſequẽti illud actu eſſe: (neque enim Deus aliter agit quã intellectu & volũtate, vt aliàs dictũ eſt) atqui Deus iſto modo *Secũdo ratione confirmatur.*

ſe habet etiam reſpectu eorũ quæ nunc fiunt interuentu cauſarum ſecundarum, cùm illa ſint entia, & vera, & bona, proindeque nõ minus immediatè ab ipſo cognita & volita, quàm ea quæ ab ipſo ſolo in principio mundi creata ſunt.

Obiectio.

Verùm obiicies. Si Deus immediatè producit aliquem effectum ſimul cum cauſa ſecũda, vel id facit per eandẽ actionem cauſæ ſecundę, vel per diſtinctam: per eandem dici nõ poteſt, cùm non ſit eadem virtus Dei, & creaturæ; neque etiã per diſtinctam: aut enim vtraque actio ſimul attingit totũ effectum, vel vna poſt aliã; non poteſt dici quod ſimul, ſic enim vna eſſet ſuperuacanea; neque etiã quod priùs vna quã alia, ſic enim iſta alia nihil planè produceret.

Solutio.

Reſpõdetur Deũ nõ per eandẽ actionem qua creatura, ſed per aliã formaliter diſtinctã, eandẽ tamẽ realiter, ſi de actione Dei tranſeunte ſermo ſit, producere eumdem effectũ: licèt enim actio Dei trãſiens nil aliud ſit, quã effectus ipſe vt à Deo procedẽs, ſeu vt exiſtit vi diuinæ potẽtię, quę eſt Dei intellectus & volũtas; vt aliàs docuimus, vbi de potentia Dei ſub finẽ primi tractatus huius partis: formali tamẽ ratione diſtĩguitur ab operatione trãſeũte creaturæ, quæ eſt ipſe etiã effect⁹ vt à creatura procedẽs.

Conſectarium.

Dicendũ igitur eſt vtrãque actionẽ ſimul attingere totũ effectum, ſubordinatè tamen, eo quod actio cauſæ ſecũdæ ſubordinetur actioni cauſę primæ; ex quo intelligis neutrã eſſe ſuperuacaneã: ſicut etiã dici poteſt quod actio cauſę vniuerſalis, nempè cæli, attingit totum effectum

ſimul

ſimul cũ actione cauſæ particularis, v.g. huius hominis, neque tamẽ alterutra eẽſetur ſuperuacanea, quia nẽpè vna alteri ſubordinatur.

An Deus ſit cauſa exẽplaris rerum omniũ.

QVÆST IO III.

De cauſa exemplari ſeu ideali in genere dictum eſt in 1.par.Phyſ.tract.2.d.1.q.3. de Ideis etiam diuinis quæ ſunt in Deo, quatenus eſt cauſa exẽplaris rerum omniũ dictũ eſt in 1.tract.huius part. diſ.12.q.1.& 2. Ex quibus facile eſt intelligere, Deum ipſum per ſuã eſſentiam & ſapientiam, eſſe cauſam idealem & exemplarem rerum omnium, quas ipſe facit, vt docet D.Thom. hîc quæſt.44.art 3. cõfirmaturque hac ipſius Diu. Thomæ ratione; Illud cenſetur exemplar, ſeu cauſa exemplaris ad quam reſpiciens artifex determinatam formam producit in materia: atqui eſſentia Dei ſeu ipſa Dei ſapientia eſt id ad quod reſpiciẽs Deus rerum omnium formas, ſeu naturas & eſſentias producit, ex quarum diſtinctione totius vniuerſi ordo effloreſcit: Ergo ipſa Dei eſſentia, ſeu ipſius ſapientia eſt idea, ſeu exemplar rerum omnium: cumque Deus ſit ſua ipſius eſſentia & ſapientia, non immeritò ipſemet dicitur cauſa idealis ſeu exemplaris rerũ omnium. Adde quod cùm eſſentia diuina ſit ſimpliciter infinita, ipſa per ſe ſola ſufficiens eſt, ad repræſentandam vnamquamque rem producendam, ſecundùm quandam ſimilitudinem analogam: at hoc nil aliud eſt quã eſſe cauſam idealem ſeu exemplarẽ rerũ omniũ.

Ratio D. Thom.

Digitized by Google

Platonis opinio circa Ideas ſeparatas. exploditur Sicque exploditur vetus Platonis figmentum, qui primas omnium rerum ideas, ſeu cauſas exemplares extra Deum, tamquam ab ipſius eſſentia diſtinctas collocabat, à quibus Deus ipſe in procreandis rebus non ſecus ac à materia dependeret. Aduerſus autem eiuſmodi ideas Platonicas, fuſè diſputat Ariſtoteles 1. Ethic. cap. 6. & 7. Metaph. cap. 6. vt dictum eſt in prima parte Dialect. tract. 2. diſp. 1. quæſt. 1. & etiam ſancti Patres, vt Iuſtinus oratione Paneretica ad Gentes, Auguſt. l. 83. quæſtionum q, 46. & Gregorius Nazian. oratione 2. de Theologia.

Nota. Porrò obiter aduerte ex D. Th. hîc quod licèt ſecundùm rem, ſit vnica Idea rerũ omnium in Deo, quæ eſt ipſa eius eſſentia, prout ipſius ſimilitudo à diuerſis participari poteſt diuerſimodè, ratione tamen ſunt plures, ſecundùm diuerſos reſpectus ipſius eſſentiæ diuinæ, ad res diuerſas, vt aliàs oſtenſum eſt, loco citato, 1. tract. huius partis.

An Deus ſit cauſa finalis rerum omnium.

QVÆSTIO IV.

Aſſertio fidei. ID non fide tantùm, ſed etiam ratione certũ eſſe conſtat apud omnes; qui Deum ſummum eſſe bonum agnouerunt, vt etiam aliàs docuimus 1. par. Ethicæ tract. 1. d. 2. q. 3. confir-*Probatur authoritate.* maturque primò authoritate Prouerbior. 16. *Vniuerſa propter ſemetipſum operatus eſt Dominus.*

Digitized by Google

Secundò ratione hac D.Tho. hîc quæſt.44. art.4 quia idem eſt finis agentis & patientis: At finis quem prætendit ſupremum agens, nempe Deus, producendo ſeu efficiendo omnia, non eſt aliquid de nouo acquirere, ſed illis communicare ſuam ipſius bonitatem, quę eſt ipſe Deus. Ergo etiam eadem Dei bonitas, ſeu ipſe Deus, quatenus per illam bonitatis communicationem ab omnibus creaturis participari poteſt, erit finis ſeu cauſa finalis rerum omnium. Adde id cenſeri rerum omnium finem, quod omnia pro ſuo captu appetunt: Atqui eiuſmodi eſt ſummum bonum quod eſt Deus, vt oſtenſum eſt 1. par. Ethi. tract 1. diſp. 1. *Ratione cōfirmatur*

Porrò diligenter hîc obſeruādum eſt, quod licèt Deus verè dici poſſit agere, ſeu operari propter ſuam bonitatem tanquam propter motiuum (noſtro concipiendi modo) ſuæ operationis; non tamen tanquam propter finem ſui, vel ſuæ operationis præſertim immanentis: ſed tantùm tanquam propter finem rerū ipſarū productarū, aut ipſius operationis tranſeuntis, quatenus eſt aliquid creatū & in ipſa creatura. Sicque dici poteſt Deus agere propter finem; vt ipſum non temerè & inconſultò, ſed ratione & conſilio agere intelligamus; præſertim cùm ipſa eius bonitas ſit finis rerum omnium quæ Deus efficit, & ipſe propter ſuam ipſius bonitatem operetur: non tamen dicitur agere propter finem ſui aut ſuę operationis internæ, cùm neque ipſe, neque ipſius operatio immanens rectè *Notandū*

Digitized by Google

dici poſſit ordinari in ipſam eius bonitatem.

Notandū. Aduerte tamen quod, quia cùm vulgo dicitur aliquid agere propter finem, intelligitur agere propter finem ſui aut ſuæ operationis; idcircò modus iſte loquendi vix eſt vſurpandus, quo dicatur Deus operari propter finem, licèt rectè dicatur operari propter ſemeipſum, aut propter ſuam ipſius bonitatem. Huc etiam ſpectant nonnulla quæ dicta ſunt in 1. tract. huius partis diſ.13. quæſt. 4. & 5. vbi explicatur quomodo Deus poſſit velle vnum propter aliud.

SECVNDA DISPVTATIO.

DE PRIMA PRODVCTIONE CREATVRARVM.

Etsi conſtet ex 2. quæſt. præcedentis diſputationis, quamlibet cuiuſlibet entis productionem eſſe à Deo tanquam à cauſa prima & immediata. Diſputatio tamen hæc maximè inſtituitur de creaturarum productione quę propriè appellatur creatio qua Deus initio temporum omnia ex nihilo condidit; quo loco non mediocriter iuuabit ea repetere quæ de mundi creatione dicta ſunt in 2. parte Phyſ. tract. 1. diſp. 1.

Digitized by Google

An prima rerum productio ſit creatio.

QVÆSTIO I.

SVPPONENDVM eſt imprimis quod dictum eſt loco citato Phyſ.q.4. creationem propriè dictã neque eſſe generationem, neq; emanationẽ naturalẽ; ſed liberã rei cuiuſlibet ex nihilo, id eſt, ex nulla re ſubiecta ſeu materia productionẽ. Loquor autem hîc de creatione propriè dicta: nam creatio in ſacris litteris nonnumquam latè ac impropriè accipitur pro quacumque rei productione, vt cùm Eccleſ.24. Sapientia genita de ſe dicit: *Ab initio & ante ſæcula creata ſum.* *Supponendũ primò.* *Creatio propriè quid ſit.*

Secundò notandũ eſt, creationẽ propriè ſeu ſtrictè ſumptã accipi poſſe actiuè aut paſſiuè; & quidẽ actiuè ſumptã eſſe duplicẽ, nẽpe immanentem, & tranſeuntẽ: Creatio immanens nihil eſt aliud quã ipſa æterna intellectio & volitio Dei, qua ab æterno decreuit res omnes initio temporũ ex nihilo procreare; tranſiens verò, eſt ipſe effectus creatus vt à Deo procedit, ſeu ipſa creatura vt à Deo procedens; & licèt eiuſmodi creatio ſit in ipſa creatura, nõ tamen ſpectatur vt in creatura, ſed vt aliquid à Deo exiſtẽs. Denique creatio paſſiuè ſumpta, nil aliud eſt quã relatio depẽdentię, quã habet creatura ad Deũ, vt effectus ad causã in fieri; nõ verò paſſio propriè dicta, quæ nequit eſſe abſque aliquo motu qui fiat in ſubiecto pręiacẽte. Quę quidẽ relatio cũ ex cõmuni conſenſu ſit realis, vt potè quæ reali fundamento innitatur, ſicque inter reales terminos & *Notandũ ſecundò.*

Digitized by Google

realiter diſtinctos verſetur, an ſit tranſcendentalis, vt putat Scotus, an verò categorica vt contendit Caietanus, parum intereſt; nos ſanè tranſcendentalē eſſe probabiliùs arbitramur; cùm de intrinſeca ratione creaturę eſſe videatur eiuſmodi reali habitudine dependentię ad Deum referri. Adde relationes non mutuas cuiuſmodi eſt hæc iuxta Ariſtotelis mentem non eſſe categoricas, vt aliàs monuimus primæ part. Dialecticæ tract. 3. diſp. 2. ſect. 4. quæſt. 5.

Notandū tertio. Tertiò notandum eſt creationem propriè dictam, vt hìc ſumitur, eſſe actionem Dei trāſeuntem, quę realiter eadem eſt cùm rebus creatis, non cum ipſo Creatore: ſicque nihil verum ac reale per huiuſmodi actionem Deo accidere, ſed tantùm extrinſecam denominationem, eamque veram; vt potè ſecundùm quam verè dicitur Creator, cùm ante talis denominari non potuerit, niſi fortaſſis valdè impropriè ſecundùm actionem immanentem intellectus ac voluntatis, ſecundùm quā dici poſſet Deus Creator ab æterno: ſed valde impropriè, inquam, cùm vocabulum iſtud (creationis) ex communi acceptione actionem tranſeuntem ac temporalem ſignificet.

Notandū quarto. Quarto, vt clarius intelligatur, quomodo Deus omnia ex nihilo creare potuerit. Notādum eſt quod etiam aliàs dictum eſt loco citato Phyſ, quo agens eſt perfectius, eò paucioribus indigere, ac minus à materia ſubiecta dependere vt operetur. Vnde exiſtit inſignę

diſcrimen inter agens artificiale, naturale, & ſupernaturale, quod ibidem explicatum eſt. Denique notandum eſt res omnes productas eſſe à Deo per creationem, poſſe dupliciter intelligi; vno modo, ita vt nulla res ſit, quam ſecundùm ſe totam Deus nõ creauerit; altero modo, itaut nulla res ſit, quam vel ſecundùm ſe totam, vel ſecundùm aliquid ſui, puta ſecundùm materiam primam Deus non produxerit ex nihilo. *Notandũ quinto.*

His poſitis. Cùm conſtet non omnia producta eſſe, aut produci ex nihilo, ſeu creari à Deo in priori ſenſu (nam de primo homine legimus, quod Deus de limo terræ ipſum formauerit; item quod ex aquarum ſubſtantia tum piſces, cùm volucres produxerit, & quotidie cum cauſis ſecundis producit res ex ſubiecto præiacente) in poſteriori ſenſu aſſerimus omnia à Deo ex nihilo primùm eſſe procreata; ſicque primam rerum productionem eſſe creationem: quo ſpectat illud D. Auguſt. lib. 1. de Geneſ. contra Maniche. c. 6. *Ideo Deus rectiſſimè creditur omnia de nihilo feciſſe, quia etſi omnia de iſta materia facta ſunt, hæc ipſa tamen materia de omnino nihil facta eſt.* Vbi nota, ſubſtantias ſpirituales ſecundùm ſe totas ex nihilo fuiſſe productas à Deo: Itẽque præcipuas mundi partes nẽpè cœlos ſaltem aliquos, & quatuor elementa, quamuis quatuor elementa à principio ſui ortus non fuerint prorſus diſtincta; ſicque dici poteſt quod mundus ſaltem in eſſe imperfecto ex nihilo productus fuerit etiã in priori sẽſu. Quod verò ſpectat ad *Explicatio & dilucidatio quæ.* *Nota.*

res cæteras corruptibiles,&ſubſtantias mixtas non fuerunt ex nihilo productæ ſecundùm ſe totas, ſed tantùm ſecundùm aliquam ſui partem, nempe materiam, quam Deus paulo ante ex nihilo produxerat.

Confirmatur authoritate.

Quod igitur Deus per creationem propriè dictam omnia produxerit, probatur primùm authoritate ſacræ Scripturæ Pſal. 31. *Quoniam ipſe dixit, & facta ſunt, ipſe mandauit & creata ſunt.* Iſay. 41. *Ecce vos eſtis ex nihilo, & opus veſtrum ex eo quod non eſt.* 2. Machab. 7. *Peto nate & aſpicias ad cœlum, & terram, & ad omnia, quæ in eis ſunt; vt intelligas quia ex nihilo fecit illa Deus, & hominũ genus.* ad Rom. 4, *Qui vocat ea quæ non ſunt, tanquam ea quæ ſunt.* Secundò ratione probatur, Deum potuiſſe producere res ex nihilo.

Confirmatur ratione

Si Deus res omnes primò produxiſſet aliquo præſuppoſito ſubiecto quod ipſe nō potuiſſet producere, eſſet aliquid non producibile à Deo: Atqui nihil eſſe poteſt quod non ſit à Deo producibile, cùm Deus ſit prima & vniuerſalis cauſa totius entis finiti, vt dictum eſt diſp. præcedenti quæſt. 1. Quare cùm materia prima in latitudine entis cōtineatur, ipſa etiam eſt à Deo producibilis; ſicque ex eo neceſſario concluditur Deum potuiſſe omnia ex nihilo procreare. Quod verò actu omnia ex nihilo produxerit, ſacræ litteræ apertè ſatis teſtantur locis ſuprà citatis; Poſſent etiam adduci quædam rationes quibus id probabiliter effici poteſt, vt ſunt eæ quas in medium adduximus loco citato noſtræ Phyſicæ, vt

Digitized by Google

probaremus mundum ex nihilo productum fuiſſe.

An potuerit Deus omnia creare ab æterno. QVÆSTIO II.

FIDEI quidem articulus eſt, Deum omnia produxiſſe in tempore, ſeu in initio temporis, vt habetur Geneſ. 1. & aliis ſacræ Scripturæ teſtimoniis confirmatur: vt Prouerbiorum 8. *Dominus poßidet me in initio viarum ſuarum, antequam quidquam faceret*: Et Ioan. 17. *Clarifica me claritate quam habui apud temetipſum, priuſquã mundus fieret.* De quo lege Diuum Thomam hîc quæſt. 46. art. 2. & 3. & quæ diximus ſecunda parte Phyſicæ, tract. 1. q. 2. *Creatio eſt de fide.*

Verùm quæſtio eſt, num repugnet aliquid ab æterno creari, exempli gratia, An mundus fieri potuerit ab æterno. Cui dubitationi ſatisfactũ eſt loco citato Phyſicæ, vbi oſtenſum eſt, nullo modo repugnare mundum eſſe ab æterno, ſeu creari ab æterno. Ad cuius aſſertionis maiorẽ intelligentiam, notandum eſt hoc loco, aliquid à Deo produci ſeu creari poſſe dupliciter: primo modo cum nouitate eſſendi, vt loquuntur, itavt id quod creari dicitur, verè antea non fuerit; ſecundò modo ſine nouitate eſſendi, itavt res quæ creari dicitur nunquam non fuerit, ſed illam Deus ab æterno eſſe voluerit. Non poteſt igitur aliquid ab æterno creatum eſſe priori modo, poſteriori verò modo non repugnare, oſtenſum eſt in Phyſicis. *Senſus quæſt. aperitur.* *Notãdum.*

Neque eſt quod dicas inde ſequi creaturam *Occurritur obiectioni.*

Digitized by Google

fore Deo coæternam, ſeu Deo æqualem in æternitate: licèt enim eiuſmodi creatura verè diceretur æterna ſaltem à parte ante, non ſecus ac ipſe Deus; quia tamen Deus eſſet æternus æternitate immutabili tota ſimul ac propriè dicta, creatura verò æternitate mutabili, non tota ſimul, ac proindè æternitate impropriè dicta: idcircò non diceretur creatura Deo æqualis in æternitate, preſertim cùm ipſa eius æternitas ab æternitate Dei depēderet, vt rectè monet S. Doctor hìc q. 46. art. 2. ad 5. & etiam facilè colligi poteſt ex iis quæ dicta ſunt ſexta diſputatione primi tractatus huius partis De Æternitate Dei.

Ex hoc autem intelligere eſt, quod docet S. Thom. loco citato, nouitatem mundi ſola fide certò teneri, ratione verò nequaquam demōſtrari poſſe: licèt probabilibus quibuſdam argumentis coniici poſſit, quæ habentur loco citato Phyſicæ quæſt. 2.

Obiectio. Verùm aduerſus hāc noſtrā aſſertionē, qua aſſerimus, nihil repugnare creaturā eſſe ab æterno; obiicies omnes antiquos Patres Eccleſię, vt Athanaſ. Nazianz. Baſil. & alios, ex eo probare aduerſus Arianos Verbū diuinū non eſſe creaturā, ac proindè eſſe Deū, quia non eſt aliquid creatū, ſed ab æterno, vt ex ſacris litteris demōſtrabāt: quod quidem argumētū nullius foret momēti, ſi aliquid creatū poſſet eſſe ſēpiternū; reſpōdiſſent enim Ariani, Verbū non propterea deſinere eſſe creaturā, etſi nūquam non extitiſſet, eo quòd nil repugnet aliquid creatū eſſe ab æterno. Verū reſpondemus pri-

Solutio prima.

mò, ſanctos Patres egiſſe aduerſus Arianos tũ ex ſuppoſitione fidei, cùm etiam ex conceſſis: cùm enim certũ ſit in fide, nullã creaturã eſſe actu ab æterno, & id etiam vltrò concederent Ariani; optimè inferebant iuxta veritatem ſacrarũ Scripturarũ, Verbũ diuinũ nõ eſſe creaturam, quia actu erat ab æterno. Secundò reſpondetur, idcircò Sanctos Patres iſtud tanquam impoſſibile repudiaſſe; non quòd omnino impoſſibile ſecundùm extraordinariam & abſolutam Dei potentiam eſſe iudicarent: ſed quòd parum congruum & conueniẽs eſſe arbitrarentur, aliquam creaturam eſſe Deo coæuam ſeu coæternam. Secundò aduerſus id, quod diximus, non poſſe euidenti ratione demonſtrari mũdũ non eſſe ab æterno obiicies, hũc in modũ poſſe neceſſario concludi. Si mũdus eſſet ab æterno, fuiſſet etiã ab æterno geniti homines numero infiniti, quorũ cũ animę remaneãt ſuperſtites; neceſſariò inde concluditur nũc fore infinitũ actu categorematicum, nẽpè infinitũ numerũ animarũ; quod impoſſibile eſſe aliàs oſtenſum eſt, in prima parte Phyſicę, vbi de Infinito. Reſpondeo hoc quidẽ, & aliis id genus argumẽtis, neceſſariò concludi mundũ non poſſe eſſe ab æterno, quoad partes corruptibiles, ſi in ſuo naturali ſtatu relinquantur, quod vltrò admiſimus in Phyſica: non tamen inde ſequitur mundum non poſſe eſſe ab æterno, ſecundùm partes eius permanentes, & etiam corruptibiles, modò ſine vllo motu per totam retroactam æternitatem conſeruentur.

Secunda.

Alia obiectio.

Solutio.

An ſolius Dei proprium ſit creare.
QVÆSTIO III.

Senſus quæſtionis aperitur.

SENSVS propoſitæ quæſtionis eſt: An ita ſit Dei proprium creare, ſeu aliquid ex nihilo producere, vt nunquam id vllo modo, etiam per potentiam Dei abſolutam, vlli creaturæ poſſit competere. Cui difficultati propoſitionibus ſequentibus ſatisfiet.

Prima propoſitio.

Prima propoſitio. Nulla creatura de potentia Dei ordinaria poteſt aliquid creare, & in hoc conueniunt omnes Theologi. Probatur id primùm authoritate diuinarũ Scripturarum, quæ paſſim Deum ſolum Creatorem eſſe innuunt; & etiam ſanctorum Patrum, qui vno conſenſu idem aſſerunt. Secũdò ratione, quia id de potentia Dei ordinaria fieri non poteſt, quod actu nunquam fit, alioqui fruſtrà eſſet eiuſmodi potentia in rerum omnium natura: Atqui nunquam fit, vt agens creatum, aliquid ex nihilo procreet. Ergo de potentia Dei ordinaria, id nequaquam ab agente naturali præſtari poteſt. Adde rationem hanc diui Thomæ hîc quæſt. 45 art. 5. nempè quod effectus vniuerſales reducendi ſunt in cauſas vniuerſales; ſicut particulares effectus in particulares càuſas, ex ſecundi Phyſicorum textu 37: ſed eſſe rei totum quod producitur in creatione nullo præſuppoſito ſubiecto, eſt vniuerſaliſſimus effectus. Ergo in cauſam vniuerſaliſſimam quæ eſt ſolus Deus reducendus eſt.

Probatur authoritate. *Ratione confirmatur, Primò.* *Secundò.*

Secunda propoſitio.

Secunda propoſitio, quam tanquam proba-

biliorem, non verò prorſus tanquam indubitatã amplectimur eſt. Nulla creatura, etiam de potentia Dei abſoluta, poteſt tanquam principalis cauſa aliquid creare. Principalem cauſam alicuius effectus hîc appello, quæ ſecundùm virtutem in ipſa exiſtentem, poteſt eiuſmodi effectum attingere cum ſolo concurſu vniuerſalis cauſę eiuſmodi virtuti ſeu potentię proportionato. Probatur primùm authoritate ſacrarum Scripturarum, quę locis ſupra citatis qu. 1. huius diſputationis, præſertim 2. Machabeorum 7. & aliis, vt Deuteronomii 32. & Hierem. 32. non obſcurè videntur innuere ſolum Deum abſolutè loquendo poſſe creare. Accedit etiam communis ſanctorum Patrum conſenſus, qui ſoli Deo creare aliquid poſſe tribuunt, cenſentque maius eſſe illud opus, quàm ab vlla creatura quantumuis excellenti præſtari poſſit. Secundò ratione probatur: quia (vt inquit S. Thom. loco citato art. 5. ad ſecundum, & tertium) tanto maior virtus cauſæ efficientis ad educendum aliquem effectum ex potentia paſſiua deſideratur, quantò magis eiuſmodi potentia impeditur ac remouetur ab effectu. Ergo ad educendum effectum ex nulla penitùs potentia, nempè ex nihilo, virtus requiritur ſine vlla proportione maior, quam ad educendum ex aliqua potentia; atque adeò ad id requiritur virtus ſimpliciter infinita: nulla enim eſt proportio nullius potentiæ ad aliquam potentiam, quam prĉſupponit virtus agentis naturalis; ſicut etiam nulla eſt non entis ad ens: quare, cùm nulla creatura poſſit ha-

Probatur auctoritate

Ratione confirmatur.

bere potentiam ſimpliciter infinitá, ſicut nec eſſe infinitum; ſequitur quod nulla creatura poſſit creare. Verùm, vt ingenue fatear, ratio hæc non neceſſariò conuincit, ſicut nec aliæ, quæ ad probandam hanc noſtram propoſitionem in medium adduci poſſent. Reſponderi enim poſſet potentiam, ſeu virtutem actiuam ex nihilo quam Deus alicui creaturæ concederet, fore alterius ordinis, quam nunc ſit potentia ſeu virtus actiua ex aliquo; ſicque fore ſine vlla proportione maiorem, non quòd foret actiuitate infinita, ſed quod foret ordine diuerſa: neque enim neceſſe eſt, vt id quod eſt alterius ordinis ab aliquo alio, licèt ſit finitum, habeat aliquam in agendo proportionem cum ipſo; ſicut nec linea finita vllam habet in ratione quantitatis cum puncto proportionem: quia tamen difficile eſt imaginari, aut etiam ratione complecti, creaturam poſſe de nihilo aliquid facere, idcircò omnes ſancti Patres vt Athanaſ. Cyrillus Alexandrinus, Baſilius, Auguſt. &c. docuerunt hoc opus ita eſſe Dei proprium, vt nullo modo creaturæ poſſit competere; imò etiam ex eo probant filium Dei eſſe verum Deum, quia per ipſum omnia ex nihilo procreata ſunt: ideoque hanc ſententiam tanquam probabiliorem amplectimur, nempe repugnare quod creatura aliqua ex nihilo aliquid poſſit creare tanquam principalis cauſa; licèt rationem huius repugnantiæ nondum planè compertam habeamus.

Tertia propoſitio. Tertia propoſitio. Creatura non poteſt ali-

quid producere ex nihilo, tanquam cauſa inſtrumentalis maximè propriè dicta, nempè quæ ſit ſecundùm ſe actiua. Vbi nota cauſam inſtrumentalem maximè propriè dictam appellari, quæ cùm non poſſit ſua vi attingere effectum cauſæ principalis, ad eum concurrit præuiè quidpiam per virtutem ſuam operando; vt optimè notat hîc Diuus Thomas loco citato. Quod igitur repugnet, aliquam eſſe cauſam eiuſmodi inſtrumentalem cuiuſpiam rei ex nihilo producendæ, patet ex ipſa formali ratione eiuſmodi cauſæ inſtrumentalis: eſt enim de ratione cauſæ inſtrumentalis maximè propriè dictæ, vt non concurrat ad effectum cauſæ principalis, niſi per aliquid ſibi proprium diſpoſitiuè operetur ad eiuſmodi effectum, vt patet in ſerra, quę dum concurrit ad producendum ſcamnum, ipſa per virtutem propriam ſecat lignum: at nihil poteſt diſpoſitiuè operari in non ſubiecto, ſeu in nihilo, cùm operari diſpoſitiuè nihil aliud ſit, quàm diſponere ſubiectum ad recipiendum effectum cauſæ principalis. *Nota.* *Ratione probatur.*

Quarta propoſitio. Nihil videtur repugnare de potentia Dei abſoluta, creaturam aliquam tanquam cauſam inſtrumentalem, ſecundum ſe paſſiuam, per ſolam virtutem principalis agentis participatam concurrere ad aliquid creandum. Neq. enim videtur eſſe de ratione cauſæ inſtrumentalis abſolutè loquẽdo; vt pręuiè operetur ſecundùm aliquid ſibi proprium; ſed ſatis eſt, vt agat ſaltem virtute influxa, *Quarta propoſitio.*

Digitized by Google

realiter diſtinctos verſetur, an ſit tranſcendentalis, vt putat Scotus, an verò categorica vt contendit Caietanus, parum intereſt; nos ſanè tranſcendentalē eſſe probabiliùs arbitramur; cùm de intrinſeca ratione creaturę eſſe videatur eiuſmodi reali habitudine dependentię ad Deum referri. Adde relationes non mutuas cuiuſmodi eſt hæc iuxta Ariſtotelis mentem non eſſe categoricas, vt aliàs monuimus primæ part. Dialecticæ tract. 3. diſp. 2. ſect. 4. quæſt. 5.

Notandū tertio. Tertiò notandum eſt creationem propriè dictam, vt hîc ſumitur, eſſe actionem Dei tráſeuntem, quę realiter eadem eſt cùm rebus creatis, non cum ipſo Creatore: ſicque nihil verum ac reale per huiuſmodi actionem Deo accidere, ſed tantùm extrinſecam denominationem, eamque veram; vt potè ſecundùm quam verè dicitur Creator, cùm ante talis denominari non potuerit, niſi fortaſſis valdè impropriè ſecundùm actionem immanentem intellectus ac voluntatis, ſecundùm quā dici poſſet Deus Creator ab æterno: ſed valde impropriè, inquam, cùm vocabulum iſtud (creationis) ex communi acceptione actionem tranſeuntem ac temporalem ſignificet.

Notandū quarto. Quarto, vt clarius intelligatur, quomodo Deus omnia ex nihilo creare potuerit. Notādum eſt quod etiam aliàs dictum eſt loco citato Phyſ, quo agens eſt perfectius, eò paucioribus indigere, ac minus à materia ſubiecta dependere vt operetur. Vnde exiſtit inſignę

diſcrimen inter agens artificiale, naturale, & ſupernaturale, quod ibidem explicatum eſt. *Notandū quinto.* Denique notandum eſt res omnes productas eſſe à Deo per creationem, poſſe dupliciter intelligi; vno modo, ita vt nulla res ſit, quam ſecundùm ſe totam Deus nō creauerit; altero modo, itaut nulla res ſit, quam vel ſecundùm ſe totam, vel ſecundùm aliquid ſui, puta ſecundùm materiam primam Deus non produxerit ex nihilo.

His poſitis. Cùm conſtet non omnia producta eſſe, aut produci ex nihilo, ſeu creari à Deo in priori ſenſu (nam de primo homine legimus, quod Deus de limo terræ ipſum formauerit; item quod ex aquarum ſubſtantia tum piſces, cùm volucres produxerit, & quotidie cum cauſis ſecundis producit res ex ſubiecto præiacente) in poſteriori ſenſu aſſerimus omnia à Deo ex nihilo primùm eſſe procreata; ſicque primam rerum productionem eſſe creationem: quo ſpectat illud D. Auguſt. lib. 1. de Geneſ. contra Maniche. c. 6. *Ideo Deus rectiſſimè creditur omnia de nihilo feciſſe, quia etſi omnia de iſta materia facta ſunt, hæc ipſa tamen materia de omnino nihil facta eſt.* Vbi nota, ſubſtantias ſpirituales ſecundùm ſe totas ex nihilo fuiſſe productas à Deo: Itēque præcipuas mundi partes nēpè cœlos ſaltem aliquos, & quatuor elementa, quamuis quatuor elementa à principio ſui ortus non fuerint prorſus diſtincta; ſicque dici poteſt quod mundus ſaltem in eſſe imperfecto ex nihilo productus fuerit etiā in priori sēſu. Quod verò ſpectat ad

Explicatio & dilucidatio quæ. *Nota.*

res cæteras corruptibiles, & ſubſtantias mixtas non fuerunt ex nihilo productæ ſecundùm ſe totas, ſed tantùm ſecundùm aliquam ſui partem, nempe materiam, quam Deus paulo ante ex nihilo produxerat.

Confirmatur authoritate. Quod igitur Deus per creationem propriè dictam omnia produxerit, probatur primùm authoritate ſacræ Scripturæ Pſal. 31. *Quoniam ipſe dixit, & facta ſunt, ipſe mandauit & creata ſunt.* Iſay. 41. *Ecce vos eſtis ex nihilo, & opus veſtrum ex eo quod non eſt.* 2. Machab. 7. *Peto nate & aſpicias ad cœlum, & terram, & ad omnia, quæ in eis ſunt; vt intelligas quia ex nihilo fecit illa Deus, & hominũ genus.* ad Rom. 4, *Qui vocat ea quæ non ſunt, tanquam ea quæ ſunt.* Secundò ratione probatur, *Confirmatur ratione* Deum potuiſſe producere res ex nihilo. Si Deus res omnes primò produxiſſet aliquo præſuppoſito ſubiecto quod ipſe nõ potuiſſet producere, eſſet aliquid non producibile à Deo: Atqui nihil eſſe poteſt quod non ſit à Deo producibile, cùm Deus ſit prima & vniuerſalis cauſa totius entis finiti, vt dictum eſt diſp. præcedenti quæſt. 1. Quare cùm materia prima in latitudine entis cõtineatur, ipſa etiam eſt à Deo producibilis; ſicque ex eo neceſſario concluditur Deum potuiſſe omnia ex nihilo procreare. Quod verò actu omnia ex nihilo produxerit, ſacræ litteræ apertè ſatis teſtantur locis ſuprà citatis; Poſſent etiam adduci quædam rationes quibus id probabiliter effici poteſt, vt ſunt eæ quas in medium adduximus loco citato noſtræ Phyſicæ, vt

probaremus mundum ex nihilo productum fuiſſe.

An potuerit Deus omnia creare ab æterno. QVÆSTIO II.

FIDEI quidem articulus eſt, Deum omnia produxiſſe in tempore, ſeu in initio temporis, vt habetur Geneſ. 1. & aliis ſacræ Scripturæ teſtimoniis confirmatur: vt Prouerbiorum 8. *Dominus poßidet me in initio viarum ſuarum, antequam quidquam faceret*: Et Ioan. 17. *Clarifica me claritate quam habui apud temetipſum, priuſquã mundus fieret*. De quo lege Diuum Thomam hîc quæſt. 46. art. 2. & 3. & quæ diximus ſecunda parte Phyſicæ, tract. 1. q. 2. *Creatio eſt de fide.*

Verùm quæſtio eſt, num repugnet aliquid ab æterno creari, exempli gratia, An mundus fieri potuerit ab æterno. Cui dubitationi ſatisfactũ eſt loco citato Phyſicæ, vbi oſtenſum eſt, nullo modo repugnare mundum eſſe ab æterno, ſeu creari ab æterno. Ad cuius aſſertionis maiorẽ intelligentiam, notandum eſt hoc loco, aliquid à Deo produci ſeu creari poſſe dupliciter: primo modo cum nouitate eſſendi, vt loquuntur, ita vt id quod creari dicitur, verè antea non fuerit; ſecundò modo ſine nouitate eſſendi, ita vt res quæ creari dicitur nunquam non fuerit, ſed illam Deus ab æterno eſſe voluerit. Non poteſt igitur aliquid ab æterno creatum eſſe priori modo, poſteriori verò modo non repugnare, oſtenſum eſt in Phyſicis. *Senſus quæſt. aperitur.* *Notãdum.*

Neque eſt quod dicas inde ſequi creaturam *Occurritur obiectioni.*

fore Deo coæternam, ſeu Deo æqualem in æternitate: licèt enim eiuſmodi creatura verè diceretur æterna ſaltem à parte ante, non ſecus ac ipſe Deus; quia tamen Deus eſſet æternus æternitate immutabili tota ſimul ac propriè dicta, creatura verò æternitate mutabili, non tota ſimul, ac proindè æternitate impropriè dicta: idcircò non diceretur creatura Deo æqualis in æternitate, prẹſertim cùm ipſa eius æternitas ab æternitate Dei depẽderet, vt rectè monet S. Doctor hîc q. 46. art. 2. ad 5. & etiam facilè colligi poteſt ex iis quæ dicta ſunt ſexta diſputatione primi tractatus huius partis De Æternitate Dei.

Ex hoc autem intelligere eſt, quod docet S. Thom. loco citato, nouitatem mundi ſola fide certò teneri, ratione verò nequaquam demõſtrari poſſe: licèt probabilibus quibuſdam argumentis coniici poſſit, quæ habentur loco citato Phyſicæ quæſt. 2.

Obiectio. Verùm aduerſus hãc noſtrã aſſertionẽ, qua aſſerimus, nihil repugnare creaturã eſſe ab æterno; obiicies omnes antiquos Patres Eccleſię, vt Athanaſ. Nazianz. Baſil. & alios, ex eo probare aduerſus Arianos Verbũ diuinũ non eſſe creaturã, ac proindè eſſe Deũ, quia non eſt aliquid creatũ, ſed ab æterno, vt ex ſacris litteris demõſtrabãt: quod quidem argumẽtũ nullius foret momẽti, ſi aliquid creatũ poſſet eſſe sẽpiternũ; reſpõdiſſent enim Ariani, Verbũ non propterea deſinere eſſe creaturã, etſi nũquam non extitiſſet, eo quòd nil repugnet aliquid creatũ eſſe ab æterno. Verũ reſpondemus pri-

Solutio prima.

mò, ſanctos Patres egiſſe aduerſus Arianos tũ ex ſuppoſitione fidei, cùm etiam ex conceſſis: cùm enim certũ ſit in fide, nullã creaturã eſſe actu ab æterno, & id etiam vltrò concederent Ariani; optimè inferebant iuxta veritatem ſacrarũ Scripturarũ, Verbũ diuinũ nõ eſſe creaturam, quia actu erat ab æterno. Secundò reſpondetur, idcircò Sanctos Patres iſtud tanquam impoſſibile repudiaſſe; non quòd omnino impoſſibile ſecundùm extraordinariam & abſolutam Dei potentiam eſſe iudicarent: ſed quòd parum congruum & conueniẽs eſſe arbitrarentur, aliquam creaturam eſſe Deo coæuam ſeu coæternam. Secundò aduerſus id, quod diximus, non poſſe euidenti ratione demonſtrari mũdũ non eſſe ab æterno obiicies, hũc in modũ poſſe neceſſario concludi. Si mũdus eſſet ab æterno, fuiſſet etiã ab æterno geniti homines numero infiniti, quorũ cũ animę remaneãt ſuperſtites; neceſſariò inde concluditur nũc fore infinitũ actu categorematicum, nẽpè infinitũ numerũ animarũ; quod impoſſibile eſſe aliàs oſtenſum eſt, in prima parte Phyſicę, vbi de Infinito. Reſpondeo hoc quidẽ, & aliis idgenus argumẽtis, neceſſariò concludi mundũ non poſſe eſſe ab æterno, quoad partes corruptibiles, ſi in ſuo naturali ſtatu relinquantur, quod vltrò admiſimus in Phyſica: non tamen inde ſequitur mundum non poſſe eſſe ab æterno, ſecundùm partes eius permanentes, & etiam corruptibiles, modò ſine vllo motu per totam retroactam æternitatem conſeruentur.

Secunda.

Alia obiectio.

Solutio.

An ſolius Dei proprium ſit creare.
QVÆSTIO III.

Senſus quæſtionis aperitur.

SENSVS propoſitæ quæſtionis eſt: An ita ſit Dei proprium creare, ſeu aliquid ex nihilo producere, vt nunquam id vllo modo, etiam per potentiam Dei abſolutam, vlli creaturæ poſſit competere. Cui difficultati propoſitionibus ſequentibus ſatisfiet.

Prima propoſitio.

Prima propoſitio. Nulla creatura de potentia Dei ordinaria poteſt aliquid creare, & in hoc conueniunt omnes Theologi. Probatur id primùm authoritate diuinarũ Scripturarum, quæ paſſim Deum ſolum Creatorem eſſe innuunt; & etiam ſanctorum Patrum, qui vno conſenſu idem aſſerunt. Secũdò ratione, quia id de potentia Dei ordinaria fieri non poteſt, quod actu nunquam fit, alioqui fruſtrà eſſet eiuſmodi potentia in rerum omnium natura: Atqui nunquam fit, vt agens creatum, aliquid ex nihilo procreet. Ergo de potentia Dei ordinaria, id nequaquam ab agente naturali præſtari poteſt. Adde rationem hanc diui Thomæ hîc quæſt. 45 art. 5. nempè quod effectus vniuerſales reducendi ſunt in cauſas vniuerſales; ſicut particulares effectus in particulares cauſas, ex ſecundi Phyſicorum textu 37: ſed eſſe rei totum quod producitur in creatione nullo præſuppoſito ſubiecto, eſt vniuerſaliſſimus effectus. Ergo in cauſam vniuerſaliſſimam quæ eſt ſolus Deus reducendus eſt.

Probatur authoritate.

Ratione confirmatur. Primò.

Secundò.

Secunda propoſitio.

Secunda propoſitio, quam tanquam proba-

biliorem, non verò prorſus tanquam indubitatã amplectimur eſt. Nulla creatura, etiam de potentia Dei abſoluta, poteſt tanquam principalis cauſa aliquid creare. Principalem cauſam alicuius effectus hîc appello, quæ ſecundùm virtutem in ipſa exiſtentem, poteſt eiuſmodi effectum attingere cum ſolo concurſu vniuerſalis cauſę eiuſmodi virtuti ſeu potentię proportionato. Probatur primùm authoritate ſacrarum Scripturarum, quę locis ſupra citatis qu. 1. huius diſputationis, præſertim 2. Machabeorum 7. & aliis, vt Deuteronomii 32. & Hierem. 32. non obſcurè videntur innuere ſolum Deum abſolutè loquendo poſſe creare. Accedit etiam communis ſanctorum Patrum conſenſus, qui ſoli Deo creare aliquid poſſe tribuunt, cenſentque maius eſſe illud opus, quàm ab vlla creatura quantumuis excellenti præſtari poſſit. Secundò ratione probatur: quia (vt inquit S. Thom. loco citato art. 5. ad ſecundum, & tertium) tanto maior virtus cauſæ efficientis ad educendum aliquem effectum ex potentia paſſiua deſideratur, quantò magis eiuſmodi potentia impeditur ac remouetur ab effectu. Ergo ad educendum effectum ex nulla penitùs potentia, nempè ex nihilo, virtus requiritur ſine vlla proportione maior, quam ad educendum ex aliqua potentia; atque adeò ad id requiritur virtus ſimpliciter infinita: nulla enim eſt proportio nullius potentiæ ad aliquam potentiam, quam pręſupponit virtus agentis naturalis; ſicut etiam nulla eſt non entis ad ens: quare, cùm nulla creatura poſſit ha-

Probatur auctoritate

Ratione confirmatur.

quid producere ex nihilo, tanquam cauſa inſtrumentalis maximè propriè dicta, nempè quæ ſit ſecundùm ſe actiua. Vbi nota cauſam inſtrumentalem maximè propriè dictam appellari, quæ cùm non poſſit ſua vi attingere effectum cauſæ principalis, ad eum concurrit præuiè quidpiam per virtutem ſuam operando; vt optimè notat hîc Diuus Thomas loco citato. Quod igitur repugnet, aliquam eſſe cauſam eiuſmodi inſtrumentalem cuiuſpiam rei ex nihilo producendæ, patet ex ipſa formali ratione eiuſmodi cauſæ inſtrumentalis: eſt enim de ratione cauſæ inſtrumentalis maximè propriè dictæ, vt non concurrat ad effectum cauſæ principalis, niſi per aliquid ſibi proprium diſpoſitiuè operetur ad eiuſmodi effectum, vt patet in ſerra, quę dum concurrit ad producendum ſcamnum, ipſa per virtutem propriam ſecat lignum: at nihil poteſt diſpoſitiuè operari in non ſubiecto, ſeu in nihilo, cùm operari diſpoſitiuè nihil aliud ſit, quàm diſponere ſubiectum ad recipiendum effectum cauſæ principalis. *Nota.* *Ratione probatur.*

Quarta propoſitio. Nihil videtur repugnare de potentia Dei abſoluta, creaturam aliquam tanquam cauſam inſtrumentalem, ſecundum ſe paſſiuam, per ſolam virtutem principalis agentis participatam concurrere ad aliquid creandum. Neq. enim videtur eſſe de ratione cauſæ inſtrumentalis abſolutè loquẽdo; vt prę-uiè operetur ſecundùm aliquid ſibi proprium; ſed ſatis eſt, vt agat ſaltem virtute influxa, *Quarta propoſitio.*

ſeu participata ipſius principalis agentis : ſic enim ſigillũ nihil videtur præuiè operari ad exprimendam figuram quæ ceræ imprimitur;& cùm quis baculo mouet lapidem , vel fune euehit , baculus & funis ſe habent vt inſtrumenta ſecundùm ſe merè paſſiua , actiua tamen ſecundùm virtutem influxam agentis principalis. Et hæc ſententia eſt Magiſtri ſententiarum libri quarti diſt. 5. & etiam Diui Thomæ ibidem quæſt. 1. art. 3. Probatur verò ratione:tùm quia nulla videtur in hoc includi repugnantia : ergo non eſt illud Deo denegandum:tum quia de facto verba prolata à ſacerdote concurrunt inſtrumentaliter ad conſecrationem Hoſtię, ſeu ad producendum ibi Corpus Chriſti ; ex nulla tamen ſubiecti potentia:etſi enim ibi præexiſtat ſubſtantia panis tanquam materia ex qua ſeu tranſeunte, potiùs velut terminus à quo eiuſmodi conſecrationis,non tamen tanquam materia ex qua inſita & permanente aliquid fiat , & ex cuius potentia Corpus Chriſti educatur;ſicque materia illa præexiſtens nullo modo iuuat virtutem verborum , ſed tantùm tanquàm conditio ex inſtitutoris voluntate prærequiritur.

Ratione probatur. Primò.

Secundò.

An creare ſit proprium omnium diuinarum perſonarum.

QVÆSTIO IV.

CONSTAT quidem creare eſſe proprium omnium diuinarum perſonarum, quatenùs ſunt vnus Deus , ex Geneſ. 1. *Creauit Deus*

cælum

cælum & terram: præſertim cùm ex prædictis conſtet, operationes ad extra toti Trinitati eſſe communes. An verò ſit etiam proprium ſingularum, quatenus ſunt tres perſonę ſecundùm proprietates perſonales diſtinctæ quæri poteſt.

Cui difficultati reſpondetur, ita eſſe, cùm ſacrę litteræ creationem ſingulis perſonis etiam diſtinctè expreſſis tribuant, ſicut & quamlibet aliam actionem ad extra. Ioan. 5. *Pater meus vſque modo operatur, & ego operor.* Et Pſalm. 32. *Verbo Domini cæli firmati ſunt, & ſpiritu oris eius omnis virtus eorum*; quibus in locis tres perſonæ diſtinctę exprimuntur Pater, Verbum, & Spiritus. Confirmatur hac ratione Diui Thomæ hîc q. 5. art. 5. Deus eſt cauſa rerum per ſuum intellectum & voluntatem, ſicut artifex rerum artificiatarum: artifex autem per verbum in intellectu conceptum, & per amorem voluntatis ad aliquid relatum operatur: quare Deus Pater verè dici poteſt operatus creaturam per verbum ſuum repręſentatiuum omnium, quod eſt Filius, & per ſuum amorem qui eſt Spiritus Sanctus; ſicque patet creaturas procedere tùm à Patre, vt gignente Verbum; tùm ab ipſo Verbo, tanquam ab exemplari rerum omnium repræſentatiuo; cùm à Spiritu Sancto, vt eſt vtriuſque Amor quo etiam creaturæ producendę diliguntur. Quoniam igitur ſingulis perſonis quatenùs etiam ſecundùm proprietates perſonales diſtinctæ ſunt, competit opus creationis, hinc fit vt aliter Patri, aliter Filio, aliter Spiritui Sancto apro-

Propoſitæ quæſtioni reſpondetur.

Ratione confirmatur.

prietur, iuxta illud Apoſtoli ad Rom. 11. *Ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia*: nempè ex ipſo Patre, tanquam ex fonte totius diuinitatis; per ipſum Filium, tanquam per exemplar totius entis, & in ipſo Spiritu Sancto, tanquam in amore fœcundiſſimo totius vniuerſitatis.

Duo colliguntur ex ſupradictis Primum.

Porrò ex ſupradictis duo colligere eſt. Primũ colligitur ex eo quod diximus creare eſſe cõmune omnibus perſonis quatenùs ſunt vnus Deus; nempe non tantùm Patrem dici poſſe creare per ſuum Verbum, & Patrem ac Verbum per amorem ſpiratum: ſed etiam verè dici poſſe Deum vnum ac trinum, aut etiam Deum Patrem, ſimiliterque Deum Filium, ſicut & Deum Spiritum Sanctum creare per eſſentialem notitiam & amorem creaturarum.

Secundum

Secundum colligitur ex eo quod diximus creare eſſe proprium ſingularum perſonarum etiam vt diſtinctæ ſunt; nẽpè inde ſequi quòd creaturę Deum repræſentent, non tantùm vt vnum, ſed etiam vt trinum: cùm proprium ſit cuiuſlibet effectus ſuam cauſam aliqua ratione referre. Notandum tamen illud inſigne diſcrimen quod notat S. Thom. hîc qu. 45. art. 7. nempè quod rationales creaturæ Trinitatem repræſentent per modum imaginis, quia nẽpè eam repræſentant non tantùm ſecundùm cõmunem rationem cauſę, ſed ſecundùm formalem rationem ipſius, cùm in ipſis creaturis rationalibus reperiatur verbum conceptum & amor procedens, non ſecus ac in diuinis, licèt longè alio modo: aliæ verò creaturæ rationis

Nota.

expertes illam repræſentent tantùm per modum veſtigii, itaut ſicut aliquis poteſt ſaltem ſubobſcurè dignoſci ex ipſius veſtigio, ita etiã nonnihil ſanctiſſimæ Trinitatis poſſit coniici ex ipſis rebus creatis; quatenus nempe in qualibet creatura nonnulla inueniuntur, quæ reducuntur in diuinas perſonas ſicut in cauſam: quælibet enim creatura tria ſibi vendicat, primùm enim habet quod ſubſiſtat in ſuo eſſe: ſecundò habet formam qua determinatur in ſua ſpecie, tertiò habet ordinem ſecundùm quem rectè diſponitur in hac rerum vniuerſitate. Itaque quoad primum repræſentat Patrem, quoad ſecundum repræſentat Filium, quoad tertium reprǫſentat Spiritum Sanctum; vt rectè explicat Diuus Thomas loco citato. Et ad hæc reducuntur illa tria, numerus, pondus, & menſura, de quibus Sapiens 11. cap. dicit omnia in numero, pondere, & menſura à Deo facta fuiſſe: itemque illa tria quæ habet D. Auguſt. lib. de natura boni cap. 3. modus, ſpecies, ordo: & præterea ea tria quæ ponit lib. 83. quæſtionum q. 18. quòd creatura quælibet conſtet, congruat, ac diſcernatur; nam (vt rectè explicat hîc S. Thom. loco citato) vnaquæque res per ſuam ſubſtantiam ſuis principiis limitatam habet modum, ac menſuram, & conſtat; per formam verò habet ſpeciem, ac numerum, ſimulque per ipſam diſcernitur; denique per ordinem habet pondus, & congruentiam.

TERTIA DISPVTATIO.

DE OPERE SEX DIERVM, VBI DE CREATVRA MERE CORPOREA.

DISPVTATIO hæc ſpecialiter inſtituitur de productione creaturæ merè corporalis ſeu de creatura merè corporea, quatenùs à Deo primùm creata eſt; poſtmodum enim nempè ſequenti tractatu agetur de creatura merè ſpiritali, nempè de Angelis: & poſtremò de creatura mixta partim corporea partim ſpirituali, nēpè de homine quoad ſtatum innocentiæ ac primum eius lapſum. Et quoniam res omnes corporeæ ſex dierum ſpatio à Deo productæ deſcribuntur Geneſ. 1. idcirco opus ſex dierum appellatur à ſanctis Patribus.

An mundus verè dicatur opus ſex dierum.

QVÆSTIO I.

TOTAM hanc naturæ corporeæ ſeu ſenſibilis molem, ex elementis ac cælis coagmentatam, verè dici & eſſe mundum, aliàs dictum eſt loco ſuperiùs citato Phyſicæ: an verò poſſit rectè dici opus ſex dierum idcircò dubitatur, quia non ſatis conſtat vtrùm ſex verorum dierum ſpatio (vt videtur ſonare littera ſacræ Scripturæ) à Deo productus ſit.

Opinio D. de Non enim deſunt qui exiſtimēt omnia eodē

ſimul momento à Deo fuiſſe condita, inter quos imprimis eſt D. Aug. lib. 1. ſuper Geneſim cap. 15. & lib. 11. de ciuita. Dei c. 9. qui ſex illos dies allegoricè interpretatur de cognitionibus quibuſdam angelicis; & idcircò omnia ſex diebus dici condita, quia totidem notitiis angelico intellectui fuerunt repræſentata; ita vt vnaquæque angelorum cognitio dies appelletur, dicaturque allegoricè habere manè & veſperè. Nam quatenùs angeli res creatas cognoſcunt in Verbo Dei, dicitur illorum cognitio matutina; quatenus verò illas in ſeipſis cognoſcunt, dicitur cognitio veſpertina, quia obſcurior & poſterior eſt matutinâ. Ita Aug. lib. 4. de Geneſi ad litteram cap. 22. 23. 24. *creatione mundi.*

Verùm communior & probabilior Theologorum ſententia eſt, ſex illos dies qui habentur cap. 1. Geneſeos, fuiſſe veros, diſtinctos, & propriè dictos, proindeque hiſtoriam quam illic digeſſit Moſes iuxta litteralem ſenſum intelligendam eſſe; ita ſentit D. Dionyſ. c. 4. de diuinis nominibus, Tertullianus lib. cõtra Hermogenem cap. 15. Baſilius hom. 2. Hexam. Nazianz. Chryſoſt. & alii. Lege D. Thom. hîc q. 64. art. 2. Probatur hæc aſſertio, quia ex ipſomet Auguſtino lib. 8. de Geneſi ad litteram c. 1. Scriptura ſemper propriè debet intelligi, quãdo abſq. vllo abſurdo fieri poteſt, preſertim vbi eſt narratio hiſtorica; deindè multa in illa narratione continentur, quæ nulla ratione aptè explicari poſſunt, niſi propriè per illorum dierum interualla mundus fuiſſe conditus intelligatur, vt attentè legenti totum illud caput *Communis Theologorum ſentẽtia de eadẽ re.*

patebit: deniq. nõ eſt veroſimile Moſẽ qui hęc rudi populo proponebat, tã ſubtiliter philoſophari voluiſſe. Sed contra obiici poteſt primò illud Eccl. 18: *Qui viuit in ęternum, creauit omnia ſimul.* Reſpondetur non ſignificari hac particula (*ſimul*) omnia eodem momento condita eſſe: ſed vel quod æquè & generatim omnia nullo excepto à Deo creata ſint: vel quòd omnia nõ magno temporum interuallo, ſed ſub vnum tempus ſex dierum ſint condita; vel quòd etiã omnia eodem momento quoad materiam creata ſint. Secundò obiici poteſt illud Geneſ. 2. vbi recapitulans Moſes præcedentis capitis narrationem. *Iſtæ ſunt* (inquit) *generationes cæli & terræ, quando creatæ ſunt in die quo fecit Deus cælum & terram, & omne virgultum agri*: non dicit (in diebus) ſed (in die) ergo &c. Reſpondendum eſt per diem intelligi hoc loco tempus totius creationis; ſæpè enim dies in Scriptura ponitur pro tempore indeterminatè.

Obiectio prima.

Solutio.

Obiectio ſecunda.

Solutio.

Maneat igitur mundum creatum fuiſſe ſex verorum dierum ſpatio, qua verò anni tempeſtate mundus fuerit conditus, aliàs dictum eſt in Phyſicis, vbi de mundo, nempè probabiliùs eſſe verno tempore conditum eſſe, quàm autumnali.

Concluſio.

Quale fuerit opus primæ diei.

QVÆSTIO II.

TRIA ſolent operationum genera in ipſa primi capitis Geneſ. narratione diſtingu

ex Magiſtro ſentent. in ſecundo lib. diſt. 12. & Diuo Thoma hîc qu. 65. & q. 70. nempe opus creationis, opus diſtinctionis, & opus ornatus: prima die peractum eſt ſaltem magna ex parte opus creationis; ſecunda die opus diſtinctionis maximæ; reliquis verò opus ornatus, licèt non ſine aliquo opere productionis, ac diſtinctionis.

Porrò quoniam plures ſunt circa operationem huius primæ diei difficultates, idcircò de ſingulis ordine dicendum eſt.

Prima difficultas circa opus primæ diei.

Prima difficultas eſt, quandonam primus iſte dies inceperit. Reſpondetur primum diem accipi poſſe, vel naturalem, quod eſt ſpatium viginti quatuor horarum; vel artificialem, quod eſt ſpatium duodecim horarum plus vel minùs quo lux ſupra horizontem nobis extat: Et quidem de primo die artificiali nõ eſt dubium quin cæperit eo inſtanti quo lux fuit creata à Deo, nempè circa ſextam horam matutinam, vt probabiliùs eſſe videtur: eo enim inſtanti probabile eſt lucem fuiſſe creatam in puncto Oriẽtis reſpectu Palæſtinæ, ita vt eâ paulatim aſcendente, vel accreſcente ſupra horizontem, verſus lineam meridianam eiuſdem regionis dies ſimul increuerit. At verò de primo die naturali maior eſt difficultas: plerique enim & quidem probabiliter arbitrantur, primum diem naturalem incepiſſe à creatione ipſius lucis, & completum fuiſſe circa manè ſequentis diei: ſicque ait Magiſter Senten. loco citato primum hunc diem non habuiſſe manè, eo quòd plena

Digitized by Google

luce inceperit, ſed tantum habuiſſe veſperè, quod circa manè ſequentis diei finitum eſt; ſicque rectè dictum fuiſſe à Moſe factum fuiſſe veſpere & mane diem primum, nempe diem naturalem viginti quatuor horarum: reliquos verò dies habuiſſe manè & veſperè, ita vt quiſque à ſuo mane incipiens, vſq. ad alterius diei mane protenderetur: alii verò paulo probabiliùs vt mihi videtur, exiſtimant, primũ diem naturalem incepiſſe à veſpere ſeu prima hora noctis, nempè duodecim horis circiter ante lucem initio primæ diei artificialis procreatam; ita vt in ipſo ſpatio, vel in principio huius ſpatii veſpertini, Deus creauerit omnem hanc elementarem molem, confuſam tamen & indigeſtã & fortaſsè etiã cæleſtẽ. Cõfirmatur autẽ hæc ſẽtẽtia: tùm quia vt docet S. Tho. hîc q. 66. art. 4. cõcreatũ fuit tẽpus ſimul cum informi materia totius mundi ſaltem elementaris; ſicque aliquod verum tempus præceſſit creationem lucis, ex quo tẽpore nocturno duodecim horarum, & ſequenti diurno totidem horarũ extitit primus dies naturalis viginti quatuor horarum: tùm quia id non obſcurè videtur ſignificare ſacra Scriptura, cùm dicit Geneſeos 1. factum fuiſſe veſperè & mane diem primum, vbi ſignificat veſperè proceſſiſſe, hoc eſt tempus noctis ſeu tenebrarũ, & mane ſubſequutum fuiſſe, hoc eſt tempus lucis ſeu diei artificialis.

Probabilior ſententia.

Confirmatur ratione

Secunda difficultas. Reſpondetur primò.

Secunda difficultas, quænam fuerint condita in primo illo ſpatio veſpertino ſeu nocturno primæ diei naturalis. Reſpõdetur primò, certũ

eſſe materiam informem huius mundi ſaltem elementaris, fuiſſe cõditam in eo ſpatio, vel in primo inſtanti illius ſpatii: materiam mundi informem hîc appello, non omni puta ſubſtantiali deſtitutam forma, ſed accidentali dũtaxat; materia enim illa totius vniuerſi ſaltem elementaris, nil aliud erat quã 4. elementa cũ ſuis formis, ſed partĩ permixta, partĩ abſtruſa: ſic enim aqua & aër inter ſe permiſcebantur, terra verò aquis obruta, & ignis aut fortaſſis in ipſis terræ viſceribus retruſus, aut intra nubiloſam materiam abſconſus deliteſcebant. Adde quod nulla luce quatuor elementa in eo ſtatu, ſicut nec cælum (ſi quod erat) perfundebantur; vnde dicitur quod tenebræ erant ſuper faciem abyſſi. Vbi nota obiter non potuiſſe rudem hanc, & indigeſtam elementorum molem propriè appellari mundum, cùm nondum omnes cæli ſecundùm proprias formas eſſent conditi, vt patebit ex ſequentibus; nec mundus dici poſſit quælibet elementorum congeries, ſicut nec ædificium dici poteſt quilibet lapidum aceruus. Secundò reſpondetur non facilè ſtatui poſſe an omnes cęli fuerint ſimul cum elementari hac mole creati, an verò ſecus; vtrumque enim probabile videtur. Nonnulli enim arbitrati ſunt omnes planè cœlos in eo inſtanti fuiſſe conditos, vt D. Baſil. l. 2. Hexa. Beda quoque in Hexam. Damaſcenus l. 2. Ortho. fidei c. 5. & D. Th. expreſſe hîc q. 68. a. 1. & 3. Alii vero abitrati ſunt ſolùm cœlum Empyreum fuiſſe conditum, & ſignificari his verbis *In principio Deus creauit cœ-*

Nota.

Reſpondetur ſecũdo,

lum & terram. Alii exiſtimauerunt cœlos nullos tunc eſſe cõditos, ac locũ illum Geneſeos variè interpretantur. D. enim Auguſt. paſſim, ac præſertim lib. 12. Cõfeſſionum c. 7. 8. 9. exiſtimat hîc nomine cœli, naturam angelicam, nomine autem terrę materiam primam intelligendam eſſe; quaſi Moſes de induſtria duo illa extrema inter creaturas primo loco commemorare voluerit, quorum alterũ Deo proximum, alterum à Deo remotiſſimum eſt. Idẽ D. Auguſt. aliàs aliter hunc locum interpretatur: exiſtimat enim lib. 1. de Geneſi contra Manich. c. 7. nomine cœli & terræ hoc loco intelligi materiam primam, ex qua tùm cælum cũ terra procreata ſunt. Ipſemet Aug. ibidem aliã huius loci interpretationem refert, quam plerique alii Patres amplectuntur, & id quidem valdè probabiliter, vt Chryſoſt. hom. 1. in Gen. & Baſil. hom. 3. in Geneſ. dicunt enim Moſem his verbis, nempe *In principio creauit Deus cœlum & terram*, ſummatim complexum fuiſſe, quòd deinceps ſpecialiter explicat, ac ſi diceret in ipſo temporis exordio, nempe ſex primis diebus totam hanc rerum vniuerſitatem, quæ cęli ac terræ ambitu continetur, Deus condidit: & quidem vbi primum elementarem hanc molem procreauit, terra in ipſo ſuæ productionis initio adhuc erat inanis & vacua, &c. quæ quidem omnia probabiliter dicuntur à ſanctis Patribus.

Probabilior ſententia. Licèt autem arduũ ſit, ne dicam temerariũ in tanta diſſidẽtium opinionũ varietate quidquam certi ſtatuere; probabilius tamen eſſe

duxerim; Deo in ipſo temporis initio, nempe in ſpatio illo duodecim horarum nocturno; vel in primo inſtanti huius ſpatii ex nihilo pro duxiſſe cælum & terram, id eſt, omnem cæleſtem ſubſtantiam, ſaltem quoad materiam; & elementarem quoque ſecundùm propriã formam, quamuis, quod ſpectat ad cœleſtem ſubſtantiam, diſcrimẽ ſit, quod aliquod cælũ, puta empyreũ, & fortaſſis etiã primũ mobile fuerit ex nihilo productũ ſecũdũ propriã formã: quod verò ſpectat ad reliquos cælos, fuerint poſtea creati ſecũdũ proprias formas, nẽpe ſecunda die ex elemẽtari ſubſtãtia aquæ & aëris. Elementa autẽ erant ſub formis propriis ſubſtantialibus, licèt ex parte permixta, & nõdũ cõuenienti ordine ad bonũ vniuerſi diſpoſita: & quidem terra in medio mũdi ſita, nuda prorſus & infœcunda, tenebris ſimul & aquis vndiq; obuoluebatur, & quidẽ ſupra immẽſã aquarum molem Spiritus Domini, hoc eſt, iuxta magis litteralem ſenſum, ventus ſeu potius ſeu aër procelloſus ſimul cum illa aquàrũ materia cõmixtus, huc illuc agitabatur: adeoque vtrumque iſtud elementum aquæ & aëris ſimul permixtum, totũ illud ſpatium quod à terra vſque ad cælum empyreum, aut ſaltem primũ mobile protẽditur opplebat, illudque eſt quod nomine abyſſi ſignificatur, cũ dicitur quòd tenebræ erãt ſuper faciẽ abyſſi. Vbi obiter aduerte, ſimul cum cælo empyreo creatos fuiſſe angelos, vt ſuo loco dicemus, vbi de Angelis: probabile etiã ducimus ſimul cum cœlo empyreo creatum fuiſſe primũ mobile, cùm ex ipſius motu æquabiliſſimo tempus omne *Nota.*

pendeat, quod quidem tempus verum cœpit ab ipſo creationis exordio : vnde etiam veri dies naturales extitere à primo exordio creationis, antequam Sol eſſet conditus, qui ſanè dies commodiſſimè ex ipſo motu primi mobilis deſumi poſſunt.

Tertia difficultas. Tertia difficultas eſt, quid ſit illud quod dicitur Gen. 1. *Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas.* Reſpondeo dictum illud vario modo poſſe explicari, & quidem probabiliter pro diuerſa acceptione iſtius vocabuli, quod Heb. dicitur *Rouah.* rouah: nã primo modo accipi poteſt vocabulũ iſtud pro vento ſeu aëre agitato, quo ſenſu valde litteraliter accipi poteſt hoc loco vocabulũ Spiritus. *Diuerſa acceptiones iſtius vocabuli Spiritus.* Secũdò pro vitali quadã virtute, ſicq; hoc loco accipi poteſt pro ſeminali quadã virtute à Deo aquis impreſſa, vt ex ipſa mox Deo iubente, volucres ac piſces procrearẽtur. Tertiò accipi poteſt pro Sp. ſiue humano ſiue angelico, & ſic probabiliter quidã exiſtimant Spiritum hîc accipi pro intelligentia quæ cælũ cryſtallinum circumuolueret. Quarto accipi poteſt iſtud vocabulum pro tertia perſona ſanctiſſimæ Trinit. vel abſolutè pro ipſomet Deo, etiam vt vno, qui Spiritus eſt, & cuius virtus nomine Spiritus ſæpenumero ſignificatur in ſacris litteris : & quidem iuxta quartam hanc acceptionem hunc locũ plerique Patres de ſancto Spiritu interpretantur, qui ſignificatur à Moyſe veluti elementis incubare, quaſi virtutẽ ſuam ipſis cõmunicando, vt mox ex ipſis cætera omnia procrearentur.

Quarta difficultas. Quarta difficultas eſt, quidnam factum fue-

rit in ſpatio diurno huius primæ diei. Reſpondetur lucem fuiſſe procreatā ſtatim poſt elapſas duodecim præteritarum tenebrarum horas, circa ſextā horā matutinā; quā licèt D. Auguſt. ſpiritualē iudicauerit l. 4. de Geneſ. ad litter. ca. 22. & ſequentibus, nempe glorię perfectionem, qua boni Angeli in gratia fuerunt confirmati, & a malis ſeparati. Longè tamen probabilius cenſent alii ſancti Patres (vt D. Dion. c. 4. de diuinis nominibus, Baſil. Chryſ. Ambroſ. & D. Thom. hîc art. 4. ad ſecundum) fuiſſe corporeā, cùm eius lucis beneficio veri dies artificiales extiterint: quāuis non diffiteamur cū eiuſmodi luce productam fuiſſe lucē Spiritualē, qua illuſtrati fuerūt omnes Angeli. *Lux prima diei corporea.* Licèt autē lux iſta fuerit corporea, non tamen ipſa fuit corpus, ſed accidens in corpore aliquo inhærens: Cuius verò corporis lux iſta fuerit non omnes conueniunt. D. Th. arbitratur fuiſſe lumen ſolis debile adhuc & imperfectum; quod minùs probabile videtur, cū ſol non niſi quarto die productus ſignificetur: adde quod nulla ratio reddi poteſt, cur lumen iſtud Solis tunc magis debile fuerit quàm poſtea: Probabilius igitur alii cenſent lucē illam in quadam nitidiſſima nubecula extitiſſe, quæ ab oriente verſus occidentē orbiculariter agitatam diem ac noctē efficiebat; ita ſentiunt inſignes Theologi Beda in Hexam. Hugo à ſancto Victore lib. 1. de Sacram. fidei part. 1. cap. 9. Magiſt. Sent. in 2. d. 13. S. Bonau. ibid. & alii & quidē hęc nubecula, creato ſole 4. die, redacta eſt in aërē vel aquā: lux verò ipſa vel deſiit pereunte ſubiecto, vel Soli communicata eſt.

Quodnam fuerit opus ſecundæ diei.
QVÆSTIO III.

QVONIAM, vt præcedenti quæſtione dictum eſt, totum illud ſpatium quod à terra vſque ad primũ mobile intercipiebatur oppletum erat duobus elementis, nẽpe aqua & aëre inter ſe permixtis; idcircò Deus hac ſecũda die ex hac ipſa duorum iſtorum elementorum materia reliquos cælos primo mobili inferiores conſtruxit: Deinde aquã ab aëre ſeiũxit, itaut inferior aëris regio media eſſe poſſet inter ſuperiores aquas, nẽpe pluuiales, & inferiores nẽpe aquas maris, fontium, & fluminũ.

Verũ, duæ præcipuæ difficultates circa opus huius diei occurrunt explicandæ: altera de firmamento quod dicitur factum hoc die: altera de aquis quæ per illud firmamẽtũ diuiſæ ſunt.

Prior difficultas. Quod ſpectat ad priorẽ difficultatem, varia probabiliter dicũtur à Theol. nõnulli enĩ exiſtimant per illud intelligendum eſſe ſolũ cœlũ ſtellatum in quo ſunt ſtellæ fixæ; alii intelligendum eſſe totum cœlum ſydereum quatenus complectitur etiam cœlos planetarum: alii non minùs probabiliter contendunt intelligendum eſſe ſolum cœlum aëreum, quod quidem inferiori ſui parte diuidit aquas in nubibus incluſas ; ab aquis inferioribus quæ fluunt ſuper terram.

Probabilior opinio. Verùm probabilius videtur hoc nomine firmamentiintelligendum eſſe totum cælum ſydereum & aëreum; cùm enim ſuprà proba-

bilius duxerimus ſolum cælum empyreum, & fortaſſis etiam primum mobile cum ſua ſubſtantiali forma procreatum fuiſſe, conſequens eſt vt in iſto ſecundo die reliquos cælos Deus produxerit, ſimulque aërem ab aqua ſeiunxerit; ſicque ex cælis & aëre totum illud extiterit quod firmamenti nomine intelligendum eſſe contendimus; quod quidem firmamentum propterea dicatur eſſe partim ſydereũ, partim aëreum: quã Firmamenti diſtinctionẽ tanquã probabilẽ admittit S. Doct. hîc q.68.a.1.& ſequẽtibus, & illud quidẽ firmamẽtũ qua parte aëreum eſt infimã ſui parte verè diuidit aquas ab aquis, id eſt, aquas nubium ſuperiores, ab aquis inferioribus maris, fontiũ & fluminũ.

Quod igitur firmamentũ quod diuidit aquas ab aquis verè ſit aër, probatur primùm authoritate doctiſſimorum Theologorũ qui ita ſentiunt: ita enim ſentit Rupertus l.1.de operibus Trinit.c.22. Au. Eugubinus in ſua Coſmopœia & inter recentiores Pererius in Geneſ. & alii; hácque opinionem probabilem putat S. Th. loco citato, eamque laudat S. Aug. l.2.in Gen. cap.4. Secundo confirmatur ex vi ipſius vocabuli Hebraici, vbi enim Græcè habetur στερέωμα, Latinè firmamẽtum, Hæbraicè habetur רקיע, id eſt expanſio, ſeu res latè patens, quod maximè aëri conuenit; cùm nil ſit quod facilius atq; latius expãdatur. cur autem LXX. interpretes verterint στερέωμα, id eſt firmamẽtũ, ratio eſt quod pręcipua pars firmamenti totaliter ſũpti ſit ſolidiſſima; ꝙ eſt cęlũ ſydereum, vel quod in ipſo cœlo aëreo nubes conden-

Probatur authoritatibus Theologorum.

ſantur & ſpiſſantur, vel quia tanquam firmiſſimus terminus diſcriminat aquas fluẽtes ſuper terram, ab aquis nubium: quod autem nomine cæli aër ſæpenumero intelligatur, in ſacris litteris apertiùs eſt quàm vlla probatione indigeat.

Poſterior difficultas. Quod ſpectat ad poſteriorem difficultatem, non minus variæ ſunt circa eã opiniones, quã circa priorem. Origenes enim exiſtimauit per aquas illas firmamento ſuperiores, intelligendas eſſe virtutes angelicas ſeu Angelos bonos, per aquas verò inferiores, malignos Spiritus ſeu dæmones, Verùm iſtud à litterali ſenſu penitus alienum eſt, ideoque refutatur à D. Baſ. hom. 3. in Geneſ. eamque ſententiam tetractat S. Au. l. 2. Retractationũ c. 6. cũ ei aliàs placuiſſet l. 12. Confeſſio. c. 32. Itaque cõſentiunt omnes ſancti Patres ac Theologi aquas illas eſſe ſubſtantias corporeas, & quidẽ aquas inferiores, eſſe veras & elementares aquas, de aquis verò illis ſuperioribus diſſentiũt: pleriq; enim Theologi præſertim Scholaſtici negant eſſe veras aquas, ſed aiunt cęlum cryſtallinũ, quod aquarum nomine ſignificetur, vel quia ex aquarũ materia condenſata Dei verbo cõpactũ fuerit, vel quia aquę materiã ſuam pelluciditate imitatur, eãq; ſententiã vt probabilem amplectitur S. Th. loco citato: verũ difficultate nõ vacat, neq; enĩ veroſimile eſt, Moſẽ tãta æquiuocatione apud populũ rudẽ vſũ fuiſſe; ita vt cũ per aquas inferiores veras aquas intellexerit, per aquas ſuperiores non veras aquas, ſed cælum aliquod ſolidiſſimum, cuiuſmodi eſt

De aquis ſuperioribus varia ſententia. Prima.

eſt cryſtallinum, ab elementaribus aquis materia penitùs diſtinctum intellexerit. Idcircò alij probabiliùs cenſent aquas illas eſſe veras; quomodo autem ſupra firmamentum eſſe dicantur non conſentiunt. Plerique enim ex antiquioribus ſanctis Patribus in Baſil. hom. 3. Hexam. Ambroſ. lib. 2. Hexam. cap. 3. Theodoretus qu. 11. in Geneſ. & alij, arbitrati ſunt eiuſmodi aquas, eiuſdem generis cum elemẽtaribus, verè eſſe ſupra cælum ſydereum, vt videtur ſignificare Pſalmiſta Pſal. 103. *Extendens cælum ſicut pellem; qui tegis aquis ſuperiora eius.* & Pſal. 148. *Et aquæ quę ſuper cęlos ſunt laudent nomen domini.* Verùm cùm locus naturalis elementorum ſit ſub cælo ſydereo, vix ac ne vix quidem poterit quis ſibi perſuadere tam ingentem aquarum natura ſua fluidarum & grauium copiam, contra naturæ totius ordinem & peculiarem ipſius aquæ propenſionem ſupra cęlos detineri: deinde cùm Deus & natura nihil fruſtrà moliantur, nulluſque inibi poſſit eſſe aquarum vſus, ſignum eſt nullas aquas veras & elementares ibidem reperiri.

Probabiliſſima omnium ſententia.

Quare omnium probabiliſſima ſententia eſt, per aquas ſuperiores intelligendas eſſe hìc veras & elementares aquas, quæ quidem licèt ſint ſub cælo ſeu firmamento ſydereo, ſunt tamen ſuper cęlum ſeu firmamentum äëreum, ſaltem ex parte, nempè ſupra infimam, & etiam nonnumquàm ſupra mediam ipſius regionem: quam ſententiam tanquam probabilem, non ſecùs ac primam ſuprà allatam, etiam amplectitur D. Tho. eodem loco citato, eamque

Digitized by Google

laudat S. Aug. loco etiã ſupra citato, nẽpe 2. lib. ſuper Geneſ. cap. 4. Et ſanè cùm Moyſes rudi populo mũdi fabricam explicaret, congruum erat vt accommodatè ad ipſius captum loqueretur. Quare cum vulgò nomine cœli ſiue cœlorum in plurali, intelligatur id omne ſpatiũ quod obtutui noſtro abhinc ſurſum patet, nubeſque vbi aërem obtegunt, videantur illud ſpatium terminare; aquæ pluuiales quæ inde decidunt, videntur de ſupra cœlos deſcendere, præſertim cùm eas nõ aliundè oriri ſenſus deprehendat. Adde quod cùm infima hæc aeris regio quæ nomine *Rakiah*, ſeu expanſionis aut firmamenti poteſt intelligi, verè ſubſit nubibus, aquæ in ipſis incluſæ verè dici poſſunt eſſe ſupra cœlum ſeu firmamẽtum: neque obeſt quod ſupra cœlos in plurali eſſe dicantur, cùm conſtet vocabulum Hebraïcum quo cœlũ ſignificatur nõniſi in plurali efferri. Adde quod etiam dici poſſunt aquæ pluuiales deſupra cœlos delabi, quia nonniſi ita diſpenſante diuina prouidẽtia, quæ ſupra cœlos eſt, deſuper terris immittũtur, iuxta illud Pſ. 147. *Qui dat niuẽ ſicut lanã, nebulã ſicut cinerẽ ſpargit.* & illud Pſ. 103. *Rigãs mõtes de ſuperioribus ſuis.* Lege pro hac ſententia D. Tho. loco citato, & Pereriũ lib. 1. in Geneſ.

Corollariũ. Ex dictis colligere eſt, omnes cælos primo mobili inferiores hac ſecunda die fuiſſe cõditos, ſimulque aërem ab aqua ſeiunctum fuiſſe; ita vt non amplius obſcurus & nubiloſus, ſed purus ac pellucidus deinceps appareret: ſicque non tantùm cælos ſydereos, ſed etiam cælum aëreum hac die fuiſſe conditum; cùm aër non-

Digitized by Google

niſi quatenus tranſparens ſeu pellucidus cœli rationẽ ſibi vẽdicet;aquæ verò quæ antea cum aere erant cõmixtæ circa terram condenſatæ ſunt,ita vt eam vndique cooperirẽt,ac fortaſſe totam hãc infimam aeris regionẽ obtinerent.

Quodnam fuerit opus tertiæ diei. QVÆSTIO IIII.

HAc ipſa die Deus primùm aquas illas reſiduas quę terrãm vndique obuoluebant in quaſdam terrę cauitates,quę tùm primũ factæ ſunt redegit,vt terra ſecundùm aliquas ſui partes appareret;vndè primum colles & valles in ſuperficie terræ,tùm etiam fontes,flumina, & maria in ipſius ſinubus & cauitatibus,ac fortaſſe etiam tùm primus infernus in ipſius centro extitêre:. Deinde collatâ terrę fœcunditate iuſſit Deus,vt ex ipſa plantę, herbę, & arbores procrearentur;quo etiam tempore, Paradiſus vario herbarum, arborumque genere conſitus eſt, variaque lapidum ac mineralium genera in terrę viſceribus exorta ſunt.

Ex quo intelligis nõ ideo detectã fuiſſe terrã, quod aquæ in quibuſdã partibus conglobatæ fuerint ſuper terrã;ita vt mare lõgè altius terra exiſtat:neq;enim id probabile eſt,vt aliàs dictũ eſt in Phyſicis,prędſertim cũ exploratũ ſit vnicũ ex terra & aqua globũ fieri;vt ibidẽ dictũ eſt, nempe 2.part. Phyſ.tract.2.diſp.3.qu.7. Adde quod ſacra Scriptura contrarium inſinuat Pſ. 106. *Qui deſcendunt mare in nauibus*: Adde etiam ſi vis experientiam;conſtat enim aquas ex terra in mare defluere tãquam in locũ inferiorẽ.

Si quæras, nùm terra paſſiuè ſe tantùm habuerit ad producendas plantas & arbores. Reſpondetur licèt probabile videatur terram ſe etiam actiuè habuiſſe in eiuſmodi productione, idque per donum fœcunditatis ipſi à Deo collatum; quod videtur innuere ſacra Scriptura, vbi habetur, *Producat terra herbam virentem*: Si tamē rem penitùs inſpiciamus, probabiliùs contrarium videbitur; cùm non facilè poſſit explicari qua ratione terra ad id actiuè concurrerit: præſertim cùm id neceſſe nō fuerit, & ſacræ Scripturæ textus facillimo negotio poſſit explicari: cùm enim dicitur, *Producat terra herbam virentem, &c.* idem eſt ac ſi diceretur, Producatur ex terra herba virens, &c. ſicq; his verbis ſolus paſſiuꝰ terræ cōcurſus deſignatur.

Dubitatio. *Solutio.*

Quæret etiam hîc forſan aliquis, vtrum ſimul cum aliis productæ fuerint plantæ hominibus noxiæ vt ſpinæ, tribuli, herbæ venenatæ. Reſpondetur ita eſſe, vt docet hîc S. Tho. qu. 69. art. 2. ad ſecundum, idque à D. Aug. lib. 3. ſuper Geneſ. cap. 18. probatur, quia dicitur Deus hac tertia die produxiſſe omnem herbam virētem & omne lignū, &c. Sicque nihil excipitur, tùm quia dicitur Deus die 7ª. requieuiſſe ab omni opere quod patrauerat, id eſt nullas nouas rerum ſpecies deinceps produxiſſe. Nec eſt quod quis obiiciat dictum fuiſſe Adamo poſt peccatum, *Maledicta terra in opere tuo, ſpinas & tribulos germinabit tibi*: Dicendum enim eſt, his verbis non ſignificari, quod terra deinceps eiuſmodi plantas propter peccatū germinaret, quaſi ante peccatum ipſius illas non produxiſſet; ſed

Dubitatio. *Solutio.* *Occurritur obiectioni.*

Digitized by Google

quod ipſas germinaret ipſi homini, etiam in locis vbi alioqui non debuiſſet, idque in ipſius pœnam; quod ſublato peccato non fuiſſet, ideoque non dicitur ſimpliciter Germinabit terra, ſed germinabit tibi.

Quodnam fuerit opus quartæ diei.
QVÆSTIO V.

SIcuti prçcedenti die Dominus terrã herbis ac plãtis, ita hâcce die quarta cçlum luminaribus, id eſt aſtris ſeu ſyderibus ornauit; ſole nempè ſub primo gradu arietis, vt veriſimile eſt collocato, & Luna ſub primo gradu Libræ poſita, reliquis quoque ſtellis tũ fixis, cum erraticis ex ipſa cæli ſubſtãtia per condenſationẽ hoc ipſo die productis: quo etiã die integri planetarum orbes in partes quaſdam, nempè cælos excentricos & concentricos, differentes & epicyclos diuiſi ſunt. Dicuntur autẽ eiuſmodi aſtra in Firmamẽto ſeu cęlo poſita ob tria maximè, primũ vt ſua vi, calore nẽpè & influẽtiis eſſẽt inſigna; ſecũdò vt ſuo lumine lucerẽt in cęlo, ac ſimul terras illuminarẽt; tertiò vt ſuo motu eſſẽt in tẽpora, prçſertimq; in dies & annos.

Porrò circa opus huius diei nõnullæ difficultates occurrunt explicãdæ. Prima, cur non niſi quarta die poſt planetarũ productionẽ, producta fuerint cæli luminaria. Reſpondetur cũ D. Tho. hîc qu. 70. art. 1. ad 1. idque iuxta Chryſ. hom. 6. in Geneſ. hoc ita factũ eſſe, vt certò cõſtaret populo Iſraelitico aſtra non eſſe Deos, vt potè qui necdum à principio extiterint: ne etiam arbitrarentur plantas à ſyderibus, tan- *Prima difficultas.* *Reſponſio.*

Digitized by Google

quam à primis rerum omnium cauſis originem traxiſſe, vt falsò quidam opinati ſunt.

Secunda difficultas. Secũda difficultas, an aſtra fuerint producta ſecũdùm formã ſubſtantialẽ, an verò ſecũdùm accidentalẽ. *Reſponſio.* Reſpõdeo, cùm aſtra nõ differant ſubſtantialiter à cœlo natura ſua lucido in quo ſunt, ſed ſint in ipſo tanquam partes ipſius dẽſiores: (vt aliàs iuxta Ariſtotelis ſententiã dictũ eſt in Phyſicis) idcircò dicendũ eſt, nõ eſſe hoc die producta ſecundũ ſubſtãtiam abſolutè loquendo, ſed potiùs producta fuiſſe ſecundùm ſubſtantiã ſecundo die; neque tamen tunc dici poterãt aſtra, ſed cœperunt eſſe aſtra iſto quarto die, quo Dominus cõdenſando quaſdã cœli partes, cõtinuò ipſas reliquis longè lucidiores effecit: poſſet etiã dici probabiliter quòd Deꝰ diſperſum vniformiter lumẽ per totã cœli ſubſtantiã, ad illas cœli partes rèdegit; quo factum eſt, vt deinceps in iſtis ſolis, & nõ reliquis cœlorũ partibus lumen appareat; nõ quòd omni planè lumine deſtitutæ ſint, ſed quòd nõ ſit in ipſis tantùm lumẽ vt humano aſpectu diſcerni queat. Probabiliſſimũ etiam eſt, quod aliàs innuimus 2. par. Phyſ. tract. 1. diſp. 2. qu. 7. nempe duo maiora lumina Solẽ & Lunã nõ eſſe cõtinua, ſed tantũ cõtigua ſuis orbibus; & fortaſſis etiam iſto die ſuis orbibus à Deo inſerta: ſicque etiam ſecundùm ſubſtantiam hoc ipſo die fuerint procreata, quod innuit ſacra Scriptura cùm de his loquens, vbi dixit Deum ea feciſſe, tùm ſubdit eadẽ poſuiſſe in firmamento cœli, &c. hoc eſt collocaſſe ſeu inſeruiſſe.

Tertia difficultas. Tertia difficultas, cur Luna vocetur luminare

Digitized by Google

maius nõ ſecùs ac Sol, cùm reliqua aſtra (excepto ſolo Mercurio) illã magnitudine excedãt. Reſpõdetur primò Moyſem in hoc, ſicut & in pleriſque toto hoc capite loquutũ fuiſſe accõmodatè ad ſenſum, idque pro captu rudis populi quem inſtruebat; ideóque appellaſſe iſta duo luminaria magna, quia nulla apparent tãtæ magnitudinis: ſecundò ex D. Tho. hîc art. 1. ad quintũ, appellari magna, nõ tã quãtitate, quã efficacia & virtute; quia etſi ſtellæ aliæ ſint lõgè maiores quantitate quàm Luna, non tamen illarum influxus ſentiuntur ſicut ac Lunæ. *Reſponſio.*

Quodnam ſit opus quintæ diei.

QVÆSTIO VI.

POſtquàm Deus per opus creationis cælorum ac elementorũ ſubſtantiam produxit, deinde per opus diſtinctionis hæc omnia corpora à ſe inuicem ſeiunxit; tandẽque per opus ornatus aerem luce, terrã plantis, ac cœlũ ſyderibus ornauit: hac die quinta animalium procreationem aggreditur, quæ aerẽ, aquã, ac terram incolerent: vnde exiſtunt tria animaliũ genera, nempè volatilia, aquatilia, & terreſtria, quorũ duo, nempe aquatilia & volatilia, ex ipſa aquarũ ſubſtãtia hoc ipſo die Deꝰ procreauit: collato ipſis triplicis vitę beneficio, nutritionis nẽpè, accretionis, & generationis: nutritionis quidẽ, cũ illis benedixit, accretionis verò & generationis, cũ dixit, *Creſcite & multiplicamini, &c.* *Quinta die animaliũ procreationem Deus aggreditur*

Verùm nonnullæ hîc difficultates occurrunt explicandæ. Prima eſt, cur priùs animalia volatilia & aquatilia procreata ſint, quàm terreſtria: cùm hæc illis haud mediocriter præſtent. *Prima difficultas.*

Digitized by Google

Reſponſio. Reſpondetur cùm aues ad ornatũ aeris, piſces verò ad ornatũ aquæ, ſicut & terreſtria animalia ad ornatum terræ referantur ; aër autem & aqua ſuperiora ſint ipsâ terrâ , proindéque priuſquàm ipſa ornari debuerint, congruum fuit vt prius volatilia & aquatilia, quàm terreſtria procrearentur. Adde quod ſicut plãtæ ad animalium vitam ſubſtentandam ſunt neceſſariæ, ideoque priùs quàm animalia procreari debuerint ; ſic etiam quia piſces & aues conducunt ad ſubſtentandam vitam animalium quorũdam terreſtrium, præſertimque hominum, idcircò illa priùs quàm hæc procreari debuerunt : aliam rationem ſed paulò obſcuriorem lege apud D. Thom. hîc qu. 71. art. vnico.

Secunda difficultas. Reſponſio. Secunda difficultas eſt, an verè aues ex aquis productæ ſint. Reſpondetur ita eſſe, quidquid nõnulli ſentiãt, qui ex terra productas eſſe volunt. Confirmatur tùm ex ipſo textu editionis vulgatæ, quæ magis authentica eſt quàm quælibet alia, tùm ex hymno Eccleſiæ ſic habente, *Magnæ Deus potentiæ, qui ex aquis ortũ genus, partim remittis gurgiti, partim leuas in aëra.* Adde quod multò maior eſt in pleriſq; ſimilitudo animalis volatilis cum aquatili ob materiæ viciniam, quàm terreſtris cũ vtrolibet: vtrũq; enim illud animal ordinariè eſt ouiparum, & caret lacte, ac motu caudæ curſum dirigit, & quod ſunt plumæ & alæ in auibus, id ſunt ſquamæ & pinnæ in piſcibus ; denique in oſſibus & carnibus vtriuſque animalis ineſt aliquid ſimile, idque tenuius & leuius quàm in terreſtribus animalibus : neque quidquam obſunt

hæc verba Geneſeos 2. *Formatis igitur de homo cunctis animantibus terræ, & vniuerſis volatilibus cœli, adduxit ea Deus ad Adam &c.* non enim ſignificatur his verbis, quod volatilia fuerint ex humo terræ facta, ſed tãtùm quod fuerint formata cùm adducta ſunt ad Adam. Notandum tamen eſt obiter, probabile eſſe aquas illas, ex quibus tùm piſces, cùm aues productæ ſunt, non fuiſſe puras, ſed aliis elementis, vt terræ & aëris permixtas: & adhuc in eo momẽto, quo ex illis prædicta animalia procreata ſunt, maiorem partem aquarum eiuſmodi in terream portionem fuiſſe tranſmutatam, cùm experiẽtia conſtet in eiuſmodi animalibus plus terræi ineſſe quàm aquæi. *Nota.*

Quodnam ſit opus ſextæ diei.
QVÆSTIO VII.

HAc die extremam operi manum admouens dominus, terreſtria animalia ex ipſa terræ ſubſtantia procreauit, ſicut & plantas ex ipſamet tertiâ die iam produxerat. Et primùm quidem animalia rationis expertia; tandemque pro coronide totius operis pręſtantiſſimum animal quod rationale dicitur, nempè hominem; idque ad imaginem & ſimilitudinem ſuam procreauit: cuius quidem corpus ex eadem terræ ſubſtantia efformauit; animam verò prorſus ſpiritualem & immortalem, ſeu vitæ ſpiritualis & immortalis ſpiraculum in faciem eius inſpirauit. Verùm quia de primi hominis formatione ſpecialiter dicen-

Digitized by Google

dum eſt, vbi de primo eius ſtatu, nonnullas alias difficultates hîc explicabimus.

Prima difficultas. Prima, quænam animalium genera nomine reptilium, beſtiarum, & iumentorum intelligantur. *Reſponſio.* Reſpondetur nomine reptilium, ea intelligi, quæ vel pedibus carent, vt ſerpentes; vel adeò exiguos habẽt, vt vix diſcerni queant, vt lacertæ, formicæ, & alia id genus, quæ comparatione aliorum animaliũ imperfecta ſunt; nomine verò beſtiarum & iumentorum intelliguntur perfectiora animalia, quæ vulgò quadrupedia dicuntur; ita tamen vt nomine beſtiarum intelligantur animalia ferocia; nomine verò iumentorum domeſtica & docilia quæ cicurari ſolent.

Secunda difficultas. Secunda, vtrùm Deus hoc ipſo die omnes omninò ſpecies animalium produxerit. *Reſponſio.* Cui reſpondetur adhibita triplicis generis animalium diſtinctione: quædam enim nonniſi per copulam maris & fæminæ eiuſdem ſpeciei generantur, quæ quidem ſunt omninò perfecta, vt leo, equus, homo, &c. & hæc omnia certũ eſt hac ipſa die fuiſſe procreata: quædã ſunt ex ſe ſterilia, & quæ nonniſi ex commixtione animalium diuerſę ſpeciei generantur, vt Mulus ex equo & aſina: & hæc non fuerũt hac die ſecundùm ſe actu producta, ſed tantùm in potentia ratione aliarum ſpecierum ex quibus generantur: quędam denique ſunt quæ ex putri materia naſcuntur, quæ adhuc ſunt duplicis generis; ſunt enim quæ licèt ex putri materia nonnumquam naſcantur, poſſunt tamen interdum ex mare & fæmina procreari, vt

mures, ranæ &c. & hæc probabile eſt produ-
cta fuiſſe ab initio; ſunt verò quæ nonniſi ex
corruptione materiæ naſci poſſunt vt vermes,
pediculi &c. & hæc non ſunt actu producta,
ſed ſolùm in potentia earum cauſarum ex
quarum corruptione progignuntur. Neque *Occurritur*
obſtat quod dicitur Geneſeos 1. Deum ſepti- *obiectioni.*
mo die quieuiſſe ab omni opere, id eſt, vt iam
explicauimus, non amplius nouas ſpecies pro-
duxiſſe; hoc enim intelligendum eſt de ge-
nuinis & perfectis rerum ſpeciebus, quales
non ſunt ſpecies mulorum, vermium, & ſi-
milium.

Si quæras, vtrùm etiam Deus noxia animalia *Dubitatio.*
hoc die produxerit. Reſpondeo iuxta D. Tho. *Solutio.*
hîc q. 72. art. vnico ad vltimum, multa ex his
quæ nobis nunc noxia ſunt, à Deo tunc pro-
ducta fuiſſe; quæ tamen in ſtatu innocentiæ
homini non fuiſſent noxia aut moleſta; quod
tàm de plantis, quàm de animalibus, aut aliis
intelligenda ſunt: quia in eo ſtatu homo ordi-
natè fuiſſet vſus cunctis rebus creatis, & qua
fuiſſet præditus ſapientia ac prudentia faci-
lè ſibi ab omni ſiue herbarum, ſiue anima-
lium venenoſa qualitate cauiſſet. Adde quod
Deus nullam creaturam homini nocere in eo
ſtatu permiſiſſet: Et licèt multa primo in-
tuitu videantur partim hominibus noxia,
partim omninò inutilia, ſuas tamen habent
vtilitates, nobis quidem nondùm compertas,
ipſi tamen ſupremo rerum omnium opifici
perſpectas.

Tertia difficultas. An ſicut Deus in cæteris *Tertia difficultas.*

elementis, ita quoque in elemento ignis animalia quædam produxerit. Reſpondetur cùm ignis ob ſummam actiuitatem qua in ſe omnia conuertit, non poſſit eſſe locus naturalis animalium, vt paſſim docet Ariſtoteles lib. 2. de generatione & corruptione textu 21. & lib. 2. de generatione animalium cap. 3. in eo nulla eſſe producta: licèt enim Salamandra in igne viuere circumferatur, docuit tamen experientia eam ab igne tandem obſumi, ſi vel paululum diutiùs in ipſo moretur.

Reſponſio.

Quomodo accipienda ſint quæ de die ſeptimo dicuntur.

QVÆSTIO VIII.

POſtquàm Moyſes modum & ordinem deſcripſit, quem Deus in extruenda hac mundi fabrica ſeruauerat; continuò addit Deum compleuiſſe die ſeptimo opus ſuum vniuerſum, & requieuiſſe ac ceſſaſſe ab eo, & idcirco benedixiſſe diei ſeptimo, ac illum ſanctificaſſe: circa quę Moyſis verba, tres ſunt difficultates explicandæ; prima de completione, ſecunda de requie & ceſſatione; tertia de benedictione & ſanctificatione huius diei.

Prima difficultas.

Quod ſpectat ad primam difficultatem, meritò dubitari poteſt, quomodo dicatur Deus opus ſuum die ſeptimo compleuiſſe, cùm nihil iſto die egerit, videaturque id potius diei ſexto iuxta verſionem Septuaginta Interpretum tribuendum. Reſpondetur cùm aliquod

Reſponſio.

opus complere nihil aliud ſit quàm ipſi operi finem imponere; quod duobus modis fieri concipitur, vel quia fit aliquid vltimo, vel quia nil aliud fit pręter id quod factum eſt. Priori modo dici poteſt Deus compleuiſſe opus ſuum die ſexto, quia illo die aliquid vltimo factum eſt; ſicque accipienda eſt verſio ſeptuaginta Interpretum: Poſteriori vero modo dicitur Deus compleuiſſe opus ſuum die ſeptimo, quia iſto die nihil factum eſt præter id quod præteritis ſex diebus factum fuerat, cùm tamen aliquid fieri potuiſſet ſi Deus voluiſſet; ſicque accipenda eſt communis verſio: idemque eſt ac ſi dicamus ſexto die completum fuiſſe opus Dei incluſiuè, ſeptimo autem excluſiuè, & fermè ad hunc modum difficultatem hanc explanat S. Thom. hîc q. 73. art. 1. ad 2.

Quod ſpectat ad ſecundam, meritò ſciſcitari poſſet aliquis, num aliqua ceſſatio aut requies in Deum cadere poſſit, cùm in ipſo neque motus, neque labor vllus eſſe poſſit. Reſpondetur ceſſationem & requiem non tantum motui phyſico, ſeu propriè dicto, & labori qui ex eiuſmodi motu ſequitur, ſed etiã motui metaphorico, id eſt, actioni cuilibet, & deſiderio opponi; vt docet S. Doctor hîc art. 2. Poteſt autem actio Dei in prima rerum omnium productione dupliciter conſiderari: primò in ſe, ſeu ſecundùm ſuam entitatem, quæ eſt ipſe Deus, & ſic Deus nunquam ceſſat ab operatione, nam entitas actionis ac voluntatis diuinæ eſt prorſus inuariabilis, vt aliàs dictum

Secunda difficultas.

Reſponſio.

Actio Dei circa creationem dupliciter ſpectatur.

Primo in ſe

Secundo ex parte obiecti. eſt: ſecundo modo cõſiderari poteſt Dei operatio ex parte obiecti, ſeu in ordine ad effectum, qui eſt terminus diuinę operationis, & ſic dici poteſt Deus ceſſare non tantùm ab opere, quia ipſum opus ſeu effectus deſinit fieri; ſed etiam ab operatione reſpectiuè ſũpta ad ipſum opus ſeu effectum. *Notandum hic primo.* Vbi obiter nota Deum ceſſaſſe iſto die ſeptimo ab omni opere pertinente ad perfectionem vniuerſi, quoad eſſe naturæ, vt hîc notat D. Thom. art. 1. ad primum; non tamen quoad eſſe gratiæ & gloriæ, in his enim multa noua deinceps facta ſunt & fient. Sicut igitur in hac ſeptima die fuit conſummatio naturæ, ita in incarnatione Chriſti fuit conſummatio gratiæ: & in fine mundi erit conſummatio gloriæ. *Notandum ſecundo.* Notandum eſt etiam, Deum non adeò ceſſare ab opere quod patrauit, vt nihil deinceps operetur quod conferat ad bonum totius naturæ, cùm omnia in hoc ſtatu naturæ conſeruet & adminiſtret, ſeu ad ſuos fines dirigat, vt ex proximè ſequenti diſputatione conſtabit: ſed quod nihil in ordine naturæ deinceps factum ſit totaliter nouum, vt loquitur S. Thom. cùm illud aliqua ratione præextiterit in rebus primò cõditis, tamquàm in cauſis naturalibus, ex quibus abſque vllo extraordinario Dei auxilio procreari poterant.

Tertia difficultas. Quod ſpectat ad tertiam difficultatem: cùm Deus hoc ipſo cenſeatur rei cuipiam benedicere quod ipſi benefaciat, hinc fit vt dupliciter intelligi poſſit huic ſeptimo Diei benedixiſſe: primo modo, quatenus in ipſo

die conſeruauit res paulo anteà productas, ac fouit vt multiplicari ac propagari poſſent: ſecũdo modo, quatenus iſtum Diem ſeptimum prærogatiuis quibuſdam decreuit ornare, vt quod in ipſo diuino cultui peculiariter vacaretur, item quod eſſet typus requiei æternæ in quam admitti aliquando debeant omnes electi. Eſt autem huius diei ſanctificatio quędam veluti pars prædictæ benedictionis; ex eo enim aliquid ſanctificari intelligitur, quod diuino cultui ſpecialiter deputatur: fuit autem vna pars benedictionis quod Deus iſtũ diem cultui ſibi debito peculiariter deſtinauerit, vt dictum eſt: Adde quod futurum erat vt in iſto die fideles Iudæi ſanctificarentur vacando vni Deo, & in eo conquieſcendo, ſicut & ipſe ceſſando ab opere quod patrarat in ſeipſo conquieuit.

QVARTA DISPVTATIO

De gubernatione creaturarum, vbi etiam de earum conſeruatione ac directione.

EXplicatâ hactenus primâ Dei operatione ad extra circa creaturas, qua illas ex nihilo procreauit, deinceps dicendum eſt de perpetuo eiuſdem ſupernæ cauſæ influxu circa eaſdẽ creaturas, tùm vt ſubſiſtere poſſint, cũ etiã operari ac perfici, ſiue ad ſuos fines perduci: namque in his duobus (conſeruatione nempe & directione) tota diuina gubernatio, quæ eſt

Guberna-tionis actus duo.

effectus diuinæ prouidentiæ, poſita eſt. De qua quidem gubernatione in genere primùm dicetur, deindè de duabus ipſius pręcipuis partibus ſeu actibus, conſeruatione nempe, ac directione creaturarum ſpeciatim diſſeretur; ad quorum omnium planiorem intelligentiam, repetenda ſunt ea quæ de diuina prouidentia dicta ſunt diſput. 15. primi tractatus huius partis.

Quid ſit diuina gubernatio, & an ad omnia ſe extendat, & quomodo.

QVÆSTIO I.

Prima difficultas

TRia hîc de diuina gubernatione proponuntur explicanda, nempe eius ratio, amplitudo, ac modus.

Quod igitur ſpectat ad primum; diuinam creaturarum gubernationem eſſe exequutionem quandam diuinæ prouidentiæ, oſtenſum eſt in prædicta diſp. primi tractatus huius partis, præſertim q. 1. ac ſimul explicatum eſt diſcrimen inter diuinam prouidentiam & gubernationem; licèt nomine diuinæ prouidentiæ ſæpenumero etiam ipſa creaturarum gubernatio intelligatur. Notandum autem eſt, quod ſicut Deus prius noſtro intelligendi modo per æternam ſuæ voluntatis diſpoſitionem determinat res eſſe faciendas ſeu producendas, quàm per ſuam prouidentiam præordinet eaſdem hac vel illa ratione ad ſuos fines eſſe dirigendas; ita quoque creatio ſeu productio

Notandũ.

ctio per quam res accipit eſſe, qui eſt effectus ſeu exequutio diuinæ diſpoſitionis: prior eſt quodam rationis ordine, quàm gubernatio, per quam res in ſuo eſſe conſeruatur, & ad ſuum finem dirigitur,qui eſt effectus ſeu exequutio diuinæ prouidentiæ. Notãdum etiam eſt,quod licèt gubernatio ſæpenumero ſpecialiter accipiatur pro ſola directione, quomodo diſtinguitur à conſeruatione:nihilominùs à D. Thoma,& aliis Theologis vniuerſaliùs accipitur pro ea exequutione diuinæ prouidentiæ quæ creaturarum conſeruationem ſimul ac directionem ſeu adminiſtrationem complectitur; cùm ipſarum productionem ſupponat. Itaque ex dictis poteſt diuina gubernatio optimè deſcribi: *Exequutio diuinę prouidentiæ qua res omnes conſeruantur, ac in ſuos fines diriguntur.* *Notãdum.*

Quod ſpectat ad ſecundũ. Cùm iam conſtet ex loco citato 1. tractatus huius partis q. 2. diuinã prouidentiam ad omnia ſe extendere, ſeu omnia ſub diuinam prouidentiam cadere; nemini dubium eſſe poteſt diuinam quoque gubernationem, cùm ſit ipſius diuinę prouidentiæ exequutio, ad omnia quoque ſe extendere, ſeu omnia prorſ⁹ à Deo regi & gubernari: ad cuius probationem conferunt eæ ipſę rationes quibus ibidem docuimus Deum rebus omnibus prouidere. Confirmari adhuc poteſt, primò innumeris ſacræ Scripturæ locis, vbi Deus omnium adiutor, Rector, Protector, Saluator, &c. appellatur. itẽ vbi omnia vel aliqua ab ipſo regi, deduci, ac in manibus *Secunda difficultas.* *Aſſertio Catholica probatur primò authoritate.*

eius eſſe dicuntur : idque ex inſtituto docet Chriſtus Math. 17. vbi inter cætera : *Vnus paſſer* (inquit) *non cadit ſuper terram ſine Patre veſtro cæleſti.*

Secundò ratione cõfirmatur.

Secundò, ratione D. Thomæ hîc q. 103. art. 5. ſecundùm eandem rationem competit Deo eſſe gubernatorem rerum & cauſam earundẽ; quia eiuſdem eſt rem producere & perficere: atqui Deus eſt cauſa vniuerſalis totius entis, itavt nihil ſit quod ab ipſo creatum nõ fuerit: ergo erit quoque gubernator totius entis, itavt nil ſubſiſtat quod ei⁹ gubernationi nõ ſubdatur. Adde quod rerum gubernatio in eo cõſiſtit, vt ordinatio & directio rerum in fines ſuos per actum diuinæ prouidentię, ab ęterno præfinita exequutioni mãdetur tempore præſtituto: atqui nõ potuit illud exequutioni non mandari, cùm nihil Deus per ſuã prouidentiã facere ſtatuerit quod nõ certò ac infallibiliter eueniat, vt conſtat ex iis quæ de infallibilitate diuinæ prouidentiæ ac efficacia voluntatis diuinæ aliàs diximus.

Tertiò, experientia idem comprobatur.

Tertiò deniq; experiẽtia cõprobatur; cũ enim cõſtet res omnes naturales certiſſimis rationibus ad ſuos fines tendere, itaut ab illis vix vnquam vel tantillum aberrent; nec tamen ſe ad ipſos propriè dirigãt, vt oſtensũ eſt in pri. par. Eth. tra. 1. diſp. 2. q. 2. neceſſe eſt vt à Deo ad ſuos fines dirigãtur, ſicq; ab ipſomet perpetuò gubernẽtur. Vbi obiter nota, finẽ præcipuũ ac vltimũ ad quẽ Deus res omnes ordinat ac dirigit per gubernationẽ, eſſe infinitam eius bonitatẽ, quę in ordine & recto totius huius vniuerſi ſtatu maximè eluceſcit, vt optimè docet

Nota.

S.Tho.hìc q.103. art. 2.& facilè intelligitur ex iis quæ diximus de cauſa finali creationis diſ.1. huius tract.q.3.ille autẽ rectus totius vniuerſi ſtatus,ſeu bonum ac perfectio totius vniuerſi dicitur etiam finis rerum omnium præcipuus ac vniuerſalis in ipſis exiſtens;cùm diuina bonitas ſit finis ab eiſdem ſeparatus,& tamẽ magis præcipuus ac abſolutè vltimus:nã & ipſum totius vniuerſi bonum,eſt propter ipſam Dei bonitatem,nẽpe vt per ipſum diuina bonitas participetur,ac magis eluceſcat,adde quod ipſum vniuerſi bonum ad ipſum ſummum bonum,quod eſt Deus,ordinatur.

Quæ dicta ſint vt intelligas,quod licèt omnia per gubernationem diuinam non ſemper ſuos fines ſpeciales & proximos aſſequantur, vt aliàs dictum eſt diſp. 15. primi tractatus qu. 4. attamen ſemper ſuum finem vniuerſalem, quod eſt bonum totius vniuerſi, conſequuntur;ad quod nonnunquàm, licèt occultiſſimis,certiſſimis tamen diuinæ prouidentiæ rationibus reducuntur: ſicque cùm bonum ac perfectio totius vniuerſi ſit quædam diuinæ bonitatis ſeu ſummi boni participatio,dum iſta per diuinam gubernationem ad bonum vniuerſi ordinantur,ad ipſam quoque diuinam bonitatem,ſeu ad ipſum ſummũ bonũ qui eſt finis rerum omniũ vltimus, mediatè ſaltem reducũtur.Vbi etiam ſeriò aduertendum eſt ex D.Thom.hìc q.103. art.7.& ſuperiùs q.22.art.2.ad primum:præter ordinem quidem alicuius particularis cauſæ aliquem effectum euenire poſſe, non autem

Conſectarium.

Nota.

præter ordinem cauſę vniuerſalis;(ſicque diuinæ gubernationis ordinem nequaquam poſſe violari) cuius ratio eſt, quia præter ordinem cauſæ particularis, nihil prouenit niſi ex aliqua alia cauſa impediente, quam quidem cauſam neceſſe eſt reducere in primam cauſam vniuerſalem; cùm igitur Deus ſit prima cauſa vniuerſalis, non vnius generis tantùm, ſed vniuerſaliter totius entis, impoſſibile eſt quod aliquid contingat præter ordinem diuinę gubernationis; ſed ex hoc ipſo quod aliquid ex vna parte recedere videtur ab ordine diuinæ prouidentiæ, qui conſideratur ſecundùm aliquam particularem cauſam, neceſſe eſt quod in eundem ordinem diuinę prouidentiæ, ſecundùm aliam cauſam relabatur: Verbi gratia, peccator obſtinatus qui propter ſua ſcelera videtur recedere ab ordine diuinæ prouidentiæ ſecundùm rationem gratiæ, quæ debuiſſet eſſe cauſa ſalutis ipſius; in eundem ordinem diuinæ prouidentiæ vel inuitus recidit ſecundùm rationem iuſtitiæ, per quam ipſi æterna pæna damnationis infligitur, quæ in ipſam Dei gloriam finaliter redundat.

Tertia difficultas. Quod ſpectat ad tertium, ſeu ad modũ diuinę gubernationis; maximè conſiderãdũ eſt, Deũ nonnunquam immediatè tantùm gubernare, interdum verò idque ſępius mediatè ſimul & immediatè ſub diuerſa conſideratione. Immediatè tantùm Deus gubernat creaturas, cũ ipſe ſolus in ipſis aliquid operatur propter finem, vt cùm ipſe ſolus animum hominis ad bonum inſtigat: mediatè verò ſimul & imme-

diatè, cùm ipſe vnà cũ cauſis ſecundis aliquid in ſuis creaturis operatur: mediatè quidem quatenus per aliquas res, tamquam per cauſas medias quas ipſe per ſe mouet & applicat, res alias regit ac moderatur: & tamẽ ſimul immediatè, quatenus ipſe tanquã cauſa vniuerſalis rebus omnibus intima attingit proximè & immediatè, tũ immediatione ſuppoſiti, tũ immediatione ſuę virtutis infinitæ omnẽ effectũ cauſarũ ſecundarũ, vti iã monuimus diſp. 15. primi tra. q. 3. Lege diuũ Thomã hîc q. 103 art. 6. vbi expreſſè docet, duo in gubernatione conſideranda eſſe: nempe rationem gubernationis, quæ eſt prouidentia: & exequutionẽ, quæ eſt ipſamet gubernatio propriè dicta. Quantũ igitur ad rationẽ gubernationis attinet (inquit) Deus omnia immediatè gubernat; quantum autẽ pertinet ad exequutionẽ, Deus gubernat mediantibus aliis: quẽ quidẽ modũ gubernandi poſteriorem, diuinæ ſapientiæ ac bonitati maximè congruere ibidẽ demõſtrat S. Doctor in hunc modũ: Cũ (inquit) per gubernationẽ res quę gubernãtur ſint ad perfectionẽ perducendæ, tantò erit melior gubernatio, quantò maior perfectio à gubernante rebus gubernatis communicatur: maior autẽ eſt perfectio quod aliquid in ſe ſit bonum, ac ſimul etiam ſit aliis cauſa bonitatis, quã ſi eſſet ſolũmodo in ſe bonũ, & ideo ſic Deus res gubernat vt quaſdã aliarum in gubernãdo cauſas inſtituat: ſicut ſi aliquis Magiſter diſcipulos ſuos non tantùm doctos faciat, ſed etiam aliorum Doctores. hactenus D. Tho. Licèt autem

Duo in gubernatione cõſiderãda

poſſet Deus omnia tantùm immediatè gubernare,ſunt tamen quædam quæ ſolet ipſe immediatè tantũ gubernare;vt sũt Angeli primę hierarchiæ(vt præclarè explicat diuus Dionyſius in ſuo libro de cæleſti Hierarchia) & cauſæ rerum vniuerſaliſſimæ,idque aut ſecundũ ordinem naturæ,aut ſecundùm ordinem gratiæ, aut ſecundùm vtrumque:quædam verò ſunt quæ non ſolet tantùm immediatè gubernare, ſed etiam mediatè ſeu mediantibus cauſis ſecundis;vt ſunt res iſtæ omnes ſublunares,ſiue animatæ ſint,ſiue inanimatę,ſiue rationales,ſiuę rationis expertes;quas nonniſi Angelorum miniſterio,cęlorum influxu,elementorum tẽperie,aliarumque cauſarum particularium interuentu ordinariè gubernat.

Quænam ſunt partes ſeu præcipui actus ac effectus diuinæ gubernationis.

QVÆSTIO II.

Gubernatio actiuè & paſſiuè ſumitur.

QVoniam gubernatio ſicut & alia id genus verbalia vocabula,tùm actiue cùm paſſiuè ſumi poteſt,ſicut & de creatione dictum eſt diſ.2.huius tract.q.1.actiuè quidẽ quatenus ſecundũ ipſam Deus denominatur Gubernãs; paſſiuè autẽ quatenus ſecundũ ipſam creatura denominatur gubernata.Gubernationem hîc vt plurimùm accipimus prout eſt actus quidã diuinus à diuina prouidentia in creaturam tranſiens:quæ quia in duobus conſiſtit,vt iam præmonuimus in præfatione huius diſputationis,nempè in conſeruatione creaturarum in ſuo eſſe,& in directione earundẽ in ſuos fi-

Digitized by

nes:idcirco duos in genere actus diuinæ gubernationis,ſeu duas partes ipſius præcipuas eſſe aſſerimus,nempè conſeruationem & directionem;qui etiam effectus diuinæ gubernationis dicuntur,ſi paſſiuè accipiantur.

Duo eſſe actus ſeu effectus diuinæ gubernationis probatur primo.

Quòd autem illi ſint duo ſiue actus ſiue effectus in genere diuinæ gubernationis, patet; tum quia in ipſis actibus conſiſtit omnis exequutio diuinæ prouidẽtiæ, & ad iſtos omnes, alij magis ſpeciales actus ac effectus diuinæ gubernationis reducuntur, vt ex ſequentibus patebit;

Secundo.

tum quia cũ creatura conſiderari poſſit dupliciter,nempè quoad eſſe,& quoad benè eſſe,conſeruatio pertinet ad eſſe creaturæ, directio verò ad benè eſſe :

Nota.

quo loco obiter aduerte,directionem eſſe magis præcipuum actum diuinæ gubernationis, cùm exequutio diuinæ prouidentiæ in hoc maximè actu poſita ſit ac innoteſcat ; & conſeruatio rei ad ipſius directionem per ſe ordinetur:nam vnumquodque eſt vt bene ſit, ſeu vt perficiatur,ac ſuum finem tandem aſſequatur ; quò fit vt gubernatio pro ſola directione ſæpenumerò accipiatur,nunquam verò pro ſola conſeruatione.

Porrò quoniam Deus dirigit creaturã ad ſuũ finem,tum immutando ipſam in melius, ſiue immediatè tantùm per ſeipſum ſolum , ſiue etiam mediatè per aliud ſeu per cauſas ſecundas;cùm etiam cooperando cum ipſa,ſeu concurrendo ad ipſius operationem:hinc directio in duas partes ſeu actus ſubdiuiditur, nempe immutationẽ & cooperationẽ,ſeu cõcurſum.

vbi obiter nota hîc immutationem & cooperationem actiuè ſumi, quamuis immutatio poſſit etiam paſſiuè accipi; quomodo non tã actus, quàm effectus diuinæ gubernationis appellatur hîc à D. Thoma: cooperatio verò ſeu concurſus actiuè tantùm. Quod autem illi ſint duo actus diuinæ directionis confirmatur; quia in qualibet creatura duplex eſt in genere potentia ſecundùm quam per directionem perficitur, nempe potentia paſſiua & actiua: & quidem ſecundùm potentiam paſſiuam creatura perficitur, dum à Deo in melius immutatur: ſecundùm actiuam verò perficitur dum per diuinam cooperationem ſeu concurſum in operando adiuuatur.

Corollariũ 3. actus diuinæ gubernationis.

Ex his intelligis tres eſſe ſpeciales actus diuinæ gubernationis, nempè conſeruationem diuinam, immutationem, & cooperationem; qui effectus ſeſe optimè ordine conſequuntur: namque vbi Deus res creauit, tum primùm illas res creatas conſeruat, deindè in melius mutat, ac tandem cum ipſis cooperatur: & ſicut ſe habet creatio ad conſeruationem, ita ſe habet immutatio ad cooperationem; Ex quibus cùm conſeruatio & immutatio tantùm paſſiuè poſſint accipi, idcircò iure optimo aſſerit Diuus Thomas iſtos tantùm eſſe duos effectus diuinæ gubernationis, licèt immutationem in plures alias ſpecies ſubdiuidat. Quærendum igitur eſt ſpeciatim de illis tribus diuinæ gubernationis actibus, & primùm de conſeruatione, deinde de

Digitized by

immutatione, tandem de concurſu ſeu cooperatione.

Quid ſit conſeruatio, an ad omnia ſe extendat, & quomodo.
QVÆSTIO III.

QVæ de gubernatione generatim, eadem de conſeruatione ſpeciatim hîc quæri poſſunt, nempè quæ eius ſit ratio, amplitudo, & modus: quo loco prænotandum eſt, nos hîc loqui de conſeruatione diuina, qua Deus per ſeipſum influendo in creaturam, ipſam in ſuo eſſe tuetur; poteſt autem conſeruatio tùm actiuè, cū paſſiuè accipi, vt ex prædictis patet. *Notādum.*

Quod igitur ſpectat ad primum: conſtat ex antedictis conſeruationem diuinam eſſe partem, ſeu actum aut effectum diuinę gubernationis; & ad exequutionem diuinę prouidentiæ pertinere; quæ licèt primam rei productionem præſupponat, ſummam tamē habet cum ipſa affinitatem, ita vt non immeritò conſeruatio dicatur eſſe continua quædam rei productio; & ſanè ſi quid eſſet ab æterno productum, vix poſſet in eo diſtingui cōſeruatio à productione. *Prima difficultas: de ratione gubernationis* Quòd igitur conſeruatio ſumpta pro continuo influxu Dei in creaturam quoad ipſius eſſe, ſit idem re cum creatione, ſeu prima eius productione, ex eo comprobatur; quod creatio, & eiuſmodi conſeruatio verſentur circa eundem terminum, cum quo termino ſunt idem realiter, nempè circa eſſe rei; ſi quidem ipſum eſſe quod Deus crean- *Conſeruationem eſſe eandem re cum creatione probatur.*

do tribuit, idem conſeruando impertit: quod tamen ſit aliquod diſcrimen accidentale inter vtramque ex eo liquet, quòd conſeruatio rei tendat in eſſe rei iam præhabitum; at creatio feratur in eſſe rei prout primo rei confertur, ſeu quod (vt aliis verbis vtar) creatio vel prima quæuis rei productio dicat effectionem rei, connotando quod res antea non fuerit; conſeruatio autem dicat eandem effectionem, connotando quod res antea iam fuerit: patet etiam illud diſcrimen ex eo quod non dicitur res conſeruari in primo inſtanti quo creatur ſeu producitur; neque creari aut produci poſt primum illud inſtans, reliquo tempore quo conſeruatur. Poteſt igitur ex prædictis colligi hæc deſcriptio conſeruationis, prout ſuo modo à productione rei diſtinguitur, *Influxus Dei actualis, quo ipſum eſſe creaturis continuò, non tamen primò tribuitur.* Ex qua deſcriptione colligere eſt, conſeruationem ſicut & quamlibet rei productionem à Deo, eſſe actionem ipſius tranſeuntem, & non tantùm actionem ipſam immanentem intellectionis ac volitionis diuinæ, cum adiuncta quadam rationis relatione ad creaturas iam productas, vt nonnulli minùs probabiliter arbitrantur.

Secunda difficultas de gubernationis amplitudine.

Probatur 1. authoritate.

Quod ſpectat ad ſecundum. Cōſeruationem diuinam ad omnia ſe extendere, ſeu omnia à Deo conſeruari, probatur primùm authoritate ſacræ Scripturę, Sap. 11. *Quomodo poſſet aliquid permanere niſi tu voluiſſes?* Actorum 17. *In ipſo viuimus, mouemur, & ſumus.* Ad Rom. 11. *Ex ipſo, per ipſum, & in ipſo ſunt omnia.* Ad Colloſſ. 1.

Omnia in ipſo conſtant. Et ad Hæbr. 1. *Portans omnia verbo virtutis ſuę.* Secundò probatur ratione D. Thom. hîc qu. 104. art. 1. cuius hæc ſumma eſt, Deus eſt cauſa rerum, non tantùm quoad fieri, ſed etiam quoad eſſe directè & per ſe primò: quando autem effectus pendet à ſua cauſa quoad eſſe directè & per ſe primò, pendet non ſolùm in fieri, ſed etiam in conſeruari, quia ſicut quando aliquid eſt cauſa effectus in fieri, non poteſt manere ipſum fieri ceſſante actione talis cauſę. Ergo quando aliquid eſt cauſa effectus quoad eſſe directè per ſe primò, non poteſt manere illud eſſe ceſſante actione ſeu influxu talis cauſæ. Confirmatur adhuc hac ratione; quia omne ens limitatum & per participationem pendet à Deo tanquam à cauſa, vt dictum eſt ſuprà diſp. 1. huius tract. qu. 1. ſed vnaquæque res creata non modò in fieri, ſed etiam in facto eſſe, & quatenùs in ſuo eſſe perſeuerat, eſt ens limitatum & per participationem, ergò etiam quatenùs in ſuo eſſe perſeuerat pendet à Deo tanquam à cauſa: At verò rem aliquam ab aliquo conſeruari nihil aliud eſt, quàm ab alio tanquam à cauſa ſui eſſe pendere, etiam dum in eo eſſe perſeuerat.

Secundò Ratione cōfirmatur.

Alia adhuc ratione cōfirmatur

Ex quo intelligis vnamquamque rem creatam, ſtatim in nihilum redigendam, ſi Deus vel tantillùm ceſſet ab eo influxu, quo eam in ſuo eſſe ſuſtentat, iuxta illud Iob 6. *Soluat manum ſuam & ſuccidat me*: Quod tamen nuſquàm accidit;

neque enim id in gloriam Dei cederet, quæ in rerum conſeruatione magis elucet; neque id naturæ rerum congruit, quarum nulla eſt ad id naturalis propenſio.

Tertia difficultas: de modo eiuſdem gubernationis

Denique quod ſpectat ad Tertium, duo ſunt circa illud aduertenda. Primum eſt Deum alio modo conſeruare res natura ſua corruptibiles, alio modo incorruptibiles: corruptibiles enim conſeruat tùm directè impertiendo illis continenter eſſe, cùm indirectè remouendo ab illis ea per quæ corrumperentur: incorruptibiles verò directè tantùm, quia indirecta illa cõſeruatione non indigent, cùm nullis corruptiuorum agentium inſultibus pateant, vt optimè monet hîc. S. Thom. loco citató: alterum eſt Deum immediatè tantùm conſeruare res omnes, etiam corruptibiles, ſi conſiderentur quoad totum ſuum eſſe ſimpliciter, ita vt nulla res etiam corruptibilis, vt ſic, nempè ſecundùm totum ſuum eſſe conſeruari poſſit per aliam rem creatam, ſed ab ipſo ſolo Deo conſeruetur: ſicut nonniſi à ſolo Deo ſecundùm illud totum ſuum eſſe produci poteſt: at verò Deum mediatè ſimul & immediatè conſeruare res Phyſicas corruptibiles, ſecundùm ſuum eſſe ſpecificum quod habẽt, præſuppoſita materia per formam: ita vt res illę ſecundùm illud eſſe dependens à materia conſeruentur, non tantùm à Deo, ſed ſimul etiã à cauſis ſecundis, tùm vniuerſalibus, cũ etiam interdùm à cauſis quibuſdam particularibus. Quo loco nota nõ omnes omninò res phyſicas corruptibiles, adeò dependere ab aliis cauſis ſecundis etiam

Nota,

vniuerſalibus, vt non poſſint ſecundùm ſuum eſſe phyſicum, abſque illis nullo alio concurſu extraordinario interueniente ſubſiſtere: ſed dictum illud intelligendum eſſe maximè de rebus phyſicis viuentibus: probabile enim eſt neque plantas, neque animalia, abſque cœleſtium corporum influxu poſſe ſaltem diù naturaliter conſeruari, ſicque Deum nonniſi mediatè ſimul & immediatè res illas conſeruare.

An Deus immutare poßit quaſlibet creaturas, & quomodo.
QVÆSTIO IIII.

QVaſlibet creaturas à Deo ſaltem per cauſas ſecundas immutari, ęquè certum eſt ac eas ab ipſo gubernari & dirigi: cùm ipſas ad finem dirigi nihil aliud ſit, quàm ipſas immutari in melius, idque vel in ordine ad bonum particulare ſuæ naturæ, vel in ordine ad bonum totius vniuerſi.

Verùm, maior difficultas eſt quibus modis poſſit Deus creaturas immutare. Sciēdum igitur eſt ex D. Tho. hîc qu. 105. art. 6. duobus modis in genere poſſe Deum creaturas immutare: vno modo conuenienter naturæ particulari earum, atque adeò ſecundùm conſuetum ordinem & curſum cauſarum naturalium: altero modo præter aut ſupra naturam particularem ipſarũ rerũ, & ordinem ſolitum cauſarum naturalium: de vtroque igitur immutandi modo aliquid ſpeciatim dicendũm eſt.

Duobus modis poteſt Deus creaturas immutare. Primo.

Secundo.

Digitized by Google

Quod ſpectat ad modum ordinarium & naturalem, quo ſolet Deus creaturas immutare, licèt à D. Thoma ſex eius ſpecies aſſignentur; poteſt tamen primò generatim diuidi, ſicut & ipſa conſeruatio in duas ſpecies: eſt enim alius modus quo ſolet Deus quædam immediatè per ſe ſolum immutare, quomodo Deus Angelos primæ hierarchiæ per luminis intellectualis infuſionem immutat; item etiam & electos per gratiæ communicationem: alius verò modus eſt quo ſolet Deus etiam mediatè per cauſas ſecundas res alias immutare, & quia res illæ per quas poteſt Deus immutare alias, vel ſunt purè ſpirituales vt Angeli, vel purè corporeę vt ſubſtantiæ omnes rationis expertes, vel mixtę vt homines; & adhuc per illas res, aliæ atque aliæ poſſunt immutari, inde exiſtunt quinque ſpecies immutationis mediatè: Prima eſt qua Deus per Angelos immutat alios Angelos, vt dicetur in proximè ſequenti tractatu de Angelis; ſecunda qua Deus per eoſdem immutat res purè corporeas, vt ibidem dicetur: tertia qua Deus per eoſdem immutat homines, vt partim dictum eſt in Ethicis, vbi de principiis externis humanarum actionum, partim etiam loco citato dicetur; quarta qua Deus per res purè corporeas immutat res alias; quinta qua Deus per homines immutat res alias, de quibus ex magna parte dictum eſt in Phyſicis, idcircò de ſingulis iſtis modis ſigillatim dicere hîc ſuperſedebimus. Lege D. Tho. à quæſtione 105. huius partis, vſque ad ipſius finem, ſeu vſque

Primus modus diuiditur in duas ſpecies.

Digitized by Google

ad quæſtionem 119.

Vna tantùm difficultas ſupereſt explicanda. Etſi Deus nonniſi mediatè ſoleat res præſertim corporales & ſublunares immutare; num poſſit tamen cùm voluerit quaſlibet per ſe ſolùm immutare, ſupplendo concurſum cauſarum ſecundarum. Reſpondetur rem ita eſſe: hoc enim ſpectat ad potentiam Dei infinitam, vt per ipſam poſſit efficere quicquid per aliarum cauſarum interuentum operatur, modò id nullam dicat imperfectionem in Deo, nec vllam inuoluat repugnantiam in creatura: quo fit vt Deus poſſit immediatè materiam immutare, inducendo in eam quamlibet formam ſubſtantialem, itemque poſſit per ſe ſolum quamuis rem accidentaliter immutare, tùm materialem ipſam transferendo, alterãdo, &c. tùm ſpiritualem intellectum illuſtrando, & affectum inclinando, &c. Ex quo intelligis Deũ poſſe ſupplere influxum cauſæ cuiuſlibet efficientis; præſertim eius quæ tranſeunter operatur, quæque effectũ à ſe realiter diſtinctum producit, ita vt poſſit Deus eiuſmodi effectum ſe ſolo pręſtare, quia neq; id ex parte ipſius effectus repugnat, neq; diuinã ipſius maieſtatem dedecet. Quoniã igitur vitales quędã actiones nõ sũt effectus cauſę trãſeunter operãtis, neq; per ipſas producitur effectus ab efficiẽte cauſa realiter diſtinctus, vt patet in intellectione & volitione; idcircò repugnat Deum iſtiuſmodi actiones per ſe ſolũ præſtare, vt cõmuniter docẽt Philoſophi & Theologi: immò licèt quędã aliæ ſint actiones vitales per quas producũtur

Aſſertionis difficultas.

Aſſertio tenenda.

Nota Deũ non poſſe per ſe ſolũ vitales actiones exercere.

quidam effectus realiter diſtincti à ſuis cauſis, & ſic non repugnet Deum per ſe ſolum iſtiuſmodi effectus præſtare: repugnat tamen Deum per ſe ſolum iſtiuſmodi actiones exercere: eſt enim de ratione formali actionis vitalis, vt ſit à principio vitæ formali. Exempli gratia, poteſt quidem Deus per ſe ſolum ſanguinem procreare, quod quidem naturaliter fit in animantibus perfectis: ea tamen ſanguinis productio quæ eſſet à ſolo Deo, non eſſet vitalis ſanguinificatio, qualis eſt in prædictis animantibus.

Dubitatio. Si quæras, vtrùm poſſit Deus ſupplere influxum, non tantùm cauſæ efficientis, ſed etiam cuiuſlibet alterius cauſæ. *Salutio.* Reſpondetur poſſe quidem Deum præſtare effectum cauſæ cuiuſlibet finalis per ſe & immediatè: ſicque dici poſſe ſupplere ipſius influxum, non verò poſſe præſtare per ſe ſolum totalem effectum cauſę formalis & materialis: ſicque non poſſe ſupplere totalem influxum harum cauſarum, ſiquidem pertinet ad effectum cauſæ formalis & materialis conſtituere totum compoſitum: At repugnat Deum in vllius rei compoſitionem venire, vt aliàs dictum eſt, vbi de eius ſimplicitate: hinc eſt quod vulgò docent Philoſophi & Theologi, Deum ſupplere poſſe vices cauſæ efficientis & finalis, non verò materialis ac formalis: quod intelligendum eſt quoad totalem ipſarum effectum: nihil enim repugnat Deum ſupplere vices materiæ, ſuſtentando formas ſiue ſubſtantiales, ſiue accidentarias: ſic

etiam

etiam ſupplere vices formæ, continendo materiam, ne abſceſſu formæ in nihilum recidat, quod ſecedente forma euenturum fore nonnulli probabiliter arbitrantur.

Quod ſpectat ad modum ſupernaturalem & extraordinarium, quo Deus poteſt creaturas immutare, poteſt is tripliciter contingere, vt docet ſanctus Doctor quæſt. 105. art. 8. Poteſt (inquit) aliquid tripliciter naturæ facultatem excedere: vno modo quantum ad ſubſtantiam facti, vt quòd duo corpora ſint ſimul, vel quòd ſol retrocedat, aut quod corpus humanum fiat impaſſibile; hæc enim & ſimilia nullo modo natura facere poteſt, tenentque ſummum gradum in miraculis. Secundo modo aliquid excedit facultatem naturæ, non quantum ad ſubſtantiam facti, ſed ratione ſubiecti, ſicut eſt ſuſcitatio mortuorum, & cœcorum illuminatio; poteſt enim natura vitam cauſare, ſed non in mortuo, & ſimiliter viſum præſtare, ſed non cæco; & hæc tenent ſecundum locum in miraculis: tertio modo aliquid excedit facultatem naturæ quantum ad modum & ordinem faciendi, vt cùm quis repente curatur à morbo abſque proceſſu naturæ conſueto in talibus, vel cùm ſtatim aër diuina virtute abſque naturalibus cauſis in pluuias reſoluitur, vt factum eſt ad preces Heliæ tertii Regum 18. & hæc inter miracula infimum gradum obtinent. Quocunque igitur modo ex iis tribus aliquid fit, appellatur miraculum; quod id genere definiri

Modus ſupernaturalis & extraordinarius, quo Deus creaturas immutat, Triplex aſſignatur.

Primus modus.

Secundus modus.

Tertius modus.

Definitio miraculi in genere.

Digitized by Google

poteſt, Id quod fit præter naturalem & conſuetum rerum ordinem : Et quoniam quidquid accidit præter id quod alioquin exigit natura & ordo conſuetus rerum, ſuperat omnem efficiendi & cognoſcendi facultatem naturalem , idcircò mouet admirationem, quare miraculum appellatur ab admiratione: quæ ex eo naſci ſolet, quòd effectus quidam ſint nobis manifeſti, cauſa verò occulta: quod ſpecialiter in miraculis contingit, quorum cauſa non aliquibus tantùm , ſed omnibus planè hominibus eſt occulta, vt rectè docet S. Thomas hîc quæſt. 105. art. 7. idque ex Diuo Auguſtino lib. 2. contra Fauſtum cap. 3. vbi ait, *Magnalia ſeu mirabilia, id eſt miracula appellari, quæ à Deo fiunt contra ſolitum ac nobis cognitum naturę curſum.*

Cōſectaria quadam Notandū primo.

Ex iis nonnulla conſequũtur circa miraculorum rationem diligenter obſeruanda. Primùm, multa eſſe Dei opera in rerum natura longè præſtantiora miraculis, quæ quia iuxta conſuetum naturę ordinem perſeuerãt, nõ dicuntur propriè miracula ; cuiuſmodi ſunt ea quæ recenſet Sapiens 1. c. Eccl. & alia id genus mira, quorum cauſę licèt naturales ignorãtur, quę propterea naturę miracula dici cõſueuerunt. Secundò, quoſdam eſſe gradus miraculorum, itaut ea dicantur maiora miracula quæ naturæ facultatem & ordinem videntur magis excedere ; ſic inter tria prædicta miraculorum genera maiora ſunt ea quæ fiunt præter naturam ſecundùm ſubſtantiam facti , quàm quæ fiunt præter naturam ra-

tione ſubiecti, & hæc adhuc maiora quàm quæ fiunt prter naturam ex parte ſolius modi, vti iam monuimus: quamquam par ſit poteſtatis diuinæ facilitas in patrandis quibuſuis miraculis: ſicut etiam eadem eſt facilitas in maximis, & in minimis rebus procreandis ac gubernandis.

Tertiò, miracula diuerſa conſideratione dici poſſe contra naturam, præter naturam, & ſecundùm naturam. Dicuntur contra naturam, quatenus natura particularis ſecundùm ſe ſpectata exigit aliud quiddã oppoſitum ei quod in illa fit per miraculum; ſic enim natura hominis cæci exigit permanentiam cæcitatis, cui oppoſitus eſt viſus, qui interdum per miraculum reſtituitur. Dicuntur præter naturam, quatenùs ſupra naturæ limites ſeu ſupra omnem vim agentiũ naturalium diuinitùs exercentur. Denique dicuntur ſecundùm naturam, quatenùs rebus omnibus à natura indita eſt obedientialis quædam potentia reſpectu omnipotentiæ diuinę, cui omnia naturaliter ſubſunt; itaut ſecundùm potentiam illam obedientialem res omnes naturalem inclinationem habeant ad obediendum diuinæ voluntati: ſicque cùm Deus per ſuam voluntatem & omnipotentiam operatur aliquid præter ordinem rebus inditum, non agit ſimpliciter contra naturam, ſed tantùm ſecundùm quid, nempè ſpectatâ particulari rerum conditione ſecundùm ſe. Repeti poſſunt

Tertiùm Miracula contra, vel præter, vel ſecundùm naturam.

hîc quæ de potentia obedientiali dicta ſunt in 3. part. Metaphy. diſ. 3. quæſt. 13. Quæ verò talia ſunt vt inuoluant repugnantiam & contradictionem, ea ſimpliciter ſunt contra rerũ naturam quoquomodo ſpectatam, tum in ordine ad ſe, cùm in ordine ad omnipotentiam Dei: quo fit vt non poſſint à Deo fieri etiam per potentiam eius extraordinariam; de qua dictum eſt in 1. tract. huius partis diſp. 18. vbi de potentia Dei.

Quartũ, nõ omnis ſupernaturalis Dei operatio dici ſolet miraculum.

Quartò iuxta doctrinam Diui Thomæ loco citato art. 7. non cuiuſlibet rei productionem quæ ſupra naturæ ordinem fit à Deo, dici ſolere miraculum; ſed eius maximè quæ ſecundũ conſuetũ naturæ ordinem poſſet ac deberet per alias cauſas ſecundas fieri: quæ cauſa eſt cur nec creatio, ſeu prima rerum productio ex nihilo, nec iuſtificatio ſeu gratiæ productio in anima non dicuntur propriè miracula; quia iſta non ſunt apta fieri per alias cauſas: adde etiam ea non ſolere dici miracula, quæ licèt ſupra naturam fiant, nihilominus tamen ſecundùm præſentem gratiæ ſtatum fieri conſueuerunt, ſpectat enim ad rationem miraculi vt rarò fiat: quo fit vt cùm in tremendis myſteriis; Panis in Chriſti corpus ſupernaturaliter tranſmutatur, non tamen id miraculum ſoleat appellari, ſed potiùs admirabile myſteriũ; licèt tamen latiùs ſumpto nomine miraculi, hæc & alia id genus verè dici poſſint miracula.

Rationes cur Deus

Cæterùm, ratio cur Deus nonnunquam ſupernaturaliter immutet creaturas, ſeu cur nõ-

numquam edat miracula, varia eſt & multiplex: hoc enim agit nonnumquam ad manifeſtandam ſuam potentiam, vt ſic excitentur homines ad agnoſcendam & venerãdam diuinam illius maieſtatem; interdum ad manifeſtandam iram, vt ſic terreantur homines, ac ipſius iudicia pertimeſcant, ſicque emendentur, & à peccatis reſipiſcant; ſæpe etiam ad cõfirmanda fidei myſteria, vt firmiùs homines illis adhęreant, ſicque per ipſorum fidem ad ſalutem perducantur. Ex quibus intelligis (vt alias rationes breuitatis cauſa prætermittam) immutationem illam ſupernaturalem pertinere maximè ad gubernationem creaturarũ rationalium, ſecundùm ſtatum gratiæ in ordine ad ſtatum futurę gloriæ. *ſupernaturaliter immutet creaturas.*

Quid ſit cõcurſus Dei, & an ad omnem agẽtis creati operationem ſit neceſſarius.

QVÆSTIO V.

NON eſt nobis propoſitum hoc loco diſſerere de ſpeciali cõcurſu Dei cũ libero hominis arbitrio, præſertim in ordine ad actus ſupernaturales gratię, de quo alius erit diſſerẽdi locus, in 3.p. huius Sũmę, vbi de Gratia. adde quod etiam nõnihil de ipſo in ordine ad actus purè humanos iã dictũ eſt in 2.p. Eth. tra.2.d.1.q.1. & 2. Sed locus hic poſtulat, vt de cõcurſu Dei generatim, in ordine ad quoſuis actus cuiuſlibet agẽtis creati diſſeramus. De quo duo maximè occurrunt explicanda, quæ nempe ſit eius ratio, & quanta ſit eiuſdem ad omnia neceſſitas; ad iſta enim duo capita *Duo quæruntur de concurſu diuino.*

reliquæ omnes difficultates reducuntur. Quæ vt clariùs exponantur nõnulla prænotáda sũt; imprimis tria hæc diſtingui in quauis operatione, nẽpe ſuppoſitũ agens, cõcurſum, & effectum; nã ſuppoſitũ eſt quaſi primũ principium actionis; Effectus eſt vltimus terminus eiuſdem actionis; cõcurſus autẽ inter vtrũque medius dicit aliquid per modũ influxus vel tẽdentiæ à ſuppoſito agẽte ad terminũ; ſiue ſuppoſitum illud agens ſit primum, cuiuſmodi eſt ſolus Deus; ſiue ſecũdũ, cuiuſmodi eſt quælibet cauſa creata. Secundò notandũ eſt, cõcurſum cauſæ primæ dupliciter accipi poſſe. 1°. per modũ principii, quomodo concurſus Dei eſt aliquid immanẽs in ipſo Deo, nẽpe eius volũtas & potentia; ſic enim dicere poſſumus Deũ per voluntatem & potentiã cõcurrere cũ cauſis ſecundis. 2°, accipi poteſt concurſus cauſæ primæ per modum actionis, quomodo eſt aliquid trãſiẽs ſiue manãs à Deo, & receptum in creatura, diciturq; eius cooperatio, ſupponitq; cõcurſus iſte poſterior trãſiẽs & externus cõcurſũ priorẽ immanẽtẽ & internũ. 3°. notandũ eſt cõcurſum iſtum poſteriorẽ, de quo maximè hîc agere intẽdimus, cõſiderari poſſe dupliciter, nẽpe vel in ordine ad causã ſecundã ipſi cauſæ primæ ſubordinatã, vel vlterius in ordine ad actionem & effectũ iſtius cauſæ ſecundæ.

Notandũ primo.

Notandũ ſecundo.

Notandũ Tertio.

His poſitis quæri poſſet. An per cõcursũ Dei externũ, intelligi poſſit actus quidã Dei, quo influat in ipſas cauſas ſecũdas, illas complẽdo in ratione cauſæ, ſiue proximè diſponẽdo, excitando & applicando ad operãdũ; quòd ſi

Quæſtionis difficultas proponitur.

nõ poſſit cõcurſus iſte hoc modo accipi, quæri poteſt an cõcurſus aliter sũptus ſit omnino neceſſarius, & qui tandẽ ille ſit, & quomodo tũ à cauſa prima, tũ à cauſa ſecũda, tũ etiam ab ipſius actione & effectu diſtinguatur: quibus omnibus difficultatibus ſequentibus propoſitionibus ſatisfiet.

Prima propoſitio. Nõ videtur admittendus ille cõcurſus Dei quo dicitur influere in cauſas ſecundas, vt illas ad naturaliter operandũ excitet, quomodo experimur cuiuſpiã artis inſtrumenta prçuia quadã motione ab artifice ad aliquod opus cõficiẽdũ applicari. Probatur hæc ꝓpoſitio aduerſus pleroſq; D. Th. ſectatores, qui cõtrariũ colligũt ex ipſo D. Th. hîc q.105.a.5.& in 1.2. q.109.a.1. Probatur inquam noſtra propoſitio: quia eiuſmodi influxus ſeu cõcurſus Dei eſt plane ſuperfluus: vt enĩ cauſa ſit proximè diſpoſita ad operãdũ, ſufficit quod ipſa ſit prædita naturali virtute requiſita ad eliciẽdam actionẽ, itẽ quod materia circa quã operatur ſit diſpoſita, quod ſit requiſita applicatio cauſæ agentis ad ſubiectũ, & quod iſthæc omnia à Deo in ſuo eſſe ac debita diſpoſitione cõſeruentur; exẽpli gratia, vt ignis calorẽ producat, ſatis eſt naturalis ipſius vis & ſubiectũ, verbi causâ lignum aptè diſpoſitum, cum aliis vulgatis circumſtantiis: ſicque ſuperfluũ videtur aliud ex parte Dei, prçter ipſius concursũ in actionẽ & calorem qui producitur, deſiderari: præſertim cũ nulla ratio probabilis afferatur, cur iſtiuſmodi influxus vnà cũ influxu ignis non ſatis ſit ad producendum calorem.

Prima propoſitio.

Probatur primo.

Adde quòd ſi neceſſarius eſſet influxus ille excitatiuus & impulſiuus cauſarum ſecundarum, ſequeretur liberum arbitrium impelli & excitari præuia aliqua motione à Deo ad ſuos actus etiam purè humanos exercendos; quod tamen minùs probabile eſſe docuimus loco ſupracitato Ethi.q.3.vbi aſſeruimus, ſufficere ad eliciendos actus humanos concurſum Dei cum libero arbitrio, abſque vlla eiuſmodi prę̨uia motione: licèt vltrò cõcedamus in ordine ad actus ſupernaturales gratiæ, voluntatem moueri & excitari à Deo per impulsũ gratiæ præueniẽtis, quomodo accipiẽda ſunt iſta diuinæ Scripturę oracula Iob.12. *Qui immutat cor principũ.* Prou.21. *Cor Regis in manu Dei.* & Hier. 10. *non eſt in homine via eius, à Domino greſſus hominis dirigũtur.* Neque huic noſtræ aſſertioni obeſt illud cõmune Peripateticæ ſcholę effatũ ex l.7.Phyſ.c.10.& l.8.c.5.quo plerique Thomiſæ innitũtur, nempe ſupremũ mouẽs, mouere immotũ, cauſas verò ſecundas non mouere niſi motas à ſuperiori cauſa: neq; enim illud ſic accipiendũ eſt, quaſi ſecundę cauſę nõ moueant niſi præuio quodã influxu ſeu motu cõcitẽtur; ſed quòd non moueãt niſi dependenter à cõcurſu ſeu cooperatione primi agẽtis, & quod ĩterdũ etiã ipſæ moueri ſeu ĩmutari poſſint à cauſa ſuperiori. Adde q; etiã ſufficienter moueri ſeu excitari ad operãdũ cõcipiũtur per influxũ primę cauſæ immanẽtẽ & internũ; nõ enim quidquã operari poſſũt niſi per volũtatẽ & potẽtiã Dei: ex quibus colligere eſt cõcurſum illum quo Deus ſimul cum cauſis ſecundis influit in effectum, naturæ ordine eſſe

Occurritur obiectioni.

Conſectarium.

priorem influxu cauſæ ſecundæ; ideoque Deũ dici poſſe priùs natura operari, quàm cauſa ſecunda circa quemlibet effectum: Non tamen propterea exiſtimes concurſum Dei eſſe priorem concurſu cauſæ ſecundæ prioritate cauſalitatis (vt loquuntur) ſed tantùm prioritate dignitatis, & independentiæ: cùm enim concurſus ille tranſiens ſit idem realiter cum concurſu cauſæ ſecundæ, vt patebit ex ſequentibus, non poteſt intelligi quomodo vnum & idem ſit cauſa ipſius.

Secunda propoſitio. Admittendus eſt concurſus Dei quo cum cauſis ſecundis influat in omnes earum actiones & effectus: poteſtque probari imprimis iiſdem authoritatibus & rationibus quibus ſuprà probauimus Deum eſſe cauſam immediatam rerum omnium, nempè diſp.1.huius tract.q.2 quod idem eſt ac Deum ſimul cum cauſis ſecundis concurrere etiam immediatè ad quoſuis effectus producendos; quod etiam docet hîc S.Thom.q.105. art 5. & præterea iiſdem rationibus, quibus ſupra oſtẽſum eſt q.3. huius diſputationis neceſſarium eſſe Dei influxum ad res omnes conſeruãdas. Confirmari adhuc poteſt in hunc modum. In agentibus per ſe & eſſentialiter ſubordinatis, inferius non cauſat niſi dependenter à ſuperiori; ita vt ſuperius ſimul concurrat ad ipſum cauſandi actum ex Ariſtot. 2. Metaph. cap.2. text.5. immò vt idem Ariſtot. docet 8. Phyſ. c. 3. text. 41. cauſa prior priùs & efficaciùs mouet quàm poſterior: Atqui Deus eſt ſuprema & prima cauſa, cui eſſentialiter ac per ſe ſubor-

Secunda propoſitio.

Confirmatur ratione primò.

dinantur omnia agentia creata; nullum igitur agens creatum vllam poteſt actionem edere, abſque Dei cooperantis influxu ſeu concurſu.

Secundò. Deinde, niſi hoc modo Deus cum cauſis ſecundis concurreret, non alia ratione quàm contrarij agentis obiectu, ipſarum actus præpedire poſſet; quod diuinæ potentiæ nonnihil derogat; necnon & veritati diuinæ hiſtoriȩ, quæ non aliter Babylonicæ fornacis ignem prȩpeditum fuiſſe, ne pueros in illum iniectos abſumeret non obſcurè innuit. Denique non

Tertiò. eſt maior ratio cur omnia immediatè à Deo conſeruentur, quàm ab ipſo immediatè producantur; non enim magis aliquid pendet à Deo cùm factum eſt quàm dum fit: atqui nihil creatum poteſt, vel momento conſiſtere abſque Dei ipſum tuentis continuo influxu, vt ſupra probatum eſt: ergo nec etiam produci ſeu fieri.

Obiectio. Verùm obiicies: ſi Deus ſimul cum cauſis ſecundis immediatè concurreret ad omnes ipſarum actus & effectus, ſequeretur Deum non agere mediis cauſis ſecundis, aut certè influxum cauſarum ſecũdarum videri ſuperfluum, cùm ſolus Dei concurſus ſatis ſit ad quemlibet

Solutio. actum vel effectum præſtandum. Reſpondetur primò, etſi Deus attingat immediatè actiones & effectus cauſarum ſecundarum, vt aliàs dictum eſt; dici tamen operari mediis cauſis ſecundis, non quaſi ita intermediȩ ſint inter influxum Dei & effectum, vt aliquam inter vtrumque diſtantiam efficiant, ſed quia non ſolet Deus abſque ipſis eiuſmodi effectus pro-

ducere. Secundò illud addimus, nõ eſſe ſuperfluũ cauſæ ſecundæ concurſum, quia non impeditur concurſus cauſę primæ, nec talis à Deo concurſus exhibetur, vt ſolus eſſet ſufficiens producere eiuſmodi effectũ ſine cõcurſu cauſæ ſecundæ. Iampridẽ enim à Scholis Philoſophorũ & Theologorũ exploſa eſt quorũdam opinio exiſtimantiũ nullã eſſe vim agendi propriam cauſarũ ſecundarũ, ſed eſſe pura inſtrumenta cauſæ primæ per quæ Deus ſolus abſq. vllo ipſarũ actiuo cõcurſu omnia operaretur: cõtra quos faciũt hęc ſacræ Scripturæ teſtimonia, vt Geneſ. 1. *Germinet terra herbam virentẽ.* Et Lucæ 21. *Videte ficulneam, & omnes arbores cum producunt iam ex ſe fructum, &c.* vt prętermittam rationes quas Phyſici in medium adducunt.

Tertia propoſitio. Cõcurſus Dei eſt actus ſeu operatio Dei tranſiens, ne exiſtimes concursũ Dei eſſe ipsũ Deũ rebus præſentẽ, aut ipsã Dei volũtatẽ ac potẽtiã. Id enim nõ poſſe dici probatur, ſimulque noſtra propoſitio cõfirmatur; quia concurſus Dei ſeu ipſius cooperatio eſt aliquid tẽporale, quod tandiù duntaxat durare concipitur, quandiù durat cauſæ ſecundę operatio ſeu effectusproductio; at verò intellectio ac volitio Dei, ſicut & ipſius potentia ſunt ab æterno; ſicut etiam Deus ipſe æternus eſt. Si dicas concurſum illum dici poſſe voluntatem ac potentiã, nõ ſimpliciter & abſolutè, quomodo sũt ab æterno; ſed cũ relatione rationis adiũcta in ordine ad cauſam ſecundam, quatenus in ſuo operari pẽdet à Deo. Occurro cõcursũ ſeu

Tertia propoſitio. *Probatur ratione.* *Obiectio.* *Solutio.*

cooperationem Dei,etiam vt eſt aliquid temporale,non dicere formaliter aliquid rationis, cùm Deus per ipſum concipiatur realiter, imò & magis efficaciter quàm cauſa particularis influere in effectum : quod non poteſt intelligi,ſi per ſolam relationem rationis, voluntas ac potentia Dei conciperentur formaliter concurrere ad producendum effectum. Si inſtes ſaltem Deum per ſuam præſentiam poſſe concipi realiter operari cum cauſis ſecundis.

Alia obiectio.

Solutio.

Reſpondeo rationem præſentiæ diuinę, non eſſe rationem formalem cauſandi ſeu cooperandi,cùm Deus non ſit minùs præſens rebus quieſcẽtibus,quàm operantibus. Adde quod ſublatâ per impoſſibile Dei reali præſentiâ nõ minùs conciperetur Deus realiter influere in effectum per ſuam operationem,quàm ſi eſſet præſens. Maneat igitur concurſum Dei non eſſe ipſum Deum,ſeu aliquid immanens in ipſo ; ſed aliquid ab ipſo tranſiens in creaturam. Quid autem illud ſit, & quomodo diſtinguatur ab actu cauſæ ſecundæ,ac ab ipſius effectu, ſequenti propoſitione explicabitur.

Conclusio.

Quarta propoſitio.

Quarta propoſitio.Concurſus iſte tranſiens & externus, qui dicitur cooperatio Dei, eſt vna eademque actio realiter cum actione cauſæ ſecundæ.Quæ ſanè propoſitio eſt D.Thom. hîc art.5.ad ſecundum, vbi ſic habet: *Vna actio,* inquit, *non procedit à duobus agentibus vnius ordinis* ; ſed nihil prohibet quod vna & eadẽ actio procedat à primo & ſecundo agente. Confirmatur autem,quia vna eſt realiter vnius agentis actio circa eũdem numero effectum: Atqui

Confirmatur.

Deus,& cauſa ſecunda,ſe habent per modum vnius agentis, eo quòd cauſa ſecunda primæ ſubiiciatur ac ſubordinetur: licèt enim vtraque in ſuo genere perfectionem habeat; prima quidem ſecundùm rationem vniuerſalis concurſus;ſecunda ſimiliter in ſuo gradu & ordine ſecundùm rationem concurſus particularis: quia tamen vna alteri ſubordinatur ac ſubiicitur,ea ſubordinatio ſeu ſubiectio efficit, vt ambæ licèt in ſuo ordine ſint totales cauſæ, quaſi vnius agentis vim obtineant. Vbi nota, Deum & ignem,verbi gratia, cùm ad producendum calorem concurrunt, dici poſſe ſimul in quodam ſenſu integras, & partiales cauſas iſtius effectus; dici quidem poſſunt integræ, tùm quia quælibet in ſuo ordine perfecta eſt; tùm quia quælibet totum calorem producit, & non vna partem vnam,& alia partem aliam caloris:dici verò poſſunt partiales, quatenus nec ſecunda ſine prima, nec prima ſine ſecunda,eo præcisè influxu quem tunc adhibet,eiuſmodi calorem produceret: licèt enim Deus eundem calorem quem ſimul cum igne profert ſe ſolo poſſit efficere;non tamen eundem efficere valet eo tantùm concurſu quem dum cum igne operatur exhibere ſolet,ſed alio efficaciori qui ignis influxum ſuppleat & compenſet: ex quo intelligis calorem ab vtroque tanquam à totali ſui cauſa pendere, ſicque per vnicam realiter actionem ab vtroque produci. Confirmatur adhuc hæc noſtra propoſitio hac ratione: Si enim eſſent duæ actiones ad vnum eundemque effectum terminatæ, vel

Nota.

Ratione confirmatur.

actio cauſæ ſecundæ erit ab illa ſola cauſa ſecunda, vel etiam ſimul à cauſa prima; prius dici non poteſt, ſic enim ſequeretur ſolum effectum cauſæ ſecundæ, non verò eius actionem eſſe à cauſa prima, quæ eſt opinio Durandi erronea: ſi verò poſterius dicatur; ergo ſemper erit vna & eadem actio vtriuſque cauſæ, & ſic ſuperflua erit alia diſtincta actio quæ ſit à ſola cauſa prima, cùm per iſtam Deus ſufficienter in ſuo ordine influat in effectum.

Ex hac propoſitione tria colliguntur. Primum.

Porrò ex hac noſtra propoſitione tria colliguntur; Primum eſt, concurſum Dei eſſe idem realiter cum termino actionis, ſeu cum ipſo effectu: cùm enim conſtet ex hac propoſitione concurſum Dei eſſe planè idem realiter cum actione cauſæ ſecundæ, conſtet autem actionem eſſe idem realiter cum ſuo termino ſeu effectu, partim ex prima parte Phyſ. tract. 3. diſp. 4. qu. 2. partim ex ſecunda parte Phyſ. tract. 2. diſput. 2. quæſt. 1. inde neceſſariò ſequitur, concurſum Dei eſſe idem realiter cum effectu cauſæ ſecundæ.

Secundum

Alterum quod colligitur eſt, concurſum Dei tranſeuntem de quo loquimur (immanẽs enim non recipitur in ſubiecto, cùm ſit ipſa Dei voluntas ſubſiſtens) in eo eſſe ſubiecto, in quo eſt actio cauſæ ſecundæ; quod patet, quia ex prædictis, concurſus Dei & actio cauſæ ſecundæ in re non diſtinguuntur; ergo nec ſubiecto diſtingui poſſunt: quare cùm iuxta probabiliorem ſententiam actio tranſiens ſit in patiente, vt dictum eſt loco proximè citato Phyſicę, immanens verò in agente; dicendum

Digitized by Google

eſt concurſum Dei in actionem tranſeuntem non eſſe aliquid in ſecundario agente receptum, ſed in paſſo: concurſum verò ad actionem immanentem recipi in ipſo agente, quatenùs in ipſo ipſiuſmet actio recipitur.

Tertium adhuc colligere eſt, nempè cooperationem & conſeruationem diuinam reſpectu eiuſdem effectus eſſe eundem realiter influxum, ac pertinere ad entitatem ipſius effectus, cui intrinſecum eſt ac eſſentiale pendere à Deo, tùm in fieri, cùm in facto eſſe: ſicut autem eadem eſt dependentia rei à Deo, tùm cū fit, tum cùm facta eſt; ſic idem eſt influxus Dei in eandem rem, dum fit & dum facta eſt, licèt ſecundùm rationem, & diuerſum reſpectum diſtinguatur, ideoque variis nominibus exprimatur: nam influxus Dei circa rem in fieri dicitur concurſus & cooperatio; at circa eandem in facto eſſe dicitur conſeruatio. Vbi nota obiter, cùm influxus Dei tranſiens ſit idem realiter cum effectu in fieri aut in facto eſſe, eundem quoque eſſe cum ipſa rei dependētia in fieri, vel in facto eſſe ab ipſo Deo. *Tertium.* *Nota.*

Ad hæc autem illud addendum, quod licet actio Dei tranſiens, qui dicitur concurſus, reipſa ſit actio cauſæ ſecundæ; non tamen dicitur concurſus Dei, quatenus eſt actio cauſæ ſecundæ, ſed quatenus eſt actio Dei. Sicut enim licèt idem ſit effectus cauſæ primæ & cauſæ ſecundæ, non tamen dicitur effectus Dei, quatenus dependet à cauſa ſecunda, ſed quatenus pendet à cauſa prima. Similiter licèt eadem ſit actio Dei & cauſę ſecundæ, non tamen dici-

tur actio Dei ſeu cooperatio Dei, & concurſus, quatenus per ipſam cauſam cauſa ſecunda influit in effectum, ſed quatenus per ipſum Deus ipſe in eundem influit.

Quinta propoſitio.

Quinta propoſitio. Concurſus iſte diuinus ex præſuppoſito decreto diuinæ voluntatis neceſſariò neceſſitate quadam immutabilitatis, à Deo præbetur cauſis ſecundis, tùm neceſſariis, cùm liberis, licèt cum diſcrimine, vt ex duabus propoſitionibus ſequentibus patebit.

Probatur ratione.

Probatur autem hæc; quia etſi Deus per ſuam voluntatem ſit cauſa liberrima reſpectu quorumuis effectuum ad extra, vt dictum eſt 1. tr. diſp. 13. q. 4. aſſert. 2. nihilominus tamen poſito ipſius liberrimæ voluntatis decreto, Deus neceſſariò neceſſitate ſecũdùm quid & hypothetica operatur; quia eius voluntas eſt immutabilis, vt ibidem dictum eſt aſſert. 3. quò fit vt omnes illæ cauſæ ſecundæ, quibus decreuit Deus ſecũdùm legem ordinariam ſe prębiturum concurſum, infallibiliter operentur; non tamen omnes neceſſariò, ſed quædam neceſſariò, quędam verò liberè: decreuit enim Deus ſe agentibus neceſſariis daturum concurſum quo neceſſariò agant, liberis verò quo liberè agant, vt dictum eſt loco proximè citato quæſt. 7.

Sexta propoſitio.

Sexta propoſitio. Concurſus diuinus ita præbetur agentibus neceſſariis, vt ex ipſo ſolo dependeat determinatio actus & effectus quoad indiuiduationem, licèt quoad ſpecificationem & exercitium à naturali conditione cauſæ maximè dependeat.

Ratione probatur.

Cùm enim cauſæ naturales ſeu

ſeu neceſſariæ ſint ad vnũ determinatæ (quod intelligẽdum eſt, tum quoad ſpecificationem, quia earum potentiæ & facultates habent determinata ſpecie obiecta; tùm quoad exercitium, quia ſunt eius conditionis vt poſitis omnibus requiſitis ad agendum non poſſint non agere) idcircò non dicuntur ad hoc determinari per concurſum diuinum: verùm quia ſunt indeterminatæ quoad indiuiduationem actus & effectus, nihilque in ſe habent per quod ad hoc ſe determinare poſſint; idcircò neceſſe eſt, vt à prima vniuerſali cauſa per ipſius concurſum determinentur, verbi gratiâ, applicatur ignis ad lignum comburendum, Deus illico præbet concurſum ſuum igni, idque neceſſariò, prę ſuppoſito quod ab æterno decreuerit ſe illi ſuum concúrſum præbiturum; & quia ſimul decreuerit ſe præbiturum ſuum concurſum tali cauſæ, naturali & neceſſariæ ad eliciẽdam hanc numero actionem, & ad producendum hunc numero effectum: hinc fit, vt, cùm ignis ad lignum applicatur, licèt ex ſe ſit indifferens ad eliciendam hanc potiùs quàm iſtam numero actionem, item ad producendum potiùs hunc quàm iſtum numero calorem; hinc fit (inquam) vt per hunc influxum ad hoc potiùs, quàm ad aliud in indiuiduo determinetur.

Septima propoſitio. Concurſus diuinus ita præbetur liberis agentibus, vt determinatio actus liberi non tantùm quoad indiuiduationem, ſed etiam quoad exercitium non ſit ab eiuſmodi concurſu, aut ab æterno decreto cõ- *Septima propoſitio.* 1.

Probatur ratione.

ferendi illum. Probatur ; quia eiuſmodi cauſæ liberæ habent in ſeipſis aliquid per quod ſe determinent tùm quoad exercitium, tum quoad indiuiduationem ſui actus, nempe liberum arbitrium ; ideoque non indigent vt per concurſum cauſæ primæ, aut per decretum exhibendi eiuſmodi concurſum ad hoc efficaciter determinentur à Deo. Et quidem quod per concurſum actualem non determinentur, patet ; quia priùs naturâ concipimus agens liberum ſe determinare ad agendum vel ad hoc agendum, quàm vt agat, vel vt hoc agat: at cõcurſus Dei non concipi poteſt præcedere ipſum actum, cùm ſit de ipſius entitate, ſeu idem realiter cũ ipſo. Quod etiam decretum præbendi eiuſmodi concurſum non determinet ipſum agens liberum, nec proinde ipſius actum, probatur; quia per illud decretum ſtatuit Deus eum exhibere concurſum quo agens liberum agat liberè, ſicque cùm ſtatuit dare eiuſmodi cõcurſum, non ſimul abſolutè ſtatuit vt cauſa libera illum actum exerceat in virtute talis concurſus (licèt tunc velit efficaciter vt voluntas exerceat talem actum) quia non ſtatuit abſolutè ſe præbiturum ſuum concurſum, niſi prçuideat cognitione hypothetica quid liberum agens pro ſua libertate eſſet acturum , ſi ſuum illi concurſum exhiberet. Vbi autem hoc præuiſo, ſtatuit abſolutè ſe exhibiturum ſuum cõcurſum, tunc abſolutâ cognitione quç dicitur viſionis videt liberum agens hoc infallibiliter, non tamen neceſſariò acturum , ac ſimul vult efficaciter ipſius actum in quantum bonum

eſt:non tamen idcircò vult Deus liberum agẽs ad agendum aut ad hoc agendum vllo modò cogi per illud decretum præbendi ſuum concurſum. Quo loco nota, quod licèt vbi actu exhibetur cõcurſus, ſimul determinetur actus liberi agentis tùm quoad exercitium, tùm quoad indiuiduationem; non tamen id ex vi concurſus exhibiti, ſed ex vi ipſius liberi arbitrii contingit: iuuatur quidem liberum arbitrium per concurſum Dei ad exercendum actum, & talem actum, itavt ſine illo concurſu nihil quidquam præſtare poſſet; non tamen ad id per concurſum efficaciter determinatur. Repetenda ſunt hîc quæ dicta ſunt de concordia diuinæ voluntatis efficacis cum noſtri arbitrii libertate tract. 1 diſp. 13. quæſt. 7. *Nota.*

Sed hæc ſatis de concurſu ſeu de cooperatione Dei, deque omni actu diuinæ gubernationis, atque adeò de Deo vt creatore: Cui ſupremo rerum omnium factori & benefactori ſit benedictio, laus, & gloria in æternum.

TRACTATVS QVARTVS.

DE CREATVRA MERE' SPIRITVALI,

SEV

De Angelis, in ſex diſputationes diuiſus.

CVM Deus Optimus Maximus, in ordine ad creaturam Creator appelletur, deque ipſo vt ſic, proximè pręcedenti tractatu diſputatum ſit; doctrinę ordo poſtulat, vt de creaturis in ordine ad ipſum deinceps diſſeratur: cùmque creaturæ ſint aut merè corporeæ, quæ dicuntur corpora; aut merè ſpirituales, quę dicuntur Angeli; aut mixtæ partim ſpirituales, partim corporeæ, nempe homines; & quæ ſunt primi generis maximè pertineant ad Phyſiologum, deque iis iam dictũ ſit, diſp. 3. præcedentis tractatus, vbi de opere ſex dierum, quatenus ad Theologum pertinent: reſtat vt de duobus aliis generibus, quæ magis ad Theologum pertinent, reliquis duobus tractatibus huius partis; & iſthoc quidem de An

gelis; poſtremo verò de homine diſputemus.

Quoniam verò in Angelis tria generatim conſideranda ſunt, nempe eorum ſubſtantia, ſeu natura, deinde potentia ſeu facultas, denique ſtatus ſeu conditio: Et rurſus ipſorum ſubſtantia ſeu natura, bifariam conſiderari poteſt; vel abſolutè ſecundùm ſe, vel reſpectiuè in ordine ad corporalia; Potentia verò ſeu facultas ipſorum præcipua eſt duplex; nempe intellectus, & voluntas; & præterea alius eſt ſtatus, ſeu conditio bonorum angelorum, alius verò malorum: hinc ſex exiſtunt huius tractatus diſputationes. Prima erit de ſubſtantia ſeu natura Angelorum abſolutè ſpectata, vbi etiam de ipſorum productione. Secunda de ſubſtantia Angelorum in ordine ad corporalia. Tertia de ipſorum intellectu ac cognitione. Quarta, de eorumdem voluntate, ac præcipuo eius actu, nempe amore. Quinta, de optimo ſtatu & cõditione bonorum Angelorum. Sexta de miſero ſtatu & conditione malorum.

PRIMA DISPVTATIO.

DE SVBSTANTIA ET NATVRA ANGELORVM ABSOLVTE SPECTATA.

QVONIAM ad naturam Angelorum abſolutè conſideratam plura ſpectāt; nempè ipſorum exiſtentia, genus, differentia, numerus, ordo, & productio: idcirco de iis ordine quærendum eſt.

An exiſtant Angeli. QVÆSTIO I.

PRÆNOTANDVM eſt hîc imprimis, quod toti reliquæ diſputationi inſeruiat quidnam Angeli nomine intelligendum ſit; eſt enim græca vox ἄγγελος, Latinè idem ſignificat quod nuncius, eſtque ex prima ſui impoſitione nomen iſtud officij, non naturæ, vt notat Tertul. lib. de carne Chriſti: neque enim quid ſit Angelus, ſed quale ſit eius officium eo nomine ſignificatur; ſæpè enim mittuntur Angeli, vt Dei voluntatem nobis aperiant, iuxta illud ad Heb. 1. *Omnes ſunt adminiſtratorii ſpiritus, in miniſterium miſſi*: quo etiam ſpectat illud Pſal. 103. *Qui facis Angelos tuos ſpiritus*; eodemque ferè ſenſu ſacerdotes ac doctores appellētur Angeli, vt Malach. 2. *Labia ſacerdotis cuſtodiūt ſcientiam, quia Angelus Domini exercituum eſt.*

Quid intelligendū eſt nomine Angeli.

Et cap.3. *Ecce ego mitto Angelum meum, qui præparabit viam meam ante te*, vbi Ioannes Baptiſta Angeli nomine intelligitur.

Vulgò nomine Angeli, intelliguntur ſpirituales ſubſtantiæ.

Conſuetus tamen loquendi modus obtinuit, vt Angelorum nomine intelligantur ſpirituales ſubſtantiæ, quas Ariſtoteles intelligentias vocat 8. Phyſicorum & 12. Metaph. quia celeberrimè ſimul ac certiſſimè omnia intelligũt, abſque ea diſcurſus prolixitate qua vti ſolent homines; qua de cauſa, vt aliàs prætermittam, pennati depingi ſolent: & licèt vt plurimum boni tantùm Angeli hoc nomine intelligantur, ſicut & mali tantùm nomine dæmonum, qui ſic à ſcientia charitate deſtituta appellãtur. Interdum etiam mali hoc ipſo nomine ſignificantur, vt Apoc. 10. *Draco & Angeli eius, &c.* Et ad Corinth. 12. *Datus eſt mihi ſtimulus carnis, angelus ſatanæ, qui me colaphizet.* Nos autem hîc nomine Angeli, intelligimus creaturam merè ſpiritualem naturâ homine præſtantiorem, ſiue bonam, ſiue malam.

Fide conſtat Angelos exiſtere

Quod igitur exiſtant Angeli ſecundùm communem iſtam vocabuli notionem in fide certiſſimum eſt, vt conſtat ex apertiſſimis ſacræ Scripturæ locis, in quibus ſacra Scriptura commemorat Angelos cum hominibus etiam viſibiliter conuerſatos fuiſſe, vt ipſos diuinitùs erudirent; vt Tobię 12. Daniel. 10. Matth. 1. Lucæ 1. &c. & aliis locis, in quibus Angeli ſignificantur præſtantiores hominibus; vt Pſal. 8 *Minuiſti eum*, ſupple hominem, *paulò minus ab Angelis*; & alibi cùm ad exprimendam ſingularem alicuius hominis prærogatiuam fieri

Probatur auctoritate ſacræ Scripturæ.

ſolet eius comparatio cum angelis tanquam cum creaturis longe nobilioribus; vt 2. Regũ 14. Matth. 22. Actorum 7. ad Gal. 14. &c. Mitto hîc integrum Apocal. lib. vbi frequens in ſingulis capitibus Angelorum fit mentio. Accedit communis ſanctorum Patrum conſenſus, neque enim vllus vnquã in Eccleſia extitit qui Angelos negauerit, præter Saducæos, qui (vt refert Luc. Act. 23. aiebant neque eſſe reſurrectionem mortuorum, neque Angelum, neque Spiritum; qui fuit error quorumdam veterum Philoſophorum quod redarguit Ariſtoteles 4. Phyſ. text 52. & 57.

Non poteſt euidenter ratione demonſtrari Angelos exiſtere.

Licét autem fide conſtet Angelos exiſtere, non tamen id euidẽter poteſt naturali ratione demonſtrari. Si enim demonſtrari poſſet: vel id fieret à priori ex ipſorum quidditate & eſſentia; vel à poſteriori, ex ipſorum effectibus: at neutro modo poteſt, non quidem à priori ex ipſorũ quidditate & eſſentia; tùm quia exiſtentia Angeli non eſt de eius eſſentia, cùm potuerint Angeli non exiſtere, vtpotè qui ſint à Deo liberè conditi; tũ quia natura Angelorũ longè eſt ab humanis ſenſibus abſtruſa, ita vt nõniſi imperfectè & obſcurè à nobis cognoſcatur, nõ etiã à poſteriori ex ipſorũ effectibus: tum quia nullus eſt effectus angelicus quem Saducæi non facilè poſſint primæ cauſæ, id eſt Deo aſcribere; tum quia illud ipſum ex motu cælorum, quem Ariſtoteles Angelis tribuit, neceſſariò concludi non poteſt, cùm probabilior ſit illorum opinio qui cœlos à ſeipſis moueri aſſeuerant, vt aliàs oſtendimus 2. parte

Phyſ.vbi de cœlo. Nec tamen deſunt probabiles rationes quibus id concludi poſſe videatur, quas legere poteris apud S. Thomam li.2. contra Gentes cap.46.47.& 48. Omniũ quidem probabiliſſima videtur ratio ex Energumenis deſumpta, in quibus multa apparent quæ nonniſi Spiritui aſcribi poſſunt; vt cognitio ſecretorum, vſus linguarum peregrinarum &c.nec tamẽ ea ratio demõſtratiua eſt; poſſet enim ea in Deum tanquam in cauſam reuocari. Maneat ergo ſolâ fide Angelorum exiſtentiam certò colligi poſſe.

Rationes probabiles dari poſſũt quod Angeli exiſtãt

In quonam genere ſubſtantiæ ſint Angeli, & an ſint corporei.

QVÆSTIO II.

DVÆ hîc præcipuæ difficultates occurrunt explicandæ, quas licèt ſicut & priorem ac nonnullas ſequẽtes in 4.par. Met.d.2.vbi de Angelis breuiter explicauerimus; ſunt tamen à Theologis accuratius pertractandę. Prior eſt cùm duplex ſit genus ſubſtantiæ, corporeum nempe & incorporeum, in quonam genere ex iis duobus Angeli ſubſtantia contineatur. Poſterior, etſi Angeli ſubſtantia ſit ſecundùm ſe incorporea, num tamen alicui corpori naturaliter ſit vnita: quibus duabus difficultatibus totidem ſequentibus propoſitionibus ſatisfiet.

Prima propoſitio, quæ eſt communis Theologorum in ſecundum Sent. diſt.8. Angeli sũt de genere ſubſtantiæ incorporeæ, ſeu Angeli

Prima propoſitio.

ſubſtantia ſecundùm ſe eſt prorſus incorporea. Probatur primò authoritate, tum ſacrarũ litterarum, quę ſimpliciter nominare ſolent Angelos Spiritus, vt Pſal. 103. Matth. 8. Lucę 8. &c. cùm etiam ſanctorum Patrum, qui paſſim docent Angelos longè antecellere hominibus intelligendi facultate; vt Diu. Diony. cap. 5. de diu. nomin. & cap. 4. de cæleſt. Hierarch. Secundò probatur hac ratione D. Tho. hîc q. 50. art. 1. Cùm enim in rerum naturâ exiſtant res adeò corporeæ, vt nihil quicquam ſpirituale admittant, congruum erat ordini vniuerſi vt eſſent aliquæ ſubſtantiæ ſpirituales quæ nihil planè corporeum admitterent, inter quas mediæ eſſent illæ quæ partim corporeæ ſunt, partim ſpirituales, nempe homines: ſic enim in rerum natura duo extrema medio quodam copulari ſolent, quod ad vniuerſi elegantiam non mediocriter conducit. Adde quod ad perfectionẽ vniuerſi pertinebat, vt in illo eſſent aliqui diuinę potentiæ effectus, qui ſecundùm ſubſtantiam ſuo creatori quantum fieri poteſt perfectè aſſimilarentur; itaut ſicut Deus eſt purè ſpiritualis, ita & illi effectus ſeu ſubſtantiæ illæ à Deo creatæ eſſent prorſus ſpirituales.

Probatur authoritate.

Ratione cõfirmatur primò.

Secundò.

Porrò ex hac propoſitione ſequitur Angelos nõ eſſe cõpoſitos ex materia & forma: Incorporeum enim appellatur quod eſt omnis materię expers, & ſane ſi Angeli materiâ conſtarent, ſanè aliqua eſſent quantitate prędit; quod tamen dici non poteſt, alioqui daretur penetratio dimenſionum quoties è ſupremo

Angeli ſũt expertes materia & forma.

cœlo ad nos accedunt, vel cùm quælibet corpora penetrant: deinde ſi eſſent materiales nõ tanta celeritate ad omnes loci differentias mouerentur: denique nulla eſt Angelorum operatio quę materia indigeat. Non eſt tamẽ negandũ Angelos cõponi ex genere & differentia: ſubſtantia enim habet rationem generis, incorporeum verò rationem differẽtię: Itẽ ex actu & potentia, ex eſſentia & exiſtentia, ex natura & hypoſtaſi: ſicque licèt comparatione rerum corporearum dicantur actus puri, comparatione tamen diuinæ naturæ verè ſunt actus compoſiti ex potentia & actu: Cùm autem dicuntur eſſe in potentia ad aliquid, potentia illa non eſt phyſica, ſed Metaphyſica, cũ dicat ordinem ad formas tantum accidentales & ſpirituales; non verò ad vllam formam phyſicam, & ſubſtantialem.

In Angelis eſt aliqua compoſitio.

Poſterior propoſitio.

Poſterior propoſitio. Angeli ſunt prorſus incorporei, itaut nulla habeant corpora ſibi naturaliter adiũcta ſicut anima rationalis, quę licèt ſit omninò ſpiritualis ſecundùm ſuam ſubſtantiã, indiget tamen ad obeunda vitę munia organis corporeis. Probatur primùm authoritate ſacrarum ſcripturarum locis ſupracitatis : vbi Angeli appellantur Spiritus: at nomen Spiritus, cùm tribuitur rei intelligenti in ſacris litteris ſignificat rem plane incorpoream; vt cùm dicitur Ioan. 4. *Deus Spiritus eſt.* ad Epheſ. 6. *Non eſt vobis colluctatio aduerſus carnem &c. ſed aduerſus ſpiritalia nequitia.* Adde quod cùm Chriſtus Marci 5. & Lucę 8. Dęmonem qui quemdam virorum de terra Ge-

Probatur authoritate.

raſenorum poſſidebat, percontatus eſſet, quodnam ipſi nomen eſſet, reſpondit *Legio*, *quia* (inquit) *multi ſumus*. Legio autem antiquitus circiter ſexcies mille homines ſexcentos& ſexaginta ſex continebat:at quî fieri potuiſſet vt tanta ſubſtantiarum corporearum multitudo in vno hominis corpuſculo contineretur? Secundo probatur authoritate multorum ſanctorum Patrum, vt D. Dionyſii cap. 4. de diuinis nominibus, Baſilii in Homi. quod *Deus non eſt author mali*. Gregorii Nazianzeni Homel. 2 de Theologia, Niſſeni lib. de vita Moyſis, Chryſoſt. homel. 22. in Geneſim Damaſceni lib. 2. de fide Orthodoxa cap. 3. Gregorii Magni libri 4. moralium cap. 9. item Magiſtri Sent. 2. li. diſt. 8. & omnium fermè Theologorum ſcholaſticorũ ab ipſius temporibus in eundem librum ſecundum Sent. diſt. 8. quãquam non diſſimulauerim pleroſque ſanctos Patres contrarium ſenſiſſe, aut certè in contrariam ſententiã inclinaſſe: inter quos ſunt Origenes, Tertullianus, Lactãtius, Caſſianus, Rupertus, D. Auguſt. in Enchiridio cap. 59. & alibi interdum de ea re videtur dubitare: ſicut etiam dubitat ſanctus Bernardus lib. 5. de conſideratione ad Eugenium cap. 4. Tertiò confirmatur hæc aſſertio ratione. Rerum ordo ita comparatus eſt, vt inferiora per ſupremam ſui partem attingant, quod eſt infimum in ſuperioribus; & (vt vulgò dicitur) ſupremũ infimi tangit infimum ſuperioris: atqui (vt habetur libro de cauſis propoſ. 2) homo in gradu infimo naturæ intelligentis conſtituitur, ideoque

Ratione cõfirmatio prima.

debet cum Angelo qui in ſupremo gradu cõſtituitur, cõuenire per partem ſui ſuperiorem, nempe animam, ſicut cum aliis rebus inferioris ordinis per inferiorem ſui partem, nempe corpus conuenit; atqui anima hominis expers eſt omnis materiæ, ſeu omninò eſt ſpiritualis maximè cùm ſit omnino expers omnis interitus, vt expreſſe habetur Matth. 10. *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam verò non poſſunt occidere*: & aliàs probatum eſt in 3. part. Phyſ. tract. 4. diſ. 1. quęſt. 2. Cùm igitur per animam omninò ſpiritualem & incorpoream homo cum Angelis conueniat, neceſſe eſt Angelos eſſe omninò ſpirituales & incorporeos.

Secundo. Deinde ſi Angeli corpus aliquod ſibi naturaliter vnitum habeant, vel erit organicum, vel ſimplex: at neutrum dici poteſt; non prius, quia ſic Angeli eſſent verè animalia ex parte intellectuali & corpore organico conſtantia: non etiam poſterius, quia eiuſmodi corpus ſimplex ſeu homogeneum non eſt aptum vt à forma rationali & intelligibili informetur, quæ propter varias operationes diſtinctionem organorum in corpore poſtulat.

Tertio. Denique quod aliqua creatura rationalis, vt eſt anima humana, vniatur corpori, ex eo prouenit, quòd habeat eſſe intellectuale imperfectũ, egeatque tùm acquiſitione ſpecierũ, cùm miniſterio phantaſmatum & ſenſus corporei: at verò Angeli habent eſſe intellectuale perfectum, nec ope phantaſmatum aut ſenſuum indigent vt rerum omnium imagines à rebus obiectis hauriant, cùm illas ab initio ſuæ crea-

tionis ſibi congenitas habeant: Maneat igitur Angelos nullo modo eſſe corporeos.

Notandum autem eſt quod licèt antiquitus, quæſtio hæc in Eccleſia problematica fuerit, vt conſtat ex Diuo Bernardo loco citato, itaut cuilibet liberum fuerit vtramuis partem queſtionis aſſerere: eſſet tamen tunc tẽporis valde temerarium, dicere Angelos eſſe corporeos; tùm propter communem conſenſum omnium fermè Theologorũ à tempore Magiſtri ſententiarum; cùm etiam propter authoritatem Concilii Lateranenſis ſub Innocentio III. definientis. *Deũ ſua omnipotenti virtute initio temporũ vtramque de nihilo condidiſſe creaturã, ſpirituale, & corporalẽ*; vbi per ſpiritualẽ creaturam intelliguntur Angeli: non tamen eſſet hæreticum quia his verbis Concilium nõ expreſſè definiuit Angelos eſſe prorſus incorporeos, ſed tantùm definire voluit, Deũ eſſe rerũ omniũ creatorem. Sicut è contra, licèt Patres Concilii Niceni II. definiuerint Angelos depingi poſſe ex hypotheſi quod exiſtimarent illos eſſe corporeos ſeu leuiſſimis corporibus, nẽpe aëreis ac igneis preditos, quia tamẽ iſtud ſupponebãt nõ autẽ definiebãt, idcircò nõ eſt de fide; quia in Cõciliis nihil ad fidẽ pertinet niſi ꝙ in eis ex profeſſo definitur. Quod autẽ obiici poſſet ex ſacris litteris Angelos opera queda exercuiſſe, que ſine corporibus nequaquã fieri poſſunt, vt cũ dicũtur Gen. 6. Filii Dei genuiſſe, & alibi paſſim comediſſe, loquutos fuiſſe, ambulaſſe &c. hæc (inquã) & alia id genus facilè ſolui poterũt ex his quæ mox dice-

Nota.

mus de aſſumptis corporibus ab Angelis; vbi etiã explicabitur, vtrum verè poſſint generare, & etiam alia vitæ opera exercere in corporibus aſſumptis.

Cõſectariũ. Cùm igitur ex iis conſtet Angelos eſſe prorſus incorporeos, ac omnis materiæ expertes, quę ſola in vnaquaque re generationis & corruptionis naturale principiũ eſt, inde neceſſariò ſequitur eos eſſe prorſus incorruptibiles, non tantũ ſecundũ gratiã, ſed etiã ſecundùm naturã; idque multo potiori iure quã animas rationales, cum multo minùs pendeant à corpore, confirmaturque authoritate ſextæ Synodi Actione 10. vbi definitur Angelos eſſe perpetuo duraturos: colligitur verò expreſſè ex quibuſdam locis ſacræ Scripturæ; nam de bonis Angelis dicitur Pſal. 83. *Beati qui habitãt in domo tua Domine, in ſæcula ſæculorum laudabunt te*, & Matth. 18. *Angeli eorum ſemper vident faciem Patris mei.* De malis verò Matth. 15. *Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt Diabolo & Angelis eius.*

An Angeli ſpecie tantùm vel etiam numero inter ſe differant.

QVÆSTIO III.

VARIÆ ſunt circa propoſitam quæſt. Theologorum ſentẽtiæ, quarũ nulla de fide aut contra fidem eſt, ſed quælibet probabiliter deffendi poteſt. Quidã, vt Alber. Mag. exiſtimant omnes planè Angelos eſſe eiuſdem ſpeciei infimæ, ſicque inter ſe numero tantùm

tantùm differre; alij econtra, vt D. Thom. hîc quæſt. 50. art. 4. ac eius diſcipuli arbitrantur, omnes planè Angelos eſſe ſpecie diſtinctos, ita vt etiam nonnulli ex ipſis, vt Caietanus, exiſtiment repugnare etiam ſecundùm potentiam Dei extraordinariam plures eſſe Angelos numero tantùm diſtinctos: ſunt verò qui mediâ, eâque vt opinor tutiori incedunt viâ, vt D. Bonauent. Scotus, & alij qui exiſtimant quoſdam ſpecie, quoſdam verò numero tantùm inter ſe differre; quæ ſententia ſequentibus propoſitionibus explicabitur.

Prima propoſitio ratione probatur. Prima propoſitio. Non repugnat plures Angelos eſſe vnius & eiuſdem ſpeciei. Probatur hæc aſſertio; *Primo.* quia nihil eſt diuinæ potentiæ denegandum, niſi quod apertam inuoluat contradictionem: atqui nulla apparet contradictio Deum creare plures Angelos eiuſdem ſpeciei: ergo non eſt illud Deo denegandum; ſicque illud apertè non repugnat. *Secundò.* Secundò, natura ſpecifica vnius Angeli, verbi gratiâ, Gabrielis, abſtrahit ex ſe à quocumque indiuiduo, ſicque ex ſe eſt vniuerſalis: atqui proprium eſt naturę vniuerſalis poſſe eſſe in pluribus indiuiduis ſaltem per potentiam logicam ſeu non repugnantiam: ergo non repugnat eſſe plures Angelos in quibus inſit eadem ſpecie natura. *Tertio.* Denique ſolius naturę diuinæ proprium eſt non poſſe multiplicari, nec proinde eſſe poſſe in pluribus indiuiduis, idque propter ipſius infinitatem: atqui nulla eſt infinitas perfectionis in natura quauis Angelica: ergo non repugnat illam multiplicari, ſeu pluribus

indiuiduis communicari.

Contrariæ opinionis fundamentum conuellitur.

Et ſanè contrariæ opinionis fundamentum, nempè diſtinctionem numericam non poſſe aliter fieri quàm per materiam, planè ruinoſum eſt, vt patet ex his quæ aliàs dicta ſunt de principio indiuiduationis ac diſtinctionis numericæ 3. part. Metaph. diſp. 2. qu. 4. Adde quod dantur in diuinis tres perſonæ numero tantùm diſtinctæ, non tamen per materiam, vt conſtat; dantur pariter plures intellectiones & volitiones in Angelis, quæ licèt ſint expertes materiæ, non deſinunt tamen numero diſtingui, denique animæ rationales etiam à corporibus ſeparatæ numero tantùm inter ſe diſtinguuntur duntaxat.

Secunda propoſitio. Probatur ratione. Primo.

Secunda propoſitio. Probabilius eſt de facto plures eſſe Angelos eiuſdē ſpeciei ſeu numero tantū diſtinctos. Probatur, tūquia nō repugnat ex pręcedēti propoſitione, cùm igitur ſit innumera propè Angelorū multitudo, vt ſequenti quæſt. dicetur, non videtur denegandū in tanta multitudine plures actu eſſe eiuſdē ſpeciei, præſertim cū id nō mediocriter cōferat ad maiorē tātæ multitudinis ſocietatē & amoris cōiunctionem; tùm quia maior relucet Dei bonitas & cōmunicatio, ſi præter ſpecies Angelicas quas totius vniuerſi perfectio & reipublicę illius cœleſtis ſtatus poſtulabat, Deus cōdiderit aliquā indiuiduorū multitudinē, præſertim cùm id nōnihil cōferat ad decorē vniuerſi, vbi debet eſſe vterq; ordo ſpecific⁹ & numericus; tū quia multorū Angelorum functiones ſunt æquales, vt cuſtodia hominū & prouinciarū,

Secundò.

Tertio.

& miniſteria æqualia, igitur & ipſi sũt æquales. Probatur cõſequutio, quia rationi conforme eſt vt æqualibus æqualia demandentur officia.

Tertia propoſitio. Veroſimile eſt varias eſſe ſpecies Angelorũ, ita vt omnia indiuidua ſub vna eadẽ ſpecie infima nõ cõtineantur: tũ quia ex cõmuni ſententia Theologorũ, Angelis data eſt gratia iuxta proportionem naturalis perfectionis; atqui cõſtat aliquã eſſe inter Angelos gratiæ inæqualitatẽ: ergo etiã quædam ineſt in eis naturalis perfectionis diſparitas quæ vix tãto poteſt intelligi quãta inter Angelos reperitur abſque ſpecifica naturæ diſtinctione; licèt tamẽ nõ ſit negãdum etiã inter Angelos eiuſdẽ ſpeciei aliquã perfectionis inæqualitatẽ poſſe reperiri, vti aliàs innuimus vbi de inæqualitate animarũ rationaliũ 3. part. Phyſ. tr. 4. d. 1. qu. 4. tũ quia cùm mundus hic elemẽtaris & corporeus tot ſpecierũ quas cernim⁹ varietate mirificè decoretur, cõſentaneũ eſt vt mũdus intelligibilis multitudine quoq; ſpecierũ exornetur; ita vt etiã nõnullis valdè probabile viſum fuerit plures eſſe ſpecies rerũ immaterialiũ quã rerũ materialium, quod quidẽ ex eo colligunt quod cũ ſint quatuor rerũ gradus in vniuerſo, nẽpè inanimatorũ, viuentiũ, ſentientiũ, & intelligentiũ, animaduertamuſque gradũ nobiliorẽ ſpecierũ multitudine excedere inferiorẽ, vnde plura ſunt genera viuentiũ quã inanimatorũ, & ſentiẽtiũ quã viuentiũ; conſequẽs eſſe videtur vt plura quoq; ſint genera intelligẽtiũ quã reliquorũ. Neque obeſt quod docẽt Sãcti Patres omnes Angelos eſſe eiuſdem naturæ &

Te[r]tia propoſitio.

Ratione probatur.

Primo.

Secundò.

Nota.

Occurritur obiectioni.

ſubſtantię, hoc enim intelligendum eſt de ipſorum natura & ſubſtantia generica quę eſt in omnibus eadem, nempè ſpiritualis & intellectualis, non verò de ſpecifica ſecundùm quam inter ſe differunt.

Dubitationi reſpondetur. Si quæras, quęnam ſint eiuſmodi ſpecies Angelorum. Reſpondeo; licèt nihil certi de ea re determinari poſſit, probabile tamen videri quod aliàs monuimus 4. part. Metaph. d.2. q. 5. Omnes Angelos vnius ordinis ſpecie differre ab Angelis alterius ordinis, & multò magis adhuc Angelos vnius hierarchię eſſe ſpecie diſtinctos ab Angelis alterius, cùm maius videatur eſſe diſcrimen inter diuerſas hierarchias Angelorum quàm inter diuerſos ordines eiuſdem hierarchiæ, vt patebit ex ſequentibus: probabile etiam eſt in eodẽ ordine eſſe varias Angelorum ſpecies, tum quia niſi ita res haberet, nõ eſſent tot rerũ ſpiritualiũ ſpecies quot ſunt corporearum, tùm quia monet S. Dionyſius c.10. & 11. Cęleſtis hierarchię, in eodẽ ordine quoſdã eſſe Angelos ſupremos, medios, & infimos, ex qua diuerſitate graduũ naturę quoq; diuerſitas in Angelis probabiliter colligitur.

Quantus ſit Angelorum numerus.
QVÆSTIO IIII.

Varia ſententia. SIcut non defuerunt qui exiguum admodum Angelorum numerum eſſe voluerũt, ita non defuerunt qui econtrà infinitam actu multitudinem intelligentiarum inuexerunt: veriſſima tamen eſt media, eaque communis Theologorum ſententia, copioſiſſimum qui-

dem eſſe Angelorum numerum, non tamen infinitum; quæ ſententia ſequentibus propoſitionibus explanabitur.

Prima propoſitio. Numerus Angelorum non eſt infinitus: tùm quia Deus dicitur Sap. 11. *omnia feciſſe in numero, pondere, & menſura*, ita vt nihil actu infinitum fuerit à Deo procreatum; tùm quia conſtat ex iis quæ dicta ſunt de infinito in prima parte Phyſ. non poſſe dari numerum actu infinitum; tùm quia non eſt veroſimile numerum Angelorum excedere numerum arenæ maris, & tamen numerus iſte non eſt infinitus, cùm iuxta Arithmeticorum regulas etiam maior numerus deffiniri poſſit.

Prima propoſitio probatur primò.

Secundo.

Tertio.

Secunda propoſitio. Certò conſtare non poteſt quantus ſit Angelorum numerus, iuxta illud Iob 25. *Numquid eſt numerus militum eius*, id eſt, nunquid nobis conſtat quantus ſit ille numerus. Confirmatur, quia numerus ille pendet ex Dei mera voluntate qui nuſquam id nobis reuelauit; quòd ſi nonnumquam certus numerus Angelorum aſſignetur in ſacris litteris, vt Danielis 7. & Pſal. 67. dicendum eſt cum Diuo Hieronymo in illud caput Danielis & Gregorio Magno lib. 17. Moral. cap. 7. numerum determinatum in his locis poni pro indeterminato.

Secunda propoſitio. Probatur.

Tertia propoſitio. De fide eſt, copioſiſſimum eſſe numerum Angelorum. Probatur imprimis authoritate diuinæ Scripturæ, vt loco citato Dan. *Millia milliũ aſſiſtebant ei, & decies centena millia miniſtrabant ei.* Et Pſalmo citato, *Currus Dei decem millibus multiplex, millia lætantium;* Vbi

Tertia propoſitio. Probatur authoritate

ponitur certus numerus pro ingenti & quaſi innumerabili Angelorum multitudine. Item Matth. 26. *An putas quia non poſſum rogare patrem, & exhibebit mihi pluſquam duodecim legiones Angelorum?* Continet autem legio pluſquam ſex millia hominum. Adde etiam ingentem eſſe multitudinem malorum Angelorũ, cùm in vnico homine integra fuerit dæmonum legio Mar. 5. Huc ſpectat parabola de centum ouibus, Math. 18. Lucæ 15. in qua per nonaginta nouem intelliguntur Angeli; per illam verò quę perierat intelligitur natura humana, vt communiter interpretantur Sancti Patres; ex quo colligere eſt quod ſicut nonaginta nouem longè excedunt vnitatem: ſic numerus Angelorum multum ſuperat numerum hominum, non tantùm præſentium, ſed præteritorum ſimul & futurorum. Deinde probatur ratione: tùm quia, vt hîc probabiliter ratiocinatur Sanctus Thomas qu. 50. art. 3. quo res in vniuerſo ſunt perfectiores, eò magis excedere debent imperfectiores, eò modo quo poſſunt, nempè vel magnitudine vel multitudine (quæ propoſitio intelligenda eſt de præcipuis vniuerſi partibus, & ſaluo ordine totius vniuerſi) vnde corpora cœleſtia longè excedunt magnitudine corpora elementaria. Cùm igitur Angeli non poſſint excedere res corporeas magnitudine, debent illas excedere multitudine: tùm quia commendat regum maieſtatem miniſtrorũ multitudo, iuxta illud Prouerbiorum 14. *In multitudine populi gloria regis, & in paucitate plebis ignominia principis.* Cùm igitur

Ratione probatur. Primò.

Secundò.

Deus ſit Rex regum & Dominus Dominantium, congruum eſt vt illi aſſiſtat numeroſiſſima cœleſtium ſpirituum multitudo: tùm quia ſinguli homines habent Angelum cuſtodem (vt docent communiter Sancti Patres, & colligitur ex 18. Math. *Angeli eorum ſemper vident faciem Patris mei.* Et Actorum 12. *Dixerunt quia Angelus eius eſt*) Atqui Angeli ad cuſtodiam deputati ſunt ex infimo ordine, ex Diuo Thoma prima parte, qu. 113. art. 3. Cùm igitur præter infimum ordinem reſtent adhuc alij octo ordines, qui quò ſunt ſuperiores eò ſunt numero maiores, iuxta probabilem D. Thomę rationem, debet eſſe maximus Angelorum numerus, & quidem multo maior multitudine animalium rationabilium. *Tertio.*

Quarta propoſitio. Probabile eſt plures eſſe Angelos quàm ſint in numero animantia, imò quàm ſint indiuidua integra & perfecta rerum omnium corporalium: dixi integra & perfecta propter arenam maris, gramina, frondes arborum, pluuiæ guttas & reliquas rerum particulas, item res alias quæ ſunt in continuo fluxu, neque enim hæc omnia Angelorum multitudine ſuperantur. Hoc igitur ſuppoſito probatur noſtra propoſitio partim ratione ſupra allata Diui Thomæ, partim etiam teſtimonio Diui Dionyſij cap. 4. Cœleſtis hierarchię, aſſerentis numerum Angelorum longè excedere numerum breuem & contractum rerum corporearum. *Quarta propoſitio.* *Probatur.*

Quinam ſint Ordines & Hierarchiæ Angelorum.

QVÆSTIO V.

DE re propoſita ex inſtituto diſſerit Sanctus Thomas 1. part. ſuæ Summæ qu. 108. quæ inſtituitur de ordinatione Angelorum ſecundùm hierarchias & ordines: nam iuxta doctrinam D. Dionyſij lib. de cœleſti hierarchia, quam Theologi omnes communiter amplexi ſunt, tres vulgo feruntur Angelorum hierarchiæ ac nouem ordines, ita vt vnaquæque hierarchia tres Angelorum ordines complectatur, quæ omnia ſequentibus propoſitionibus explanabuntur.

Prima propoſitio. Sit igitur prima propoſitio. Tres ſunt Angelorum hierarchiæ, non plures, nec pauciores. Quæ propoſitio vt planiùs intelligatur, ſupponendum eſt, hierarchiam ex vi nominis idem eſſe ac ſacrum ſeu ſanctum principatum; quæ ſpecialis quædam eſt ratio regiminis, ſicut & Monarchia, Ariſtocratia, &c. tùm cœleſti Angelorum cùm Eccleſiaſticæ hominū ſocietati conueniens, & quidem à Deo immediatè ad maiorem ſui gloriam inſtituta: vel etiam iuxta D. Dionyſiū cap. 3. Cœleſtis Hierarchiæ, deſcribi poteſt, Ordinatio quędam ac diſpoſitio multitudinis creaturarum rationalium ad Dei ſimilitudinem ac vnionem diuini radij (quo purgantur, illuminantur ac perficiuntur) participatione, & communicatione aſpirantium. *Hierarchia deſcriptio.* Hoc poſito explicatur ſimul & probatur prædicta propoſitio, idque iuxta doctrinam

Diui Thomæ loco citato art.1.Cùm enim hierarchia ſit ſacer principatus, in ratione autem principatus duo conſiderentur, nempe ipſe princeps,& multitudo ordinata ſub principe; ſi conſideretur principatus ratione principis, cùm vnus ſit Deus princeps non ſolum omnium Angelorum,ſed etiam hominum & totius creaturę;ideo non ſolum omnium Angelorum,ſed etiam omnium rationalium creaturarum quæ ſacrorum participes eſſe poſſũt, vna duntaxat erit hierarchia;ſi verò conſideretur principatus ex parte multitudinis ordinatæ ſub principes,ſic vnus principatus dicitur ſecundùm quod multitudo vno & eodẽ modo gubernatur à principe; itaut ea quæ non poſſunt ſecundùm eundem modum gubernari, etiam ab eodem principe, ad diuerſos principatus pertineant; ſicut dici poſſunt diuerſi principatus diuerſarum ciuitatum quæ ſub vno Rege diuerſis legibus ac miniſtris gubernãtur.Conſtat autem homines alio modo gubernari à Deo quàm Angelos;quod vel ex eo conſtat quod diuinas illuminationes per quas Deus rationalem creaturam ad finem ſupernaturalem dirigit, alio modo percipiunt quàm Angeli;nam Angeli eas percipiunt intelligibili puritate,homines verò ſub rerum ſenſibilium ſimilitudine, vt prçclarè monet Diuus Dionyſius cap. 1. de cæleſti hierarchia: Quare neceſſe eſt diſtingui humanam hierarchiam ab Angelica;vnde illa, Eccleſiaſtica; hæc, Cæleſtis appellatur, ac de vtraque præclarè diſſeruit Diuus Dionyſius ſuis

Probatur prædicta propoſitio.

Alia hominũ alia angelorum eſſe debet hierarchia.

libris de Cæleſti & Eccleſiaſtica hierarchia.

Non eadē eſſe poteſt Angelorū hierarchia.

Et quoniam adhuc Angeli non eodem modo omnes gubernātur à Deo, cū nōnulli immediatè tantùm ab ipſo, alij vero etiam mediantibus primis, alij denique mediantibus etiam ſecundis gubernentur; itaut primi diuinas illuminationes immediatè à Deo percipiant, ſecundi verò per primos, denique tertij per primos & ſecundos: hinc tres exiſtunt Angelorū principatus ſeu hierarchiæ; quę nō tantùm penes illum diuerſum modum gubernationis diuinæ diſtinguuntur, ſed etiam penes diuerſos gradus cognitionis quæ in ipſis reperitur, ac etiam penes diuerſos ipſorum actus: & quidem gradus cognitionis tripliciter diſtinguitur in Angelis, ſecūdùm quod rationes rerum de quibus illuminantur tripliciter diſtinguūtur; ſunt enim quædam rationes rerum ideales in quibuſdam Angelis quæ à ſolo primo vniuerſaliſſimo principio nēpe Deo obiectiuè pendent, itaut per ipſas in ipſo ſolo Deo cætera cognoſcantur etiā cognitione veſpertina, & iſtæ rationes in angelis primæ hierarchiæ reperiuntur, ac in ipſis vniuerſaliſſimā rerum notitiam pariunt: ſunt verò alię rationes quæ à cauſis ſecundis vniuerſalibus obiectiuè pendent, ita vt per ipſas in eiuſmodi cauſis vniuerſalibus cætera cognoſcantur, & iſtæ rationes ideales cognoſcendi in angelis ſecūdæ hierarchiæ reperiuntur, ac in ipſis vniuerſalem rerum cognitionem gignunt, minùs tamen vniuerſalem quàm quæ eſt in Angelis

Quomodo diſtinguūtur tres Angelorū hierarchiæ per diuerſos gradus cognitionis.

primæ hierarchiæ, Denique ſunt aliæ rationes cognoſcendi in Angelis quæ à cauſis propriis rerum obiectiuè pendent, itaut per ipſas in eiuſmodi cauſis ſinguli ipſarum cauſarum effectus futuri cognoſcantur, & iſtæ rationes reperiuntur in Angelis tertiæ hierarchiæ, ac in ipſis vniuerſalem quidem cognitionem gignunt, ſed multò minùs vniuerſalem quàm ſunt reliquæ præcedentes.

Duo ſunt in genere præcipui actus hierarchici, ſex vero in ſpecie.

Quod verò ſpectat ad actus hierarchicos, duo ſunt in genere præcipui omnibus hierarchiis communes ex Diuo Dionyſio; nempè recipere ſeu participare, & refundere ſeu cõmunicare: & quoniam id quod recipitur ſeu participatur, item quod refunditur ſeu communicatur in vnaquaque hierarchia eſt puritas, lux, & perfectio; hinc ſecundùm eundem Diuum Dionyſium, ſex colliguntur actus ſpeciales hierarchiarum, tres quidẽ paſſiui, nempe purgari, illuminari, perfici; & totidem actiui, nempè purgare, illuminare, perficere; inter quos præcipuus actus eſt illuminatio, eo quòd Angeli per illuminationem concipiuntur purgari ſimul ac perfici, purgari quidem ab ignorantiæ tenebris, perfici verò quia per lucis participationem diuinitati quæ lux eſt maximè conformantur. Diſtinguuntur autem cæleſtes hierarchiæ per prædictos actus in hunc modum: primæ enim hierarchiæ Angeli à ſolo Deo immediatè recipiunt quod in Angelos ſecundæ hierarchiæ refundũt, ſicque a ſolo Deo immediatè

Quomodo diſtinguũtur prædictæ hierarchiæ per prædictos actus.

purgantur,illuminantur, ac perficiuntur, & angelos ſecundæ hierarchiæ purgant, illuminant,ac perficiunt:at ſecundæ hierarchię Angeli omnes immediatè ab Angelis primæ hierarchiæ purgantur,illuminantur,ac perficiuntur,& Angelos tertię hierarchiæ purgant, illuminant,ac perficiunt:denique angeli tertiæ hierarchiæ mediatè quidem ab angelis primæ hierarchię,immediatè verò ab angelis ſecundæ hierarchiæ purgantur, illuminantur, ac perficiuntur, multoſque alios angelos purgant, aut illuminant, aut perficiunt, ſed tantùm inferiorem hanc hierarchiam eccleſiaſticam, quam ſpecialiter gubernant & dirigunt.

Secunda propoſitio. Secunda propoſitio. Conueniens eſt plures eſſe angelorum ordines in vnaquaque hierarchia. Vbi nota quod hîc ordinem angelorum accipimus pro certa aliqua multitudine Angelorum ab alia multitudine ipſorum per naturæ dignitatem & officiorum qualitatem diſtincta. *Ratione probatur.* Probatur autem hæc propoſitio iuxta Diuum Thomam hîc q. 108. art. 2. Hierarchia enim ex prędictis dicit multitudinem aliquam vno modo ordinatam ſub alicuius principis gubernatione; non autem eſſet multitudo ordinata ſed confuſa ſi in ea diuerſi ordines non eſſent, ſicque ipſa hierarchiæ ratio ordinum diuerſitatem requirit, quæ quidem diuerſitas ſecundùm diuerſa officia & actus ipſorum ordinũ conſideratur, non ſecus ac in vna ciuitate diuerſi ordines penes diuerſa ciuiũ officia ſeu munera diſtinguũtur, vnde eſt alius ordo iudi-

cantium, alius pugnantium, alius in agris laborantium, & ſic de aliis.

Tertia propoſitio. Congruum eſt vt quẽadmodum ſunt tres angelorum hierarchiæ, ita in vnaquaque hierarchia tres quoque ſint ipſorum ordines. Probatur, quia in qualibet cõpleta multitudine, vt præclarè docet Sanct. Doctor loco citato, reperitur principium, medium, & finis, quo fit vt omnes vnius ciuitatis ordines ad tres præcipuos poſſint reuocari, ideoque in vnaquaque Republica triplex hominum ordo diſtinguatur, nempe Optimatũ qui ſunt ſupremi, infimæ plebis qui ſunt vltimi, & honorabilium ciuium qui ſunt medij. ſic igitur in qualibet hierarchia angelica ordines diſtinguuntur ſecundùm diuerſos actus & officia, quæ omnis diuerſitas ad tria iſta reducitur, nempè ad ſupremum, medium, & infimum; ideoque in qualibet hierarchia conuenienter aſſignantur tres angelorum ordines authore Diuo Dionyſio lib de cæleſti hierarchia, præſertim cap. 7. 8. & 9. itaut in prima hierarchia primi ſint Seraphim, medii Cherubim, infimi verò Throni; in ſecunda verò hierarchia primi ſint Dominationes, medii Virtutes, infimi Poteſtates: denique in tertia hierarchia primi ſint Principatus, medii Archangeli, infimi verò Angeli. Adde quod cùm numerus ternarius Deo vt potè in perſonis trino maximè competat, conueniens fuit vt iuxta illum numerum, præcipuarum rerum creaturarum ordines diſtinxerit, pręſertimque ſpiritualium quæ quam proximè naturæ ſimilitudine ad ip-

Tertia propoſitio.

Probatur ratione: primà.

Secundo.

Digitized by Google

diſtixiſſe omnes cæleſtes immortaleſque ſubſtantias in nouem ordines; Gregorii Nazianz. oratione 2. de Theologia ſub finē: Chryſoſtomi hom. 4. in Geneſim circa mediū, Damaſceni li. 2. de fide orthodoxa cap 3. D. Gregorii loco ſupra citato D. Bernardi loco etiā ſupra citato. Tertiò cōfirmatur ratione, nēpè explicādo dignitates & officia ſingulorū ordinū cuiuſque hierarchię, & oſtēdēdo quā cōueniēter ſingula propriis nominibus cōueniant; quod quidē fuſè declarat D. Tho. loco ſupra citato, quāuis ſubobſcurè. Poteſt autē paulò clariꝰ ſic explicari: conueniunt quidē illi tres primi ordines ex quibus cōſtat prima hierarchia in ſingulari quadā habitudine ad Deum tanquā ad principium & finē totius ordinis hierarchici, in qua habitudine prædicti ordines, nēpe Seraphim, Cherubim, & Throni diuerſo modo peculiariter excellūt: nā Seraphim ita appellantur ab incenſa charitate erga Deū qua etiā alios Angelos inferiores ad eundē Deū amandū inflammant: Cherubim autē dicuntur ab excellenti rerum diuinarū ſcientia qua ſingulariter etiam alios Angelos inferiores illuminant: Throni verò tanquam eminentes quædam & altæ ſedes ſic nominantur à præcellenti virtute ſecundùm quam ab effectibus terrenis & prauis remotiſſimi ad ſuſcipiendos in ſe diuinos fulgores maximè ſunt idonei, & quaſi ſedium inſtar ad id ſemper patent ac ſunt parati, nec non ad eandem virtutis præſtantiam alios inferiores angelos informare ſtudent: at verò tres ſequentes

Ratione confirmatur.

Dignitates & officia trium primorum ordinum.

Dignitates & officia triū mediorum ordinum.

Digitized by Google

ordines, ex quibus cõſtat ſecunda hierarchia, nempe Dominationes, Virtutes, Poteſtates, conueniunt in vniuerſali quadam cognitione ac diſpoſitione rerum gerendarum, in qua ſimiliter diuerſo modo peculariter excellunt; nam Dominationes ſic appellantur, eo quod eiuſmodi Angeli liberi ab omni ſeruili affectus peccati, certiſſimè ordinant quidnam ad Dei gloriam ſit agẽdum, alioſque ſibi inferiores de hoc inſtruunt; Virtutes autem dicuntur eo quod inconcuſſâ & velut maſculâ quadam fortitudine, vt loquitur Diu⁹ Dionyſius, prõpti & expediti ſint ad diuinum obſequium, atque ad idem etiam opem largiantur aliis Angelis inferioribus; denique poteſtates dicuntur, eò quod inſuperabili conſtantiâ intenti ſint in diuinum obſequium, illudque ordinatiſſimè ſuſcipiãt, atque ad id etiam ea quę poſt ſe ſunt Angelica agminà promouent, vt docet ibidem idem Dionyſius. Denique tres poſtremi ordines, ex quibus cõſtat tertia hierarchia nempè Principatus, Archangeli, & Angeli, conueniunt in exequutione quadam perfectâ rerum gerendarum per angelos, in qua diuerſo modo peculiariter excellunt; nam Principatus nominantur illi qui ſunt quaſi primi duces in eiuſmodi exequutione: Archangeli verò, qui ſunt in eadem velut medii inter Principatus & Angelos, qui propterea Archãgeli tanquàm præcipui Angeli nominantur: denique Angeli dicũtur, qui ſunt in eiuſmodi exequutione infimi, atque idcirco iſti non habent peculiare aliquód nomẽ, ſed vocabulum alioqui omnibus

Dignitatas & officia trium poſtremorum ordinum.

omnibus commune tanquàm ſibi proprium vendicant. Vbi notandum eſt ex Diuo Thoma hîc quæſtione citatâ art. 5. vnum & idẽ nomen quod ſecundùm proprietatem alicui ordini Angelico conuenit, poſſe alteri ordini tribui dupliciter; nempe vel ſuperiori per exceſſum, vel inferiori per participationem; quia nempe proprietas eo nomine ſignificata in ſuperiori ordine eminenter ſeu per excellentiã ac exceſſum reperitur, & in inferiori dependenter, & ex parte ſeu per participationem; ſic intelligentiæ ſuperiorum ordinum vendicant ſibi nomẽ proprium infimi ordinis per exceſſum, vt docet Diuus Dionyſius cap. 5. de cæleſti hierar. & vt idem docet ibidem cap. 13 Angelus etiam infimi ordinis appellatur Seraphim apud Iſa. cap. 8 dependenter & per participationem proprietatis ſeu perfectionis eius quæ reperitur in Angelis primi ordinis. *Nota.*

Porrò in ſingulis ordinibus, ſunt alij quidam gradus & differentiæ Angelorum; nam ex Angelis cuiuſque ordinis, alij ſunt ſupremi, alij medii, alii infimi, vt docet Diuus Dionyſ. cap. 10. Cæleſtis hierarchiæ, licèt horum graduum differentia non perinde nobis nota ſit, præſertim cùm de differentia & ratione Angelorum pauca admodum nobis comperta ſint, vt idem Diuus Dionyſius fatetur cap. 6. de cæleſti hierarchia, & Diuus Auguſtinus lib. ad Oroſium contra Priſcillianiſtas & Origeniſtas cap. 10. *In eodem Angelorũ ordine diuerſi gradus.*

Quomodo, quando nam, & vbi producti ſint Angeli.

QVÆSTIO VI.

TRes hîc difficultates proponuntur explicandæ, vt patet ex ipſo quæſtionis titulo.

Prima difficultas explicatur. Quod ſpectat ad primam, exploſis variis hæreticorum deliriis, Reſpondemus fide conſtare Angelos eſſe à Deo ex nihilo per creationem productos; tùm quia conſtat ex ſacris litteris, vt Ioannis 1. & ad Roma. 11. omnia prorſus à Deo eſſe facta; tùm quia id ſpecialiter cōſtat de Angelis, vt ad Colloſſ. 1. *In ipſo condita ſunt vniuerſa in cęlis & in terra viſibilia & inuiſibilia ſiue Throni, ſiue Dominationes, ſiue principatus, ſiue poteſtates, omnia per ipſum & in ipſo creata ſunt & in Symbolo Nicęno profitemur Deum eſſe creatorem cæli & terræ viſibilium & inuiſibilium*: Et Concilium Lateranenſe ſub Innocentio III. *Deus* (inquit) *ab initio temporis vtramque de nihilo condidit creaturam ſpiritualem & corporalem.* Hanc autem Angelorum creationem verbis expreſſis non explicuit Moyſes, vt hîc notat Diuus Thomas q. 61. art. 1. ad primum, eo quod rudi populo & rerum ſpiritualium minùs intelligenti mundi originem deſcribebat.

Secunda difficultas explicatur. Quod ſpectat ad ſecundam, conſtat quidem Angelos non eſſe ab ęterno creatos, cùm ſapientia æterna ſe à Deo conceptam eſſe di-

Digitized by Google

cat antequã quicquã faceret Prouerbiorum 8. *Et ex ore altiſsimi prodiiſſe ante omnem creaturam* Eccleſiaſti. 24. Quonã verò tempore, vel in inſtãti temporis creati fuerint dubitatũ eſt olim apud ſanctos Patres: quidam enim illorum arbitrati ſunt productos eſſe ante mundum corporeum, vt Origenes, Gregorius Nazianzenus, Chryſoſtomus, Baſilius, & inter Latinos Ambroſius, Hilarius, Hieronymus, Caſſianus, &c. alii vt Gennadius & Achatius, ex Lippomano in ſua Cathena ſuper Geneſim, fuiſſe creatos poſt mundum corporeum, ſicut ſolet anima poſt corpus efformatum à Deo procreari: At verò probabiliùs alii cenſuerunt fuiſſe creatos ſimul cum mundo corporeo, nempe ſimul cum Cælo Empyreo. Huius ſententiæ fuerunt Diuus Auguſtinus, Gregorius magnus, Beda, & ferè omnes Latini poſt Diuum Auguſtinum, ſicut & Scholaſtici cum Magiſtro ſententiarum in 2. diſtinct. 2. ſicut & Diuus Thomas hîc qu. 61. art. 3. Confirmatur hæc ſententia ex Geneſeos 1. *In principio creauit Deus cælum & terram*, &c. Deinde paucis interiectis *Dixit Deus, fiat lux*, vbi per cælum & lucem plerique Patres intelligunt figuratè fuiſſe ſignificatos Angelos, vt Diuus Auguſtinus lib. 1. de Geneſi ad litteram cap. 1. & lib. 11. de ciuitate Dei cap. 9. 19. & 33. Gregorius Magnus lib. 27. Moralium cap. 25. Beda in Hexamer. Rupertus in caput primum Geneſeos, &

Probabilior ſententia circa Angelorũ creationem.

Confirmatur.

Occurritur obiectioni. Diuus Thomas hîc q. 61. art. 1. ad 1. Neque obeſt quod narratio hæc primi capitis Geneſeos ſit hiſtorica; hoc enim non impedit quominus etiam accipi poſſit figuraliter, neque enim dubium eſt narrationem fuiſſe hiſtoricam de duobus filiis Abrahæ cap. 16. & 22. Geneſeos, & tamen ait Apoſtolus ad Galatas 4. fuiſſe hæc per allegoriam dicta; omnia enim in figura contingebant illis, vt ait idem Apoſtolus 1. ad Corinth. 10. *Comprobatur eadem ſententia.* Comprobatur adhuc hæc ſententia, ex alio loco qui habetur Eccleſiaſtici 18. *Qui viuit in æternum, creauit omnia ſimul*, ex quo intelligere eſt ſpirituales ſubſtantias ſimul cum corporeis fuiſſe productas: Eſt autem adeò communiter recepta apud Theologos hæc ſententia, vt primam tenere nunc temerarium eſſet, non tamen planè erroneum.

Tertia difficultas explicatur. Quod ſpectat ad tertiam difficultatem: Communis ſententia quæ eſt Magiſtri ſententiarum in Secundo diſtinct. 2. eſt, fuiſſe creatos Angelos in cælo Empireo, eamque probat Diuus Thomas hîc art. 4. cùm enim Angeli ſint creati vt præſideant creaturæ corporeæ, congruum fuit vt in ſupremo loco crearentur, quod tamen fide certum non eſt, ſicut nec fide certum eſt eſſe eiuſmodi cælum empyreum immobile ſupra cælos mobiles; quamuis valde temerarium eſſet iſtud cælum negare, cùm non tantùm omnes ſcholaſtici illud admittant, ſed etiam expreſſam de eo mentionem fecerint antiqui Patres, vt Clemens Romanus Epiſtola 4. Clemens Alexan-

Digitized by Google

drinus lib. 7. Stromatum, Baſilius homil 2. Hexam. Theodoretus q. 11.14. in Geneſ. Damaſcenus lib. 2. de fide orthodoxa cap. 6. Lege de illo Diuum Thomam hîc q. 66. art. 3. & Abulenſem in caput 23. Exod. q. 53.

SECVNDA DISPVTATIO.

DE SVBSTANTIA ANGELORVM IN ORDINE AD CORPORALIA.

QVæ de ſubſtantia Angelorum in ordine ad res corporeas diſputari poſſunt, ad tria capita reducuntur; aut enim pertinent ad corporum aſſumptionem, vel ad exiſtentiam in loco, vel ad motum localem: de quibus in hac diſputatione agendum eſt.

An Angeli aſſumant corpora.

QVÆSTIO I.

COnſtat ex prima quæſtione, & ſecunda præcedentis diſputationis, angelos non habere co[r]pora ſibi naturaliter vnita: quæritur autem hîc num poſſint aliena ad tempus aſſumere, & quomodo: qua de re quid probabilius tenendum ſit, ſequentibus propoſitionibus determinabitur.

Digitized by Google

Prima propoſitio probatur ex veris Angelorum apparitionibus.

Prima propoſitio. Angeli nonnumquàm realiter aſſumunt corpora. Probatur, quia nonnumquam exiſtunt veræ & reales, ſiue bonorum, ſiue malorum Angelorum apparitiones, (neque enim vllo modo probandi ſunt qui omnes Angelorum apparitiones phantaſticas & imaginarias eſſe contendunt) quod conſtat ex multis apparitionibus quarum mentionem faciunt ſacræ litteræ; Verbi gratiâ, apparitiones factæ Abrahæ & Loth, quæ habentur in Geneſi, fuerunt veræ & reales; neque enim Angeli illi qui apparebant à ſolis Abraham & Loth, conſpiciebantur, ſed etiam ab aliis omnibus: quod autem ab omnibus conſpicitur non eſt imaginarium, quod enim imaginarium eſt ab eo tantum videtur cuius imaginatio deluſa eſt; ſimiliter apparitio dæmonis facta Chriſto in deſerto Matthęi 4. non fuit imaginaria: quis enim dicat Chriſti ſenſus fuiſſe deluſos? adde quod corpora in quibus dæmones apparent, verè tactu percipiuntur, vt refert Sanct. Auguſt. lib. 15. de ciuitate Dei cap. 23. qui ſenſus eſt omnium certiſſimus, prǽſertim in homine, vt docent Phyſici, & Chriſtus ipſe inſinuauit Lucæ 24. *Palpate & videte, quia ſpiritus carnem & oſſa non habet.*

Secunda propoſitio.

Secunda propoſitio. Angeli non aſſumunt corpora ea verè informando, aut hypoſtaticè ſibi vniendo, aut localiter tantùm mouendo: non inquam informando, cùm ipſi non ſint ſubſtantiæ incompletæ, quales ſunt omnes formæ, ſed ſint ſubſtantiæ inte-

Prima pars propoſitionis probatur.

græ & perfectæ ac per ſe ſubſiſtentes, non minùs quàm homines: neque etiam ea ſibi hypoſtaticè vniendo ſicut Verbum diuinum humanam carnem dicitur aſſumpſiſſe; neque enim admittenda ſunt miracula ſine neceſſitate; atqui nulla eſt neceſſitas admittendi eiuſmodi hypoſtaticam vnionem quæ planè eſſet miraculoſa, immo etiam fortaſſis impoſſibilis, cùm nulla ſit, nec etiam fortaſſis per abſolutam Dei potentiam eſſe poſſit naturæ creatæ vis tanta, vt alienam naturam propria hypoſtaſi deſtitutam hypoſtaticè terminet & ſubſtentet: nulla, inquam, neceſſitas eſt admittendi eiuſmodi miraculoſam aut certè impoſſibilem vnionem, cùm ſuppetat alius modus naturalis quo eiuſmodi corpora vniri poſſint Angelis, vt mox dicetur: denique Angeli non dicuntur aſſumere corpora ea tantummodò mouendo localiter; quia ſi ita eſſet, Angeli dicerentur aſſumere cœlos, quia illos iuxta probabilem multorum opinionem circumagunt; ſimiliter dæmones dicerentur aſſumere energumenos vel ipſorum corpora, quia in ipſis motum exercent; imò pari ratione diceretur Deus aſſumere totam hanc mundi molem, quia illam mouet & gubernat; quod tamen dicere abſurdum eſt.

Secunda pars probatur.

Tertia pars probatur.

Tertia propoſitio communis Theologorum in ſecundum Sententiarum diſt. 8. quæ eſt etiam Diui Thomæ hîc queſt. 51. art. 2.

Tertia propoſitio.

Digitized by Google

Angeli aſſumunt corpora, ea ſibi vniendo per inexiſtentiam, iiſque liberè vtēdo ſaltē quoad motum localem: ſeque per ea reuelando & repræſentãdo: ex quo intelligis tres cõditiones requiri, vt corpus aliquod dicatur aſſumptũ ab Angelo; prima vt Angelus in ipſo realiter exiſtat, ſecunda vt illud ipſum liberè moueat, tertia vt per ipſum ſe repræſentet ac manifeſtet, defectu cuius poſtremæ conditionis, neque cæli dicuntur ab intelligentiis mouentibus aſſumpti, neque energumeni à Dæmone, neque mundus à Deo.

Tres conditiones vt Angelus dicatur aſſumere corpus aliquod.

Conſectarium.

Porrò ex hoc intelligere eſt, nihil repugnare quominus Deus poſſit immediatè aliquod corpus aſſumere, eo modo quo Angelus, cùm nulla ex prędictis cõditionibus ipſi repugnet: an verò de facto Deus immediatè corpus aliquod hoc modo aſsũpſerit, meritò dubitari poſſet: probabilius tamen videtur Deum nunquam ſaltem in veteri lege aſſumpſiſſe corpus aliquod, eo modo quo aſſumunt Angeli, ſed apparitiones illas Dei olim factas eſſe per miniſterium Angelorum perſonam Dei repræſentãtiũ. Probatur primũ authoritate D. Dionyſii, qui ita cenſet cap. 4. de cæleſt. hierar. & Diui Auguſt. qui illud ipſum expreſſè docet lib. 3. de Trinit. cap 10. 11. & 12. & 4. de ciuitate Dei cap. 13. & 15. ſecũdò ratione ſeu inductione, ſi quæ enim ſunt apparitiones in quibus videri poſſit Deus immediatè corpus aſſumpſiſſe eo modo quo ſolent angeli, maximè illę ſunt quæ habentur Geneſis 3. vbi dicitur Deus ambulaſſe in Paradiſo Geneſis 18.

Deum nũquam aſſumere corpora probatur. prima authoritate. Secundo ratione.

Digitized by Google

vbi dicitur apparuiſſe Abrahamo. Geneſ. 32. vbi Iacob luctatus eſſe dicitur cum Deo. Exod. 3. Vbi Deus legitur apparuiſſe in medio rubi ardentis, & dixiſſe, *Ego ſum Deus Patris tui, &c.* & tamen nulla iſtarum apparitionum facta eſt à Deo immediatè, ſed miniſterio Angelorum Dei perſonam referentium: neque enim commodè intelligi poteſt quomodo Deus per ſeipſum ambulauerit, ſicut nec alia quæ in prędictis apparitionibus contigerunt, & certè illud non obſcurè indicant ſacræ Scripturæ teſtimonia, namque Apoſtolus loquens de apparitione illa facta Abrahamo ad Hebr. 3. ait eos qui hoſpitio ſuſcepti fuerant Angelos extitiſſe: & Ioſuæ 24. Angelus dicitur fuiſſe contra quem Iacob inualuit; ſimiliter Actorum 7. dicitur Angelus apparuiſſe Moyſi in rubro; denique Apoſtolus ad Gal. 3. & ad Hebr. 2. non obſcurè ſignificat legem Moyſi datam fuiſſe per Angelos.

An verò ſaltem in nouo Teſtamento Deus hoc modo corpus aſſumpſerit, difficultas eſt, præſertim ſi ſermo ſit de Spiritu Sancto in ſpecie columbæ & linguarum ignearum apparente. Reſpondemus tamen probabilius nobis videri Deum in iſtis apparitionibus vſum eſſe miniſterio Angelorum, præſertim cùm nec illæ linguæ igneę fuerint verè linguæ, nec etiam columba fuerit vera columba, iuxta probabiliorem quorumdam doctorum opinionem: ſicque nihil repugnet Angelos eiuſmodi ſpeciem columbæ ex aëre, & ſpeciem linguarum ignearum ex igne compegiſſe, ſicque in iis Spi- *Dubitatio.* *Solutio.*

ritũ Sanctũ tanquã verè præſentẽ exhibuiſſe.

Superſunt autem quædam diligẽter animaduertenda quæ ad hanc quæſtionem pertinent.

Notãdum primo. Primum eſt. Non omnes Angelorum apparitiones eſſe veras, ſed quaſdam eſſe imaginarias, dæmone nempè hominibus, variis modis illudente: quibus verò modis poſſit dæmon humanum ſenſum eludere, aliàs dictum eſt 2. part. Eth. tract. 2. diſp. 2. qu. 2. nempè facta aliqua immutatione vel in organo ſenſus, vel in obiecto, vel in medio quod inter organum & obiectum intercipitur.

Secundo. Secundum, apparitiones quaſdam non ideò dici veras quod Angeli verè ſint id quod apparent, ſed quod vera ſint corpora in quibus apparent; ſiue ſint ſolida & contrectabilia ex imperfecta aliqua mixtione contemperata, ſiue ſint ſubtilia ac tactu imperceptibilia, vt potè ex ſolo aëre fabricata.

Tertio. Tertium. Licèt admodum difficile ſit & arduum apparitiones bonorũ & malorũ Angelorũ ſecernere, cũ ſpirituũ diſcretio potiùs lumine diuinitùs infuſo, quã vllo rationis diſcurſu cõparetur; quædã tamen aſſignãtur veroſimilia diſtinctionis indicia. *Primum indicium ad diſcernẽdum bonum Angelum à malo.* Primũ, quod boni Angeli vbi primũ apparẽt, timorem nonnullũ incutiunt, at ſub finem conſolantur; mali contra initio blandiuntur ac demulcent, poſtmodum verò homines deluſos ſimul ac deſolatos deſerunt. *Secundum indicium.* Alterum, quod mali Angeli ſub forma fœdorum aut noxiorum animalium apparent, vt ſub forma vrſi, leonis, ſerpentis, felis, & ſimilium: at boni Angeli vix ſub alia ſpecie

Digitized by Google

quàm hominis apparere ſolent, quod ſi nonnumquam dęmones ſub forma humana appareant, hoc ita euenit vt ferè ſemper aliquid horridum vel monſtruoſum præſeferant, vel aliquid fœdum quod ad aliquid inhoneſtum ſuadeat oſtendant. Tertium indicium petitur à voce, ſi enim vox ſit terribilis, aut inſolita, aut inarticulata ſeu incompoſita, veroſimile eſt apparitionem eſſe mali Angeli, licèt non vſque adeò certiſſimum. Quartum indicium à geſtu petitur, ſi enim leuis ſit, lubricus, aut incompoſitus, credibile eſt eſſe dæmonem. *Tertium.* *Quartum.*

Quintum colligitur ex iis quæ præcipiuntur ab Angelo apparente, ſi enim præcipiatur aliquid Scripturæ, Traditioni, Conciliis, bonis moribus & honeſtati contrarium, aut aliquid ſuperſtitioſum & indebitum cultum redolens, vel ſi præcipiatur aliquid nimis laborioſum quod ſanitatem poſſit offendere, aut certè vitæ nocere, certo certius eſt eſſe dæmonem: denique poſtremum indicium illudque certiſſimum, petitur ex internis effectibus eiuſmodi apparitiones ſubſequentibus: verbi gratiâ, attendendum eſt, vtrùm is cui facta eſt apparitio, ſentiat ſe ex eiuſmodi apparitione ſolito plus ad amorem Dei vſque ad verum ſui contemptum excitari, ſimulque ad alias veras & ſolidas virtutes; vt ad patientiam, iniuriarum tolerantiam, veram omnium rerum externarum abnegationem, & perfectam obedientiam inflammari; an verò econtrà ſe ſentiat inde tepidiorem in amore Dei *Quintum.* *Sextum indicium omnium certiſſimum.*

Digitized by Google

euadere, ac minùs promptum ad quoduis aliud genus virtutis, immò potiùs ad aliquid virtuti contrarium, curioſum, aut ſuperſtitioſum ſe ſentiat inclinari: prioris enim generis effectus ſunt à bono, poſterioris verò à malo.

Notādũm. Quarto. Quarto notandum eſt, maleficas illas quę lamiæ ſtriges & ſagæ nonnunquam appellantur, ſæpenumero verè transferri localiter, idque breuiſſimo tempore à dæmonibus in loca etiam valdè diſſita, vt conſtat ex teſtimoniis fide dignis eorum qui id ſuis oculis conſpexerunt, vt declarat Abulenſis qu. 47. in 4. Matthæi, & pluribus exemplis quæ extant apud Syluestrum libro De Dæmonum mirandis, idemque teſtatur Eccleſiaſtica hiſtoria de Simone Mago quem refert diabolicis artibus euectum in aëra, donec orantibus Petro & Paulo à dæmonibus dimitteretur, ac pręcipiti ruina proſtratus interiret, authore Egeſipo, lib. 3. de excidio Hieroſolymitano cap. 2. Diuo Auguſtino ſermone 3. de Apoſtolis Petro & Paulo: tale aliquid etiam narrat Philoſtratus de Apollonio Tyanæo.

Quod non mirum videri debet, cùm naturale ſit dæmonis ſicut & cuiuſlibet Angeli poſſe quælibet corpora etiam animata mouere localiter, niſi à Deo coërceatur, & Chriſtus ipſe Matthęi 4. permiſerit ſe aſſumi à diabolo, & ex deſerto corporaliter transferri in pinnaculum templi. *Nota.* Vbi obiter nota Dæmonem non poſſe dici propriè loquendo aſſumere eiuſmodi corpora, licèt enim ea realiter transferat, non tamen illa induit ad ſeipſum tanquam

Digitized by Google

præſentem exhibendum, quod tamen ex prędictis requiritur ad hoc vt corpus aliquod dicatur aſſumptum à dæmone. Cæterùm non eſt negandum tranſlationes Lamiarum, ſæpenumero eſſe imaginarias, quia eo ipſo tempore quo iſtæ mulierculæ ſe delatas ad varia loca dixerunt, inuentę fuerunt ſæpiſſimè ſopitis ſenſibus iacentes quaſi exanimes & emortuæ; de qua re lege Abulenſem in cap.13. Geneſeos.

Poſtremò. Notandum eſt aliud eſſe, corpus aliquod aſſumi à dæmone, poſſideri, & obſideri, licèt in hoc conueniant quod dæmon adſit corpori aſſumpto, poſſeſſo, & obſeſſo, ſpecialemque poteſtatem habeat conceſſam à Deo in eiuſmodi corpora. Primum enim dici poteſt de quouis corpore quod dæmon poteſt induere; at ſecundum & tertium propriè & ordinariè de corpore humano duntaxat, eoque viuo: deinde dicitur corpus aſſumi à dæmone vt per illud dæmon ſe repræſentet; at verò non ad id corpus dicitur poſſideri aut obſideri: præterea demon ineſt neceſſariò tùm corpori aſſumpto, cum poſſeſſo, dum illud actu poſſidet; at verò non neceſſariò ineſt corpori obſeſſo, ſed tantùm adeſt; ſicque corpus aſſumptum & poſſeſſum mouet ab intus, at obſeſſum deforis agitat.

Notãdum quinto quid ſit corpus aſſumi, poſſideri, & obſideri.

An Angeli in aſſumptis corporibus opera vitæ exerceant.

Qvæstio II.

Notãdum primo. VT faciliùs quęſtio propoſita enodetur, nonnulla prænotanda ſunt. Primùm conſtare quidem Angelos in aſſumptis corporibus varias operationes exercere, tam rebus viuentibus quàm non viuentibus communes; hîc autem dubitari poteſt, nûm poſſint operationes exercere rerum viuentium proprias quæ propriè vitales appellantur. *Notãdum ſecundo.* Secundò notandum eſt opus vitæ ſeu actionem vitalem appellari, quę eſt à principio vitali, ſeu à principio vitæ coniuncto, & quidem coniuncto per modum formæ in ſuppoſito in quo talis actio exercetur.

Hoc poſito, ſit noſtra hęc aſſertio, quæ eſt D. Thom. qu. 51. art. 3. & communiter omnium Theologorum in ſecundum Sentent. diſt. 8. *Aſſertio tenenda.* Angelos non poſſe in aſſumptis corporibus exercere opera vitæ. *Probatur authoritate.* Probatur primò authoritate Tobię cap. 12. vbi Raphael Tobiam alloquẽs: *Cùm eram (inquit) vobiſcum, videbar vobis manducare & bibere, ſed ego cibo inuiſibili & potu qui ab hominibus videri non poteſt, vtor.* *Ratione.* Secundò ratione: nihil poteſt exercere opera vitæ niſi principium potentiale operum vitę habeat: atqui Angeli non habent principium vitale ſeu potentiale operum vitę, cùm illud debeat eſſe intrinſecum & ad modum formę informantis coniunctũ cum corpore in quo tales operationes exerceri debent; non igitur poſſunt Ange-

li in corporibus aſſumptis opera vitę exercere.

Verùm aduerſus hanc noſtram aſſertionem, tria maximè obiici poſſunt circa totidem actiones vitales, loquutionem nempè, comeſtionem, & generationem, quas actiones videntur Angeli præſtitiſſe.

Itaque obiicitur primò Angelos ex ſacris litteris verè idque ſæpenumerò loquutos fuiſſe. Reſpondetur, licèt Angeli ſonum aliquẽ edere poſſint beneficio corporum aſſumptorum humanæ voci ſeu locutioni perſimilem, non tamen propriè loqui, nam ad rationem propriæ locutionis neceſſe eſt aerem nõ quolibet modo alliſi, ſicque ſonum edere articulatum, ſed per organa quædam corporea & viuentia quorum motus ſint à principio vitæ, cuiuſmodi non ſunt in corporibus aſſumptis; quare loquutio Angelorum in eiuſmodi corporibus eſt tantũ metaphorica, qualis illa extitit quę in Baptiſmo Chriſti audita eſt Matth. 4. Fuit enim abſque vllis organis corporeis & vitalib⁹ in aëre efformata, ſicut nec loquutio aſinæ Balaam fuit propriè dicta propter ineptitudinẽ organi; neque enim fuit tale organũ vitale quale naturaliter requiritur ad efformãdã loquutionẽ. *Obiicitur primò.* *Reſpondetur.*

Secundò obiicitur Angelos verè comediſſe vt de Raphaele ex libro Tobiæ conſtat. At verò reſpondetur Angelos in aſſumptis corporibus nõniſi impropriè & metaphoricè dici comedere; nam comeſtio propriè dicta debet ab intrinſeco & vitali principio procedere, ſicut nec ſtatua diceretur propriè comedere quæ ſic eſſet artificioſè facta, *Obiicitur ſecundò.* *Reſpondetur.*

Digitized by Google

vt & manu cibum ori applicaret, & etiam artificioſo quodam motu dentibus manderet, atque contereret, indeque in ſtomachũ traiiceret: adde quod vitalis ſeu propriè dicta comeſtio ad nutritionem per ſe ordinatur; ideò enim traiicitur cibus in ſtomachum, vt ibi calore natiuo excoquatur, expurgetur, ac tãdem ſanguis effectus in ſubſtantiam viuentis conuertatur, licèt interdum per accidens actu non conuertatur: quod dixerim propter Chriſtum cuius fuit vera & vitalis poſt reſurrectionem comeſtio, cùm fieret per potentiam vitalẽ ipſius veri corporis humani à qua cibus ille poterat in ſubſtantiam ipſius conuerti, licèt actu fortaſſis non conuertebatur, vt plurimi probabiliſſimè arbitrantur, quia non erat ei opus, cùm eſſet incorruptibile, ſed in ſubſtantiam quandam aëream diuina Chriſti virtute reſoluebatur: & certè hanc noſtram aſſertionem de impropria comeſtione Angelorum, confirmat ipſe modus loquendi Raphaelis ad Tobiam, vt ſupra innuimus.

Obiicitur tertio. Tertiò denique obiicitur, Angelos genuiſſe, pręſertim quia Geneſ.6. legitur *videntes filij Dei filias hominum acceperũt ſibi vxores ex omnibus quas elegerant*. Atqui per filios Dei hoc loco intelliguntur Angeli ex Iuſtino in Apologia. Clemẽte Alexãdrino lib.3. Stromatũ: Lactãtio 2. lib. diuinarũ inſtitutionũ & aliis, teſtaturque Scriptura ibidem ex tali coniugio gigãtes promanaſſe. *Reſpondetur.* Verũ reſpõdetur idẽ quod aliàs reſponſũ eſt ad eãdẽ obiectionẽ 3. part. Phyſ. tract. 2. d. 4. q. 3. vbi de generatione viuentiũ, nẽpè Angelos non

non poſſe propriè loquendo generare, licèt non repugnet eos fœminarum congreſſus virtute ſeminis virilis aliunde accepti humanam ſobolem procreare; ſic enim dæmon ſucubus poteſt ſemen à viro excipere, deinde factus incubus in vterum fœminæ transfundere: ex quo non ſequitur dæmonem propriè loquendo poſſe generare; neque dici poſſe parentem ſobolis procreatæ, ſed potiùs eum à quo ſemen accepit. Ad locum verò Geneſeos ſupra citatum reſpondemus, nomine filiorum Dei, non ſignificari Angelos aut Dæmones, ſed eos homines qui ex ſancta ſtirpe Seth erant oriundi; nomine autem filiarũ hominum, eas virgines quę erãt de familia Cain, vt probabilius cenſent pleriquè ex ſanctis Patribus, vt S. Aug. lib 15. de ciuit. Dei c. 23. & D. Chryſoſt. Homel. 22. in Geneſim. Contraria verò interpretatio hac vna ratione refellitur, quod Moyſes voluerit his verbis oſtendere cauſam diluuii: atqui peccata Angelorum non fuerunt cauſa diluuii, ſed peccata ipſorum hominũ, vt ſatis apertè ex ipſo textu intelligitur. *Delebo* (inquit Deus) *hominem quem formaui.* & iterum, *Cùm vidiſſet Deus terram corruptam omnis quippe caro corruperat viam ſuam, dixit ad Noe, &c.* Igitur per filios Dei hoc loco non Angeli, ſed homines debent intelligi: ſicut & quando Apoſtolus 1. ad Corint. 6. ait *Mulierem debere velamen habere ſuper caput ſuum propter Angelos,* non loquitur de Angelis propriè dictis, ſed de clericis & ſacerdotibus qui in ſacris litteris, vt ſupra oſtenſum eſt, interdum no-

Locus c. 6. Geneſ. explicatur.

Alia interpretatio refellitur.

mine Angeli ſignificantur. Poſſumus etiam per filios Dei intelligere Principes ac potentes huius mundi, hinc eſt quod paraphraſis Chaldaica, Hieronymus Oleaſter, & Santes Pagninus loco (Filiorum Dei) legunt (Filios potentum & magnatum) quo fere modo Reges interdum appellãtur Dii: ſic Exodi 7. Moſes appellatur Deus Pharaonis & Exodi 22. *Diis non detrahes*, id eſt *principibus*.

Alia eiuſdẽ loci probabilis explicatio.

Quomodo poſſint Angeli agere in corpora. QVÆSTIO III.

ANGELOS poteſtatem habere agendi in res corporeas conſtat multis exemplis, ſic enim Geneſ. 19. tres Angeli Sodomã ſubuerterunt. & ſecundi Paralipom. 32. ab vno Angelo fuſus eſt exercitus Sennacherib, & in Apocal. non obſcurè ſignificantur Angeli habere poteſtatem in res haſce elementares. adde etiam authoritatẽ ſanctorum Patrum, vt Aug. l. octoginta trium quæſt. q. 79. qui ait vnamquãque rem viſibilẽ in hoc mundo habere Angelicã poteſtatẽ ſibi præpoſitã: itẽ Greg. Magn. lib. 4. Dial. c. 5. in hoc mundo viſibili nihil niſi per creaturã inuiſibilẽ diſponi poſſe. Denique ratione confirmatur, quia totum hoc vniuerſũ ſapienti Dei ratione ita coagmentatum eſt, vt ea quę ſunt ſuperioris ordinis, influere ſeu agere poſſint in inferiora, cuiuſmodi proculdubio ſunt ſubſtantię ſpirituales comparatione corporearum. Maneat igitur Angelos poſſe res iſtas corporeas immutare. Verùm qua ratione id præſtare poſſint, meritò dubitari poteſt.

Angeli agunt in res corporeas.

Confirmatur.

Digitized by Google

quod tamen ſequentibus propoſitionibus facilè explicabitur.

Prima propoſitio. Poſſunt Angeli immutare corpora ſecundùm motũ localem. Probatur ex D. Aug. qui 3. de Trinit. cap. 8. fuſe explicat quomodo poſſint dæmones cauſas naturales & prima rerum ſemina ad varios effectus adhibere, quod non niſi per applicationẽ ſeu motum localem fit. Ratione item confirmatur, quia cũ motus localis ſit in ratione motus perfectior aliis motibus, eo quod per illũ non eſt mobile in potentia ad aliquam formã ſibi intrinſecam, vt docet D. Th. hîc q. 110. art. 3. ex Philoſopho 8. Phyſicorum text. 57. & res inferiores ſecundùm ea quę in ipſis perfectiora ſunt attingantur à ſuperioribus quantũ fieri poteſt, vt ibidem docet S. Doctor ex Diuo Dionyſio cap. 7. de diuinis nominibus, conſequens eſt vt corpora Angelis inferiora attingantur ab iis ſecundùm motum localem: quæ ratio Philoſophũ impulit vt doceret 12. Met. text. 44. cœlos ab intelligentiis circumuolui. *Prima propoſitio.* *Authoritas.* *Ratio.*

Secunda propoſitio. Nõ poſſunt Angeli immutare corpora per productionẽ alicuius alterius formæ, vt cõmuniter ſentiunt Theologi in ſecundum ſentent diſt. 7. & probatur hîc à D. Thom. art. 2. nam forma nõ poteſt produci in materia, niſi virtute formæ ſimiliter in materia exiſtentis, cùm per ſe primò forma non producatur, ſed compoſitum quod proinde produci debet à ſimili ſibi cõpoſito, quod tamen locum in Deo non habet, cùm ſit infinitæ virtutis ratione cuius abſolu- *Secunda propoſitio.* *Probatur*

Digitized by Google

tam habet in res omnes poteſtatem.

Tertia propoſitio. Tertia propoſitio. Angeli poſſunt tanquam inſtrumenta Dei immutare corpora ſupernaturaliter, atque adeò vera facere miracula: Cũ enim id conceſſum fuerit ſanctis hominibus, non eſt quod Angelis denegetur.

Quarta propoſitio. Quarta propoſitio. Non poſſunt Angeli tanquam cauſę principales, vel per ſe agendo, vel applicando per motum actiua paſſiuis, im- *Probatur.* mutare corpora ſupernaturaliter, ſeu facere vera miracula: cùm id ſit proprium ſolius Dei Pſal. 71. *Qui facit mirabilia magna ſolus*; quanquam citiſſimè actiua paſſiuis applicando multa præſtare poſſint quæ ſunt ſupra facultatem & captum hominum, & quæ ideò ſunt ac verè dici poſſunt mirabilia.

Quomodo Angeli poßint in homines agere.

QVÆSTIO IV.

Vt faciliùs quæſtio propoſita explicetur, ſex imprimis diſtinguenda ſunt in homine, nempe corpus, anima, intellectus, volũtas, potentiæ interiores, tum ſenſitiuæ, cùm vegetatiuę, & potentiæ exteriores ſenſitiuæ.

Quomodo agere poſſunt Angeli tũ in corpus cùm in animã. Quod igitur ſpectat ad corpus, idem ſentiẽdum eſt quod de aliis corporibus, de quibus præcedenti quæſt. Quod verò ſpectat ad animã, conſtat etiã ex prædictis non poſſe Angelos in eã agere, ipſam introducendo in corpus; hoc enim eſſet hominẽ producere, & multò minus creando, cùm id ſolius Dei ſit: cẽſeri ta-

men poſſunt aliquo modo in eam agere poſſe ipſam à corpore ſeparando, cùm poſſint hominē interimere, vel ipſum ſuffocãdo, vel applicãdo aliquid venenatũ, aut quolibet modo vitę noxiũ. quod ſpectat ad intellectũ, poſſunt ipſum immutare, ipsũmet illuminando, quod non fit propriè manifeſtando ipſi ſuos conceptus infuſione aliqua luminis ſpiritualis, neq; enim id præſtare poſſunt, niſi quatenùs ſunt inſtrumenta Dei animam illuminantis; ſed offerendo illi aliqua ſenſibilia ſigna veritatis intelligendæ, ſiue externa, vt ſunt voces quas poſſunt Angeli efformare in corporibus aſſũptis, ſiue interna vt ſunt phantaſmata, quæ poſſunt Angeli commotione ſpiritũ animalium excitare: Poſſunt verò agere in voluntatē, ſuadendo mediante illuminatione intellectus, eo modo quo ſupra diximus, vel concitãdo motus aliquos in appetitu ſenſitiuo per cõmotionem humorum à quibus indirectè moueatur voluntas. Præterea agere poſſunt in potentias interiores ſenſitiuas, apprehenſiuas cõmouendo ſpiritus vitales; ſeu potiùs animales in quibus ſpecies ſenſibiles continentur, & præſentando ipſas ſpecies potētiis ſenſitiuis, eo modo quo id fieri ſolet in ſomniis per cõmotionē ſpirituũ & humorũ, vt docet D. Th. hìc quæſt. 3. ar. 3. ex ſentētia Philoſophi libro de ſomno & vigilia ca. 4. In appetitiuas verò cõmouendo ſimiliter humores & ſpiritus in organo corporeo eiuſmodi appetitus, & ſic poſſunt etiam agere in potentias vegetatiuas. Denique poſſunt Angeli agere in potētias

Quomodo Angeli agant in intellectum hominis.

Quomodo agãt in voluntatem.

Quomodo agãt in potentias interiores.

Quomodo agãt in exteriores.

Digitized by Google

exteriores ſeu in ſenſus externos in genere dupliciter; vel interiùs perturbando organum, vel exteriùs alterando medium, aut certè exhibendo obiecta quædam ſenſibilia quibus externi ſenſus afficiantur.

Quinam Angeli mittantur ad homines.

QVÆSTIO V.

Aſſertio.

FIDE quidem conſtat, Angelos interdũ mitti ad homines velut diuinæ voluntatis internuncios ac diuinorũ cõſiliorũ exequutores & miniſtros, id enim ſacrę litteræ apertè teſtãtur, ſic Lucæ 1. *Miſſus eſt Angelus Gabriel &c.* & Act. 12. *Nunc ſcio vere quia miſit Dominus Angelum ſuum.* & ad Hebr. 1. *Omnes ſunt adminiſtratorii ſpiritus in miniſteriũ miſſi.* Ac idipſum ipſa miſſionis ratio euincit, nam mitti dicitur aliquis cũ per aliqualẽ proceſſionem ab aliquo incipit eſſe aliquo modo vbi priùs non erat; atqui Angelus per proceſſionem quandam à Deo ſecundùm imperium videlicèt quo à Deo mouetur incipit eſſe nouo modo, nempe per aliquam operationem in homine in quo prius nõ erat, ergo verè mittitur Angelus à Deo ad hominẽ.

Probatur authoritate. Ratione.

Dubitatio.

Verùm dubitari poteſt, quinã ex Angelis ad nos mitti ſoleãt; quidã enim contendunt nũquã iſthuc mitti Angelos primæ Hierarchię: in quã ſententiam propendet D. Dion. c. 9. & 13. de cęleſti Hierar. eamque tuetur D. Th. hîc q. 112. art. 2. 3. 4. nihilominus tamen probabiliùs nobis ſentire videntur qui dicunt ordinariè quidem non ſolere mitti Angelos ex tribus illis ſuperioribus ordinibus primæ Hierarchiæ,

Aſſertio probabilior

ſed ſolùm ex inferioribus; extraordinariè tamen nonnumquam mitti aliquos ex ſuprema illa Hierarchia: ita enim ſentit Magiſter Sẽtent. lib. ſecundi diſt. 10. Scotus ibid. & alii: cuius ſententiæ prior pars confirmatur ex apertiſſimo loco ſacræ Scripturę qui habetur Danielis 7. *Millia millium miniſtrabant ei, & decies centena millia asſiſtebant ei.* quo in loco diſtingũtur Angeli miniſtrantes qui ſolent mitti in miniſterium propter eos qui hæreditatem capiunt ſalutis (vt loquitur Apoſtolus) ab aſſiſtentibus qui ideò ſic appellantur quòd ſoli Deo vacent, ideoque peculiari quadam ratione videantur ipſi aſſiſtere non ſecus ac in aulis principum contingit aliquos eſſe qui principis iuſſa exequuntur, alios verò qui ipſius perſonam perpetuò comitantur: Poſterior pars confirmatur ex cap. 12. Tobiæ vbi Raphael Angelus qui miſſus fuerat vt iuniorem Tobiam protegeret, & ſeniorem curaret ait ſe vnum eſſe ex iis qui aſſiſtũt Deo. Prætereà, ex c. 6. Iſa. vbi ait Propheta, *Volauit ad me vnus de Seraphim, & tetigit os meũ.* Quod quãuis D. Tho. ex ſent. D. Dion. conetur explicare de aliquo ex inferioribus ordinibus, idq; nõ ſine aliqua probabilitate, videtur tamẽ magis conſentaneum verbis Prophetæ vt illud intelligatur de vero Seraphim: Deniq; ratione cõfirmatur, ſic enim nõ fuit abſurdũ aut incõueniẽs, ipſũ naturalẽ Dei filiũ omnib. Angelorũ Hierarchiis lõge ſuperiorẽ, ad homines mitti ipſorũ operãdæ ſalutis cauſa; nõ videri debet abſonum, Angelos quãtũuis ſublimes ad nos

Prior pars aſſertionis probatur.

Poſterior pars aſſertionis probatur authoritate.

Ratione cõfirmatur

interdum extraordinariè mitti. Vbi obiter nota, quod quamuis Angeli dùm mittũtur abſint à cœlo, & miniſteriis externis occupentur, nõ tamen propterea beatifica Dei viſione orbantur; quod ſatis clarè innuit Saluator Matth. 18 *Angeli eorum ſemper vident faciem Patris mei.* Ideoque dici poſſunt aliquo modo ſemper aſſiſtere Deo, licèt non adeò ſpeciali ratione ac Angeli ſuperiorum ordinum qui ſolent non humanis negotiis deputari, vt ſuprà dictum eſt.

An ſingulis hominibus ſinguli Angeli cuſtodes deputentur.

QVÆSTIO VI.

Angelos hominibus auxiliari indubitatũ

HOMINES Angelorum miniſterio protegi, & ſimul à multis impendẽtibus malis eripi, nemini qui ſacris litteris fidem adhibeat dubium eſſe poteſt. Sic enim Geneſeos 19. Angeli eduxerunt Loth, & poſuerunt extra ciuitatem dicentes: *Salua animam tuam.* & Geneſ. 48. ait Iacob *Angelus qui eripuit me de cunctis malis, &c.* & Thobiæ 12. Angelus Raphael ad Thobiam *Miſit me Dominus* (inquit) *vt curarẽ te, & Saram vxorem filii tui à Dæmone liberarem.* & Pſal. 90. *Angelis ſuis mandauit de te vt cuſtodiant te in omnibus viis tuis.* Atque hoc ipſum confirmat ratio diuinæ prouidentiæ quæ ſolet inferiores & mutabiliores creaturas per ſuperiores & immutabiliores, cuiuſmodi ſunt Angeli reſpectu hominum foueri ac tueri.

Quæſtionis ſenſus.

Verùm aliud eſt quod hîc queritur; nempe

vtrùm ſingulis hominibus ab ipſorum natiuitate deputetur Angelus cuſtos, à quo promoueantur in bono,& à malo protegantur: Cui reſpondetur ita eſſe, nec de eo dubitari apud authores orthodoxos, licèt Caluinus impudenter hoc ex vulgi opinione aſſeri dicat lib.1. Inſtitutionum cap. 14. nam id à pleriſque ſanctis Patribus tanquam indubitatum aſſeritur, & ab eorum nemine negatur. Et prętereà ex ſacris litteris non obſcurè colligitur: nam imprimis cap.48.citato Geneſ. Iacob videtur loqui de Angelo qui peculiarem ipſius curam geſſerit, & illud ipſum ex cap.18. Matt. *Angeli eorum,&c.* colligunt ſancti Patres,& Actorum 12.fideles,cùm non poſſent ſibi perſuadere ipſum eſſe Petrum quem puella è carcere liberatum præ foribus domus adeſſe nuntiabat, aiebant *Angelus eius eſt.* Mitto hîc authoritates ſanctorum Patrum Baſilii paſſim, Gregorii Niſſeni,Gregorii Nazian.Chryſoſtomi,Theodoreti,Hieronymi,Ambroſii,& aliorum. Ratione etiam illud ipſum confirmatur à Diuo Thoma hîc quæſt.113.art.2.Cum ſinguli homines ſecundùm animam ſint immortales & incorruptibiles, idcirco Deus gerit illorum ſingularem prouidentiam, etiam vt ſingulares & indiuidui ſunt.Quare conueniens eſt,vt ſingulorum cuſtodiæ ſingulos Angelos præficiat, maximè cùm innumerabiles penè Angeli ſint, & vnus poſſit plurium hominum ſucceſſiuè curam habere, nempe poſt mortem ſingulorum:neque enim probabile eſt vnum & eundem Angelum ſimul plurium hominum cu-

Aſſertio fidei.

Probatur authoritate.

Ratione confirmatur.

Vtilitates ex Angelorum custodia hominibus proueniũt.

ram habere, cùm non poſſet naturaliter ſimul pluribus loco diſtantibus præſentialiter adeſſe. Sunt autem multæ vtilitates quæ ex Angelorum cuſtodia hominibus proueniũt, ex quibus duodecim præcipuæ numerantur. Primò
1. enim eorum qui ipſorum cuſtodiæ com-
2. mittuntur, exprobrant peccata. Secundò,
3. increpationibus & ſuaſionibus, peccato-
4. rum vincula diſſoluunt. Tertiò, peccato-
5. rum illecebras, & boni impedimenta remo-
6. uent. Quartò dęmones arcent. Quintò homi-
7. nes docent & illuminant. Sextò ſecreta Dei
8. conſilia interdum reuęlant. Septimò afflictos conſolantur. Octauò nutantes confirmant &
9. animos addunt ad viam mandatorum Dei percurrendam. Nonò corporum etiam incolumi-
10. tati interdum conſulunt. Decimò hoſtes etiam viſibiles depellunt. Vndecimò, vim tentatio-
11. num infringunt. Duodecimò, ſupplicum pre-
12. ces Deo offerunt.

Porrò licet Angeli, dum homines tutantur, Deo obſequium præſtent tanquàm ipſo Deo inferiores; ſe tamen habent vt hominibus ſuperiores, cùm ipſorum præſidio homines indigeant; ſi tamen Christum excipias, qui licèt peculiarem Angelum ſibi deputatum ad obſequium habere potuerit, non tamen vt alii homines ad tutelam & cuſtodiam, niſi id metaphoricè & impropriè dicatur. Notandum etiã eſt, cuſtodem Angelum vnicuique adeſſe à natiuitate ex matris vtero; non vero antè, quia tunc homo eſt quaſi pars quædam matris vel vt fructus adhuc pendens in arbore; neq. etiã

Christus ſolus non habuit Angelum ad tutelam, ſed tãtùm ad obſequium.

Nota.

poſt mortem, quia tunc nõ indigent homines angelica cuſtodia, cũ ſiue in cælo, ſiue in purgatorio, ſint extra omne periculũ: quare rectè concludit Diuus Tho. hîc q. 113. art. 5. Angelum cuſtodem adeſſe tantùm hominibus dùm ſunt in via. Et quoniã Angeli nonniſi ex diuino beneplacito curam gerunt hominum; hinc fit vt iuſto Dei iudicio homines interdum quãtùm ad aliquid ab Angelis deſerantur, licèt nunquã omninò, ſicut nuſquam diuinæ prouidentiæ ſubtrahuntur.

Porro cùm Angeli diuinæ voluntati in omnibus acquieſcãt, idcirco non exiſtimandum eſt eos angi propter mala in quæ incurrunt homines qui ipſorum cuſtodiæ committuntur; neque etiam aliquid abſolutè pro eorum quibus præſunt vtilitate concupiſcere quod diuinæ voluntati tantiſper aduerſetur, licèt hypotheticè ſeu conditionaliter poſſint optare aliquid, ſi nempe ita Deo placuerit, quod fortaſsè Deus abſolutè nolit. Quo fit vt deſideria & voluntates Angelorum tutelarium in contrarias partes nonnunquam ferri videantur, antequàm illis de abſoluta Dei voluntate conſtet, quò ſpectat illud quod Angelus Gabriel Danieli dicebat cap. 10. ipſius Prophetiæ: *Princeps* (inquit) *regni Perſarum reſtitit mihi viginti & vno diebus*, quo dicto ſignificabat Angelum tutelarem regni Perſarum obſtitiſſe quominùs populus Iſraëliticus à iugo ſeruitutis Perſicæ liberaretur, id quod Gabriel propter Danielis preces optabat: neuter tamen Angelus aliquid op-

Corollariũ

Locus Daniel. 10. explicatur.

tabat abſolutè, ſed conditionaliter nempe ſi Deo placeret;ita enim locum illum explicant ſancti Patres, vt Baſilius lib.3.contra Eunomium:Gregorius Magnus lib.17.Moral.cap.7. & Diuus Thom.hîc quæſt.113.art.8.licèt aliter eundem locum interpretetur Diuus Hieronymus in iſtud caput Danielis, exiſtimans illum Perſarum Principem non Angelum tutelarem eſſe,ſed dæmonem, verùm id minùs probabiliter, vt opinor.

An, & quomodo Angeli ſint in loco.

QVÆSTIO VII.

De exiſtentia Angelorum in loco duo hîc quæruntur; nempè res ipſa, an verè ſint in loco;& modus, qua tandem ratione ſint in loco.

Angeli sũt in loco, ſeu alicubi exiſtunt.

Authoritate.

Quod ad rem pertinet; conſentiunt omnes fermè Theologi Angelos alicubi exiſtere, ſeu aliquo modo in loco eſſe. Probatur primùm authoritate ſacræ Scripturæ Iſa.14. *Quomodo cecidiſti de cęlo Lucifer?* Ergo in cælo erat tanquàm in loco. Item Lucæ 10. *Videbam Satanam ſicut fulgur de cælo cadentem.* Apoc.12. *Et non eſt inuentus amplius locus eorum in cælo.* Præterea ratione confirmatur:nam verè dici poſſunt Angeli ibi eſſe aliquo modo tanquam in loco, vbi ſunt reuera præſentes; ſed conſtat Angelos eſſe reuera præſentes in aliqua parte huius vniuerſi,vt bonos in cælo empyreo, malos quoſdam in inferno,quoſdam in aëre; ergo verè dici poſſunt

Ratio.

Digitized by Google

eſſe alicubi ſicut in ſuo loco. Adde quod ſanctorum animę ſtatim poſt mortem in Cælum aſcendunt, improborum in Infernum retruduntur: quorundam verò in Purgatorio detinentur: hoc autem non eſſet verum, ſi res ſpirituales nequaquam eſſent aliquo modo in loco.

Quòd ſi obiicias quoſdam ſanctos Patres, idque etiam iuxta Philoſophi doctrinā 4. Phyſicorum locum denegare rebus incorporeis, cùm eſſe in loco ſit proprium ſolius corporis phyſici. Reſpondetur intelligendos eſſe de loco phyſico & circunſcriptiuo, in quo ita aliquid eſſe dicitur, vt non tantùm non ſit alibi, ſed etiam vt ſingulis ipſius loci partibus ſingulæ partes rei locatæ reſpondeant; neque enim in eiuſmodi loco eſſe poſſunt res incorporeę; non autem de loco definitiuo, in quo ita aliquid eſſe dicitur, vt non ſit alibi, licèt ita poſſit eſſe totum in toto loco, vt ſit etiam totum in qualibet ipſius loci parte: & hoc ſanè modo intelligendus eſt Damaſcenus lib. 1. de fide cap. 16. vbi ait animam & Angelum non eſſe in loco corporali, ſed intelligibili, id eſt, nō eſſe in loco circunſcriptiuo, ſed definitiuo, ſeu non eſſe circunſcriptiuè, ſed tantùm definitiuè in loco. Vbi obiter nota definitiuè eſſe in loco dici dupliciter: primò generaliter, quomodo idem eſt ac in genere eſſe alicubi, & non vbique, quomodo id omne quod eſt circumſcriptiuè dici poteſt eſſe ſimul definitiuè in loco, licèt non econtrà id omne quod eſt definitiuè, dici poſſit eſſe circunſcriptiuè in loco. Se-

Obiectio.

Solutio.

Nota.

cundò ſpecialiter quomodo eſſe in loco definitiuè, ita eſt aliquid loco definiri, vt ſimul ſit totum in toto, & totum in qualibet parte loci, quomodo id quod eſt circumſcriptiuè in loco non eſt definitiuè, & quod eſt definitiuè non eſt circunſcriptiuè.

Et id quidem quod dicimus, ex parte pertinet ad modum quo ſunt Angeli in loco, de quo non eſt magna difficultas.

Grauis diſceptatio inter Theologos de ratione formali per quam Angeli ſunt in loco definitiuè.

At verò grauis eſt diſceptatio inter Theologos ſcholaſticos quænam ſit ratio formalis per quam ſunt Angeli in loco definitiuè, ſeu per quid formaliter Angelus ſit in loco, ſicut dicitur corpus eſſe in loco formaliter per ſuam quãtitatem: alii enim dicunt, vt Thomiſtæ, Angelos eſſe in loco per applicationem ſuæ virtutis, ſiue per illud intelligas contactum virtualem potentiarum ipſorum Angelorum, ſiue actualem operationem ipſorum, eamque vel tranſeuntem, vel immanentem. Alii verò, vt Scotiſtæ, cenſent eos eſſe in loco per ſuam eſſentiam ſeu præſentiam ſubſtantialem.

Probabilior ſententia aperitur.

Nos verò mediâ incedentes viâ, vtramque ſententiam conciliare enitemur aſſerentes, Angelos quidem primò per ſe dici eſſe alicubi ſeu in loco definitiuè per eſſentiam ſeu ſolam præſentiam ſubſtantialem, & nihilominus tamen dici eſſe in loco magis phyſicè, licèt ſemper definitiuè per aliquam applicationem ſuæ virtutis, nempe per operationem ipſorum aliquam tranſeuntem ac in ipſo corpore locante receptam, cuius aſſertionis duæ ſunt partes ſigillatim comprobandæ.

Prior igitur pars prędictæ aſſertionis probatur, primò quia ex ipſo Diuo Thoma (quem authorem ſuæ ſententiæ ferunt qui arbitrantur Angelos eſſe in loco tantùm per operationem) dicitur Angelus eſſe in loco per applicationem ſeu contactum virtutis, itavt contactus ille quandam habeat analogiam ad contactum quantitatiuum, quo eſt corpus propriè in loco: atqui dum Angelus per ſolam ſuam ſubſtantiam eſt præſens in aliquo loco, etſi nihil ibi operetur, reperitur ibi contactus quidam ſubſtantiæ Angelicæ cum ipſo loco, qui cùm non ſit quantitatiuus, dici poteſt entitatiuus, & etiam virtualis iuxta modum loquendi Diui Thomæ, qui perfectionem eſſentialem nonnunquam appellat quantitatem virtutis ſeu virtualem, qui contactus analogiam quandam habet ad contactum quantitatiuum, quia per eum ſubſtantia Angeli eſt modo aliquo nempè ſubſtantialiter ſimul cum loco, ſicut corpus dicitur eſſe ſimul cum ſuo loco per contactum quantitatiuum, quamuis ſit differentia quod corpus per ſuum contactum commenſuretur loco, ac ipſomet loco propriè contineatur, Angelus verò non item. Secundò confirmatur; ſi enim Angeli non poſſunt eſſe in loco niſi per ſolam operationem tranſeuntem, aut applicationem potentiæ operatiuæ, ſequeretur Angelos non eſſe in cælo Empyreo, cùm illîc nihil tranſeunter operari poſſint; neque enim

Prior pars probatur ratione. Primo.

Secundo. confirmatur.

Digitized by Google

Angeli aliud per ſe operari poſſunt præter motum localem: eſt autem cælum empyreum prorſus immobile. Neque enim vllius eſt momenti eorum reſponſio qui dicunt Angelos ibi lumen aliquod producere, aut ſuâ præſentiâ cælum ornare, aut quietem & ſtabilitatem ipſius cæli empyrei cauſare: hæc enim & ſimilia, aut gratis, aut ſine ratione, aut extra rem dicuntur. Præterea priùs eſt natura aliquid eſſe alicubi, quàm ibi poſſe operari, aut ibidem actu operari: ergo non per operationem Angeli ſunt primò per ſe in loco, ſed per aliquid natura priùs ipſa operatione. Denique ſicut ſublatâ quantitate ab aqua quæ in aliquo vaſe contineretur, non deſineret aqua eſſe in vaſe ſicut in ſuo loco, licèt non propriè phyſico, ſi nempe extra ipſum effunderetur: ita etiam ſi Angelus in aliquo loco operaretur, nec ab ipſo recederet, ceſſante ipſius operatione non deſineret eſſe in eo loco. Vbi nota præſentiam ſubſtantialem eſſe relationem, cuius fundamentum eſt ſubſtantia Angeli cum negatione diſtantiæ, id eſt, cum negatione loci vel ſpatii intermedii inter ſubſtantiam Angeli & hunc locum.

Reſponſioni occurritur. *Tertiò.* *Quartò.* *Nota.*

Poſterior pars noſtræ aſſertionis etiam probatur, quia cùm Angelus non tantùm ſubſtãtialiter eſt præſens alicui loco, ſed ibidem etiã aliquid tranſeunter operatur, negari non poteſt quin tunc ſit magis phyſicus contactus ipſius Angeli ad locum quàm ſi ſolùm eſſet præſens: cùm tunc per aliquid phyſicum nempe operationem illam tranſeuntem, quæ eſt corporea

Poſterior pars probatur.

porea & phyſica, vtpotè in corpore phyſico recepta, Angelus locum ſuum contingat ſeu cum ipſo coniungatur.

Quod autem quidam aiunt Angelum etiam dici eſſe in loco per operationem immanentem, aut etiam per ſolam applicationem potentiæ, admitti poteſt, nec tamen his modis magis propriè, aut magis phyſicè dicetur Angelus eſſe in loco quàm per ſolam ſubſtantialem præſentiam; cùm iis modis Angelus non per aliquid phyſicum cum ſuo loco coniũgatur; adde quod iis modis non primò per ſe, ſicut per ſolam ſubſtantialem præſentiam Angelus dicitur eſſe in loco, namque priùs eſt ſaltem naturâ, Angelum eſſe ſubſtãtialiter pręſentem loco quàm in ipſo immanenter operari, aut inibi potentiam ad operandum applicare; cùm etſi Angelus non operaretur ibi immanenter, nec potentiam ad operandum applicaret, non tamen ibidem eſſe deſineret. *Nota.*

Ex iis intelligere eſt Angelum dupliciter ſimul poſſe eſſe in loco, quia duobus modis pręcipuis poteſt metaphyſicè locum contingere, nempe per ſuam ſubſtantiam præſentem, & ſimul etiam per ſuam operationem tranſeuntem, quamuis etiam poſſit eſſe vnico tantùm modo in loco, nempe per ſolam præſentiam ſuæ ſubſtantiæ, non tamen vnquam per ſolam operationem; debet enim eſſe ſimul ſubſtantialiter præſens in eo loco vbi dicitur eſſe per operationem. *Conſectarium. Angelus dupliciter ſimul poteſt eſſe in loco.*

Nota autem hîc diligenter, conſtare quidem Angelum nec primo, nec ſecundo modo poſſe *Notandũ diligenter.*

Digitized by Google

eſſe in maiori & maiori ſpatio in infinitum abeundo, cùm finita ſit eius ſubſtantia ac ſimul operandi potentia, ſicque limitatum ſit ſpatiũ ad quod prȩſentialiter extendi poteſt ac operari, limitatum (inquam) ſecundum omnes dimenſiones loci, itavt non poſſit Angelus eſſe in loco maiori & maiori ſecundùm illam dimenſionem ſpecialem, puta longitudinem in infinitum abeundo, quicquid contra ſentiat Scotus; conſtare etiam Angelum ſecundo modo poſſe eſſe in minori & minori parte illius ſpatii quod occupare poteſt, & fortaſſis etiam in puncto loci, cùm poſſit ſuam agendi potentiam ad tam exiguum quod voluerit ſpatium applicare, vt hîc docet S. Thom. qu. 52. art. 2.

Dubitatio. An verò poſſit primo modo in minori & minori ſpatio in infinitum abeũdo prȩſentialiter ſeſe coarctare, dubium eſt: probabilius tamen

Probabilior aſſertio. ducimus, poſſe Angelum pro ſua libertate ſuæ ſubſtantiæ præſentiam ad minorem & minorem partem ſpatii quod occupare poteſt reſtringere; etſi enim ſua ipſius ſubſtantia ipſiuſmet libertati non ſubſit, vt poſſit quicquam de ipſa detrahere, aut ad ipſam addere; nihil tamẽ abſurdi eſt, poſſe Angelum ſuam ſubſtantiam minori ac minori ſpatio ſubſtantialiter præſentẽ exhibere, itavt etiam poſſit ſeſe ad punctum loci ſeu ſpatii, ſi voluerit redigere: ratio eſt quia cùm ſubſtantia ſpiritualis ex ſe ſit in-

Ratio. diuiſibilis, neque ab extentione loci dependeat, naturæ ipſius congruum eſt, vt poſſit in tam exiguo quod voluerit ſpatio, imò etiam ſi libuerit tota totaliter in puncto loci exiſtere.

Digitized by Google

An Angelus poſſit eſſe ſimul in pluribus locis, ac ſimul plures Angeli in eodem loco.

QVÆSTIO VIII.

DVÆ hîc difficultates proponuntur ſigillatim explicandæ. *Prior difficultas.*

Quod ſpectat ad priorem. Notandum eſt, locum Angeli dici poſſe naturaliter adæquatum vel inadæquatum. Adæquatus dicitur in quo eſt Angelus totus totaliter, itavt non poſſit ſimul naturaliter eſſe alibi, cuiuſmodi eſt totum illud ſpatium ad quod ſe extendit Angeli præſentia; inadæquatus verò, in quo non eſt Angelus totus totaliter, ſed ita in ipſo eſt, vt ſit ſimul naturaliter alibi tanquam in loco partiali continuo, cuiuſmodi eſt pars aliqua prędicti ſpatij; eſt enim Angelus totus in qualibet parte eiuſmodi ſpatii, ſed non totaliter, quia ſimul eſt in reliquis partibus eiuſdem ſpatii. Rurſus locus adæquatus ſubdiuidi poteſt in locum actu duntaxat adæquatum, ſed non potentiâ, cuiuſmodi eſſet locus minor ad quem Angelus ſuam præſentiam reſtringeret cùm poſſet maiorem obtinere; & in locum actu ſimul & potentia adæquatum, cuiuſmodi eſt totum illud ſpatium ad quod poteſt Angelus ſuæ ſubſtantiæ præſentiam extendere.

His poſitis ſit prima propoſitio, quæ eſt Diui Thomę hîc q. 52. art. 2. Angelus non poteſt naturaliter ſimul eſſe in pluribus locis adæquatis perfectioni ſuæ virtuali. Probatur, quia cùm ex prędictis perfectioni Angeli qua pręsēs eſt loco *Prima propoſitio.*

reſpondeat locus finitus extra quem non poteſt Angelus naturaliter ſe extendere, ſequitur Angelum non poſſe naturaliter iſti ſimul & alteri præſentem eſſe, ſicque non poſſe naturaliter eſſe in duobus locis ſibi adæquatis; licèt hoc non repugnet diuinæ poteſtati, quæ tanta eſt vt poſſit etiam vnum & idem corpus in diuerſis locis ipſi adæquatis collocare.

Secunda propoſitio.

Secunda propoſitio. Angelus non poteſt eſſe ſimul in pluribus locis inadæquatis ſecundùm ſubſtantialem præſentiam. Licèt enim ſit in pluribus partibus continuis eiuſdem ſpatii ad quod totaliter ſe extendit, non tamen tanquam in pluribus locis, niſi plures partes eiuſdem totalis loci continuas valdè impropriè appelles plura loca; videretur autem aliquo modo eſſe in pluribus locis inadæquatis, ſi ſimul eſſet in pluribus partibus non continuis, ſed diſſitis ſeu diſtantibus eiuſdem totalis ſpatii ad quod naturaliter extendi poteſt; vt ſi eſſet, verbi gratia, ſubſtantialiter præſens in duabus extremis partibus alicuius aulæ quàm integram poſſet præſentialiter obtinere, non verò in medio; quod tamen vix credimus naturaliter fieri poſſe, ſequeretur enim poſſe fieri naturaliter vt eadem ſubſtantia verè ſecundum ſe ſimul eſſet in pluribus locis; deinde ſequeretur poſſe Angelum ſuam ipſius ſubſtantiam aliquo modo diuidere ac partiri, quod nimis abſurdum eſt; debet enim cuiuſcumque rei ſubſtantia integra eſſe tota ſimul, id eſt, non diuiſa; non eſſet autem tota ſimul Angeli ſubſtantia, ſi ſimul eſſet in pluribus locis diſſitis, li-

Explicatur *Probatur.*

Digitized by Google

cèt aliquo modo inadęquatis.

Tertia propoſitio. Nihil repugnat Angelum ſimul eſſe ſecundùm operationem in pluribus locis inadæquatis; verbi gratia, ſi Angelus præſentialiter obtineret ſpatium trium cubiculorum, ita vt ſimul operaretur tranſeunter in duobus extremis, non verò in medio, ſic eſſet per operationem in duobus locis diſſitis inadæquatis: hoc autem fieri poſſe probatur, quia liberum eſt Angelo applicare ſuam potentiam operatiuam cui voluerit parti eius ſpatii in quo præſens eſt: vbi obiter nota loca illa ſecundùm operationem diſſita, eſſe loca partialia ſecundùm ſubſtantialem præſentiam Angeli; & ſic non eſſe plura loca ſecundùm ſubſtantialem illam præſentiam, ſed conſtituere vnum locum ipſius totalem. *Tertia propoſitio.* *Probatur.*

Quod ſpectat ad poſteriorem difficultatem. Reſpondetur ſequentibus propoſitionibus. *Poſterior difficultas.*

Prima propoſitio. Conſtat plures Angelos ſaltem ſecundùm ſubſtantiam poſſe eſſe præſentes eidem loco ſeu ſpatio: tum quia cap. 8. Lucæ legimus legionem dæmonum in vno homine extitiſſe: neque enim credibile eſt ſingulos dæmones diſtinctas corporis partes obtinuiſſe; tum quia Angeli non ſe mutuò excludunt ab eodem ſpatio cùm ſint immateriales ac dimenſione careant; tùm quia poteſt Angelus eſſe ſimul cum anima in corpore: ergo etiam cum alio Angelo in eodem ſpatio eſſe poteſt, cùm par ſit vtrimque ratio. *Prima propoſitio probatur.* *Primò.* *Secundò.* *Tertiò.*

Secunda propoſitio. Poſſunt etiam plu- *Secunda propoſitio.*

res Angeli eſſe ſimul in eodem loco ſecundùm operationem partialiter procedentem ab illis, aut certè ſecundùm diſtinctas operationes à diſtinctis Angelis procedentes.

Probatur. Nihil enim vetat plures Angelos ſimul operari circa eandem rem, vel efficiendo aliquid diuerſum, vt ſi vnus Angelus quempiam hortetur ad bonum, alius verò illuminet, alius denique loco moueat; vel efficiendo idem, vt ſi plures Angeli aliquem deferant, vt legimus Lucæ 16. de Angelis ſimul deferentibus animam Lazari in ſinum Abrahæ.

Tertia propoſitio. Tertia propoſitio, quæ eſt Diui Thomæ hîc art. 3. Non poſſunt Angeli eſſe ſimul in eodem loco ſecundùm operationem eandem totaliter ab ipſis procedentem: quia nequit idem effectus à pluribus cauſis totalibus non ſubordinatis produci.

Probatur.

An Angeli moueantur localiter, & quomodo.

QVÆSTIO IX.

Prius quæſitum aſſertio tenenda.

Dvo hîc quæruntur vt patet. Et quidem circa prius quæſitum non eſt magna difficultas; quemadmodum enim apud omnes Theologos conſtat Angelos aliquo ſaltem modo eſſe in loco, nempè definitiuè; ſic etiam omnibus exploratum eſſe debet, Angelos aliquo modo moueri localiter ſeu locum mutare, cùm iſtud nihil aliud ſit quàm eſſe primum in vno loco, deinde in alio, &

in alio. Et ſanè id ſacræ Scripturæ locis initio quæſtionis ſeptimæ citatis facilè comprobatur, quibus etiam addi poteſt communis ſanctorum Patrum conſenſus.

Poſterius quæſitum.

Quod verò attinet ad poſterius quæſitum, maiores in eo difficultates continentur, eæque tres præcipuæ. Prima, quibus modis contingat Angelos moueri localiter. Secunda, an moueantur ſemper tranſeundo medium. Tertia, an ſucceſſiuè vel inſtantaneè moueantur. Quidnam autem in iis probabilius tenendum ſit, ſequentibus propoſitionibus determinabitur.

Prima propoſitio.

Prima propoſitio. Poteſt imprimis Angelus totidem modis moueri localiter, quibus poteſt eſſe in loco: & præterea duobus aliis ſpecialibus modis poteſt moueri localiter; nempe motu continuo, & diſcreto. Prior pars prędictæ aſſertionis ex eo patet, quod moueri localiter nihil aliud ſit, vti diximus, quàm eſſe ſucceſſiuè in alio & in alio loco; & præterea, quod omnis motus ſpeciem ac diſtinctionem ſumit à termino, ac proindè motus localis à loco qui eſt ipſius terminus: Poſterior pars eiuſdem aſſertionis ex vtriuſque motus explanatione patebit. Motu igitur continuo mouetur Angelus, quando ita eſt ſucceſſiuè in pluribus locis, vt per partes, & non totum ſimul deſerat locum vnum, & intret in alium, ita vt ipſe motus habeat plures partes, quarum quælibet ſit etiam motus quidam partialis, id eſt, quædam acquiſitio ſucceſſiua locorum partialium.

Prior pars aſſertionis probatur.

Poſterior pars explanatur.

Motu autem diſcreto mouetur Angelus, cùm locum vnum non per partes, ſed totum ſimul deſerit, & alterum ſimiliter totum ſimul acquirit; qui quidem motus non conſtat pluribus partibus quarum quælibet ſit partialis quidam motus continuus, ſed pluribus mutatis eſſe, ſeu pluribus exiſtentiis in loco indiuiſibilibus. Hoc autem genere motus poteſt moueri Angelus, quia non eſt præditus quantitate, nec commenſuratur loco, vt ſecundùm aliquas ſui partes aliquas quoque loci partes ſucceſſiuè deſerat, & alias acquirat. Vbi nota motum illum diſcretum non eſſe poſitum in ſola acquiſitione loci inſtantanea, ſed maximè in ſucceſſiua exiſtentia Angeli in pluribus locis.

Diſcrimen inter motũ continuum & diſcretũ Angeli.

Eſt autem diſcrimen inter motum continuum & diſcretum Angeli, quod conſtet non poſſe moueri Angelos motu continuo niſi pertranſeundo medium. An verò poſſint moueri motu diſcreto non tranſeundo medium, & quomodo, cõtrouertitur inter Theologos: quid tamen probabiliùs tenendum ſit ſequentibus propoſitionibus breuiter explicabitur: quæ tamen vt faciliùs intelligantur notandum eſt, locum medium duplicem aſſignari: vnum participantem ex vtroque extremo, alterum non participantem, ſed quaſi contingentem loca extrema.

Nota.

Secunda propoſitio.

Sit igitur ordine ſecunda propoſitio. Conſtat Angelum non poſſe tranſire motu diſcreto omnia loca media participantia, cùm illa ſint potentiâ infinitâ. Sicque non poſſint tranſiri

Digitized by Google

niſi per motum cuius partes ſint potentiâ infinitæ, cuiuſmodi non eſt motus diſcretus.

Tertia propoſitio. Conſtat apud Theologos poſſe Angelum non tranſire per medium locum participantem, ſed ſimul in inſtanti poſſe totum ſimul locum deſérere, & proximum totum ſimul acquirere: cuius rei ratio petitur ex eo quod Angelus nulla ſit quantitate præditus, nec proinde loco commenſuratus; ſicque non ſit neceſſe vt locum deſerat per partes, ſed poſſe ipſum totum ſimul deſerere, ac ſimiliter alium proximum locum acquirere. *Tertia propoſitio.*

Quarta propoſitio. Probabile eſt Angelum poſſe, ſi velit, non tranſire locum medium nō participantem. Neque enim minùs videtur intellectu difficile vt Angelus dum localiter mouetur, prætermittat media loca participātia quàm non participantia, cùm medium participans ſit propinquius ei extremo quod vult Angelus acquirere; ſicut etiam medium non participans propinquius eſt ei loco diſtanti ad quem Angelus vult migrare. Si quæras qua ratione id fiat: Reſpondemus id fieri per inſtantaneā deſitionem exiſtendi in vno loco, & ſimultaneam incœptionem exiſtendi in alio; in quo nulla eſt repugnantia. *Quarta propoſitio.* *Probatur.*

Quinta propoſitio. Probabile eſt Angelos non poſſe de quouis loco extremo ad quemuis extremum quantumlibet diſtantem in inſtanti ſeu impertranſito medio moueri, ſed illis neceſſariò pertranſeunda eſſe quædam media, ſeu ſaltem aliquantiſper illis ſiſten- *Quinta propoſitio.*

dum in mediis quibuſdam locis: quia (vt rectè argumentatur Scotus) hic ordo creaturis à Deo pręfixus eſt, vt ſecundùm ordinem huius vniuerſi creatura quæ vult moueri loco, priùs tranſeat medium quam veniat ad extremum, quod ſaltem intelligendum eſt de locis valde diſtantibus. Vbi nota perfectiores Angelos pauciora media pertranſire, aut ſaltem in paucioribus mediis locis curſum ſiſtere; itaut quo perfectior eſt Angelus, eo ad magis diſtantem locum de loco vbi eſt in inſtanti migrare poſſit: congruum enim eſt vt ſicut pro maiori vel minori ſuæ naturæ perfectione poteſt Angelus maius vel minus ſpatium loci præſentialiter occupare; ita etiam pro maiori vel minori ſuæ naturæ perfectione, poſſit ad magis vel minùs diſtantem locum inſtantaneè ſeu impertranſito medio commigrare.

Nota.

Sexta propoſitio. Omnis motus Angeli ſiue continuus , ſiue diſcretus , eſt ſucceſſiuus, ſiue fit in duratione aliqua ſucceſſiua , vt docet ſanctus Thomas hîc quæſt. 53. art. 3. Probatur, quia motus Angeli ſeu cõtinuus ſeu diſcretus, eſt ſucceſſio quędam plurium contactuum quibus metaphoricè Angelus eſt in pluribus locis ſucceſſiuè, itaut primum ſit in vno, deinde in alio, & ſic deinceps; hoc enim non poteſt fieri niſi in tempore, ſeu duratione aliqua ſucceſſiua quæ tempori coexiſtat: neque enim poteſt fieri illa ſucceſſio in pluribus inſtantibus immediatè ſe conſequentibus, cùm repugnet plura inſtantia immediatè ſe conſequi.

Sexta propoſitio.

Probatur

Digitized by Google

Neque obſtat quod præcedenti propoſitione aſſeruimus poſſe Angelum in inſtanti locum mutare, ſeu vnum deſerere & alium acquirere; hinc enim ſolum ſequitur, mutationē quandam inſtātaneā interuenire in motu diſcreto, qui quidem non conſiſtit in ſola illa mutatione inſtantanea, ſed maximè (quod valdè notandum eſt) in pluribus exiſtentiis eiuſdem Angeli per diuerſa loca: itaut plures illæ exiſtentiæ Angeli in pluribus locis, ita ſibi ſuccedentes conſtituant ipſum motum diſcretum, ſiue in eo ſint plures eiuſmodi mutationes loci inſtantaneæ, ſiue vnica. Vbi nota terminum à quo huiuſmodi motus eſſe aliquod inſtans, quo inſtanti adhuc Angelus exiſtit in priori loco, proximè quidem, ſed non prorſus immediatè antecedens illud inſtans quo incipit eſſe in loco ſubſequenti; cùm inter illud prius inſtans & iſtud poſterius intercedat aliqua morula temporis per quam Angelus adhuc exiſtit in prędicto priori loco. *Occurritur obiectioni.* *Notas*

Notandum etiam eſt durationem internam & propriam vtriuſque prædicti motus Angelici ſiue continui ſiue diſcreti, eſſe planè alterius rationis, à duratione interna & propria cuiuſuis motus phyſici qui corporibus naturalibus competit; ſicut etiam ipſe motus Angelicus eſt alterius rationis à motu phyſico, vt ex prædictis conſtat. *Nota.*

TERTIA DISPVTATIO.

DE INTELLECTV

AC

COGNITIONE ANGELORVM.

Quinque hac loco maximè conſiderãda.

HACTENVS de natura & ſubſtantia Angelorum abſolutè & comparatè ſpectata ſatis abundè pro noſtro inſtituto diſputatum eſt, ſequitur vt de eorum potentiis, intellectu nempe & voluntate, deinceps diſſeramus. Et quidem in hac præſenti diſputatione de ipſorum intellectu: & quia non tantùm ipſe intellectus, ſed etiam quatuor circa ipſum conſideranda occurrunt, nempe ipſius actus, quæ eſt ipſa cognitio ſeu intellectio Angelica, Deinde medium quo ipſe intellectus intellectionem elicit, nempe ſpecies intelligibilis, præterea obiectum circa quod verſatur, tùm ſpirituale cùm materiale. Denique modus quo fit ipſa intellectio; idcirco quæ de intellectu ac cognitione Angelorum diſputari poſſunt, ad quinque capita reuocantur.

DE IPSO INTELLECTV SEV INTELLIGENDI POTENTIA.

Quomodo intellectus Angeli diſtinguatur ab eius eſſentia.

QVÆSTIO I.

DVO hîc imprimis ſupponenda ſunt quę facilè colligi poſſunt ex iis quæ diximus diſp.1.huius tractatus q.1.& 2. Vnum eſt Angelos eſſe præditos intellectu ſeu intelligendi potentia cùm ſint ſubſtantiæ ſpirituales etiã homine ipſo naturæ conditione nobiliores: Alterum non aliã eſſe in Angelo cognoſcendi potentiam præter intellectum; neque enim alia eſſe poſſet niſi ſenſitiua, quæ cùm ſit actus corporis organici ex lib.2. de anima, nõniſi in corpore organico eſſe poteſt: at verò conſtat ex loco citato Angelos omnis prorſus corporis expertes eſſe.

Duo hîc ſupponuntur, nempe Angelos eſſe præditos intellectu, & nullã aliã habere cognoſcendi potẽtiã præter intellectũ.

His ita poſitis duę ſunt circa propoſitam quæſtionem pugnantes Theologorum ſententiæ. Scotus enim in quartum Sẽtentiarum diſt.12.q.3. exiſtimat potentiam intellectiuam in Angelo eſſe idem reipſa ſeu à natura rei cũ ipſius ſubſtantia, idemque cenſet de potentia intellectiua animę rationalis reſpectu ipſius. At verò Diuus Thomas hîc quæſt.54. art. 3. exiſtimat nullã potentiam operatiuam creaturæ poſſe eſſe idem planè cùm ipſa creaturæ eſſentia, ac proinde intellectum Ange-

Scoti ac D. Th. pugnãtes ſententiæ.

Digitized by Google

li reipſa ſeu à natura rei diſtingui ab Angeli ſubſtantia; an verò ita realiter diſtinguatur intellectus à ſubſtantia Angeli, vt poſſit ab ipſa ſaltem virtute diuina ſeparari, & ſeparatus exiſtere; non explicat ſanctus Doctor; neque id magnopere curandum eſt. Etſi enim fortaſſis non repugnet ſecundùm potentiam Dei extraordinariam, ſi tamen id repugnaret non deſineret propterea dici diſtingui realiter iuxta vſitatum loquendi modum Diui Thomæ, id eſt reipſa & à natura rei, non verò ratione tantùm & virtute. Confirmatur hæc opinio Diui Thomæ primò authoritate Diui Dionyſii qui 11. de Cæleſti Hierarchia diſtinguit in Angelis eſſentiam, virtutem ſeu potentiam, & operationem. Secundò ratione; quia principia quæ ad diuerſos actus proprios & adæquatos ordinantur, reipſa inter ſe diſtinguuntur; ſed eſſentia & potentia alicuius creaturæ ad diuerſos actus per ſe ordinantur, nempe eſſentia ad exiſtentiam, potentia vero ad operationem qui ſunt planè diuerſi actus. Adde quod finita creaturæ conditio id videtur poſtulare, vt ipſa eius eſſentia diſtinctis à ſe potentiis quaſi quibuſdam inſtrumentis indigeat ad operandum; in quo differt à Deo Creatore, cuius potentia eſt ipſa eius eſſentia, quique ideo dicitur per eſſentiam operari, vt aliàs dictum eſt. Lege plura de reali diſtinctione potentiarum ab anima, quæ huic difficultati enodandæ non mediocriter in-

Intellectus Angeli diſtinguitur ab eius eſſentia reipſa & à natura rei.

Confirmatur authoritate.

Ratione primò.

Secundò.

Digitized by Google

ſeruiunt 3. parte Phyſicæ, tract. 1. diſput. 2. quæſt. 5.

An intellectus Angeli ſit agens & patiens ſicut intellectus hominis.

QVÆSTIO II.

DISSENTIVNT in hac ſicut in præcedenti quæſtione Diuus Thomas & Scotus; negat enim ſanctus Doctor hîc quęſt. 54. art. 4. in Angelo eſſe intellectum agentem & patientem, ſeu poſſibilem. E contrà verò Doctor ſubtilis affirmat & quidem non ſine aliqua probabilitate in 2. Sentent. diſt. 3. quęſt. vltimo.

Probabilior tamen videtur D. Thomæ ſententia, nempe in Angelis vnicum eſſe intellectum, eumque omninò perfectum; Probaturque, quoniam idcirco in homine intellectus agens admittitur vt abſtrahat ſpecies à phantaſmatibus, patiens verò ſeu poſſibilis vt eas recipiat, & per illas intelligat; atqui Angeli (vt paulò poſt hac ipſa diſputatione docebitur) ſpecies ſibi congenitas & infuſas habent. nec eas à rebus creatis abſtrahunt; igitur opus non eſt duplicem illum intellectum in his admittere, nō quidem intellectum agentē, quia non producunt ſuas ſpecies beneficio & cōcurſu phātaſmatū, ſed eas à ſolo Deo acceptas habent: nec etiam intellectum patientem ſeu poſſibilem, quia nunquam ſuis ſpeciebus carent, nec ſunt in potentia ad eas recipiendas,

Probabilior ſententia. *Probatur.*

Digitized by Google

cùm ab inſtanti ſuæ creationis ipſas habeant innatas, itaut nequidem nouas naturali ſua virtute poſſint adipiſci. Neque
Obiectio. eſt quod hìc obiiciat Scotus, Chriſtum & Adamum ab initio formationis ſpecies rerum omnium infuſas habuiſſe, neque tamen propterea illo duplici intellectu caruiſſe. Reſpondetur enim idcirco Chriſtum
Solutio. & Adamum vtrumque intellectum habuiſſe, quia id eorum natura exigebat, cùm corpore & anima eſſent præditi: ideoque natura apti vt ex phantaſmatibus ſpecies intelligibiles exprimerent: adde quod nihil obſtat quominus præter infuſas, alias etiam habere poſſint acquiſitas beneficio intellectus agentis, idque præſertim propter ſcientiam experimentalem, quam præter infuſam in vtroque communiter admittunt Theologi.

Nota. Porrò obiter nota vtrumque intellectum ęquiuocè & impropriè in Angelis admitti poſſe; quatenus enim intellectus Angeli producit actum intelligendi per ſuam vim actiuã, poteſt appellari agens; quatenus verò à Deo ſpecies recipit, & earum beneficio ipſum intelligendi actum in ſeipſo recipit, dici poteſt patiens ſeu paſſibilis.

DE

Digitized by Google

DE ACTV INTELLIGENDI SEV INTELLECTIONE.

An intelligere Angeli ſit eius eſſentia, aut exiſtentia, aut ſaltem ipſamet intelligendi potentia.

QVÆSTIO III.

TRibus propoſitis difficultatibus, totidem propoſitionibus ſatisfacere conabimur.

Prima propoſitio. Intellectio Angeli non eſt eius eſſentia. Probatur primùm authoritate D. Dionyſij cap. 11. de cœl. hierar. vbi diſtinguit in Angelis eſſentiam, virtutem, & operationem. Item Leonis Papæ 93. cap. 5. vbi fatetur proprium eſſe Dei vt ſit ſuum intelligere. Secundò ratione confirmatur. Cognitio enim ſeu intellectio Angeli, vel eſt ſupernaturalis, vel naturalis; atqui neutra poteſt eſſe eadem cum ipſa eius eſſentia; non quidem ſupernaturalis, tùm quia ſic non eſſet ſupernaturalis, quod repugnat hypotheſi; tùm quia ſequeretur Angelum eſſe beatum per naturam, nõ autem per gratiam: non etiam naturalis; tũ quia hæc non differt à verbo mentis, ſed verbum mentis à perſona intelligente diſtinguitur, vti aliàs dictũ eſt in Phyſicis, vbi de intellectu animę rationalis, & etiã in ſecundo tractatu huius partis vbi de perſona filij, ac proinde in rebus creatis diſtinguitur ab eſſentia perſonæ intelligentis; tùm quia verbum mentis in Angelo nõ poteſt eſſe ſubſtantia, cùm id ſoli verbo diuino

Prima propoſitio probatur authoritate.

Ratione cõfirmatur.

Digitized by Google

conueniat:atqui verbũ mẽtis eſt ipſamet intellectio elicita ab Angelo: Nõ igitur intellectio eſt ſubſtantia, ſed accidens, ſicque ab eſſentia ſeu natura angeli diſtinguitur.

Secunda propoſitio. *Probatur primo.* Secunda propoſitio. Intellectio Angeli nõ eſt ipſius exiſtẽtia. Probatur: tũ quia maior eſt vnio inter intellectionẽ & eſſentiã Angeli, quàm inter eãdẽ intellectionẽ & ipſius exiſtentiã, cùm ipſa intelligẽdi potẽtia ab eſſentia immanẽter fluat, nõ ab exiſtentia: atqui ex prçcedenti propoſitione intellectio differt ab eſſentia: ergo *Secundo.* multo magis ab exiſtentia: tũ quia exiſtẽtia eſt ipſamet rei eſſentia quatenus eſt extra ſuas cauſas poſita, vt aliàs dictũ eſt in Metaphyſicis vbi de principiis internis entis. Si igitur intellectio differt ab eſsẽtia, differt etiã ab exiſtẽtia.

Tertia propoſitio. *Prior pars propoſitionis probatur.* *Primò.* Tertia propoſitio. Intellectio Angeli eſt eadẽ realiter cũ ipſa intelligẽdi potentia, nõ tamen formaliter. Prior pars propoſitionis probatur, tũ quia omnis actus immanens eſt idẽ realiter cũ principio à quo eſt, & in quo reſidet: at intellectio tũ humana cũ Angelica eſt actus immanens: tũ quia repugnat actũ intelligendi ſeparatũ exiſtere ab ipſa intelligẽdi potẽtia, cũ ſit actus vitalis ſeu actualis influxus ipſius intellectus tanquam principij vitalis ſaltem proximi.

Poſterior pars probatur. *Primò.* *Secundò.* Poſterior verò pars prædictę propoſiționis ſimiliter probatur: tũ quia omnis actus formaliter differt à potẽtia cuius eſt actus, cũ alia ſit ratio formalis potẽtiæ, alia verò actus: tùm quia verbũ mentis formaliter diſtinguitur ab intellectu, vti aliàs dictũ eſt in tertia parte Phyſicæ tract. 4. de anima rationali, vbi de intellectu: atqui intellectio eſt ipſum verbũ mẽtis in fieri

vt ibidem dictũ eſt: quare neceſſe eſt vt ab ipſa intelligẽdi potentia ſaltẽ formaliter diſtinguatur. Quæri ſolet hîc à nõnullis, num alia ſit cognitio in Angelis pręter hãc intellectiuã cognitionẽ. Sed facilè eſt quæſtionem ſoluere ex iis quę paulò antè ſuppoſuimꝰ, nẽpe nõ eſſe, imò nec eſſe poſſe in Angelis aliã potentiã cognoſcitiuã præter intellectiuam. Ex quo neceſſariò ſequitur nullam eſſe poſſe in ipſis cognitionem præter intellectiuam. *Dubitatio. Solutio.*

DE MEDIO COGNITIONIS ANGELICÆ.

An Angelus per ſuam ipſius ſubſtantiam omnia cognoſcat. QVÆST. IIII.

IDem eſt ac ſi quęratur, vtrũ Angelus nõ indigeat vllis rerũ cognoſcẽdarũ ſpeciebus ſicut homo indiget, ſed per ſuã ſubſtãtiã res illas omnes vti ſolet Deꝰ cognoſcat. Nõ enim defuerũt quidã Theol. vt Durãdus, & quidã Nominales, qui negarũt vllas eſſe eiuſmodi ſpecies in Ang.

Communis tamen Theologorum ſententia eſt, Angelos non cognoſcere per ſuam ſubſtãtiam, ſed per ſpecies intelligibiles. Probatur primùm authoritate D. Dionyſij c. 4. de diuinis nominibus. vbi ait Angelos diuina illuſtratione rationes rerum accipere, id eſt ſpecies intelligibiles. Secũdò ratione cõfirmatur: neceſſe enim eſt vt omne obiectũ cognoſcibile ſit aliqua ratione cõiũctũ cũ potẽtia intelligẽte, quò fit vt Philoſ. 3. de anima aſſerat id quod intelligitur eſſe quodãmodo in intelligente; hoc autẽ fieri nõ poteſt, niſi vel per ſe immediatè, vel *Probabilior ſententia. Probatur authoritate. Ratione confirmatur.*

per ſui ſimilitudinē: atqui res omnes cognoſcibiles nō ſunt cōiunctæ cū intellectu Angeli per ſe & immediatè, vt conſtat; Ergo neceſſe eſt, vt per aliquam ſui ſimilitudinem cum ipſo coniungantur: illa autem ſimilitudo nō eſt ipſa Angeli ſubſtātia; neque enim tantæ dignitatis eſt, vt poſſit rerū omnium rationes exprimere; id enim ſoli diuinæ eſſentiæ competit; neceſſe igitur eſt vt illa ſimilitudo in Angelo ſit ſpecies aliqua intelligibilis. Mitto hîc rationes quibus ſolent Philoſophi aſtruere ſpecies intentionales in intellectu humano per quas intelligendi actum eliciat, eſt enim par in vtroque intellectu humano nempè & angelico ratio illas admittendi. Repetenda ſunt hoc loco quę de ſpeciebus intelligibilibus dicta ſunt 3. parte Phyſ. tract. 4. diſp. 2. quæſt. 7.

Occurritur obiectioni. Neque eſt quod opponas, Deū omnia intelligere per ſuā ipſius ſubſtātiā. Reſpōdetur enim aliam eſſe rationē Dei & creaturarum quantum ad rationem cognoſcendi, cùm in Deo ob ſummam eius ſimplicitatem nihil admitti poſſit diſtinctum ab ipſius eſſentia: at verò non eſt tanta in Angelis naturæ ſimplicitas.

Alia obiectio diluitur. Inſtabis forſan, eādē eſſentiā diuinā, nō tantū reſpectu Dei, ſed etiā reſpectu beatorū gerere vicem ſpeciei intelligibilis. Sed reſpondetur modum cognitionis beatificæ, tùm in Angelis, cùm in beatis animabus, non eſſe naturalem; ideoque mirum nō videri ſi Deus ſeipſum abſque vlla ſpecie intermedia miro quodā modo beatis omnib⁹ clarè videndū exhibeat, vti aliàs docuimus in primo tr. huius partis d. 9. qu. 3.

Digitized by Google

An Angeli cognoſcant per ſpecies à rebus acceptas.

QVÆSTIO V.

CONſentiunt fermè omnes Theologi Angelis inſitas eſſe rerum omnium ſpecies per quas intelligãt. An verò nullas alias ab obiectis acceptas habeãt cõtrouertitur. Exiſtimat enim Scotus Angelos cognoſcere res vniuerſales, per ſpecies infuſas. At verò res particulares, ac præſertim contingentes, quæ pendent à liberis agentibus, per ſpecies de nouo acquiſitas ſeu à rebus acceptas.

At verò probabilius arbitratur S. Thomas omnem Angelorum notitiam, ſiue ſit de rebus vniuerſalibus, ſiue particularibus, ſiue de neceſſariis, ſiue contingentibus, fieri per ſpecies infuſas ſeu in ipſis ab inſtãti ſuæ creationis inſitas. Quę ſentẽtia probatur primũ authoritate Ezec. 24. vbi in perſona Regis Tyri dicitur Angelo qui cecidit. *Tu ſignaculũ ſimilitudinis plenus ſapientia & decore.* & paulò poſt, *Perfectus in viis tuis fuiſti à die cõditionis tuæ.* Quæ quomodo vera ſint nõ apparet ſi ſpeciebus intelligibilibus ab initio caruiſſet. Nec eas niſi ab obiectis haurire potuiſſet. Huc accedit Sanctorũ Patrum authoritas, vt D. Dionyſij qui c. 7. de diuinis nomin. ait Angelos res cognoſcere propria virtute & natura mẽtis ad Dei imaginẽ effictę. Itẽ D. Aug. qui lib. 2. ſuper Geneſ. ad literã c. 8. ſcribit res prius fuiſſe cõditas à Deo in ipſa cognitione Angelorũ, nẽpè ſecundũ earũ ſimilitudines ſeu ſpecies intelligibiles, deinde in gene-

Probabilior D. Thomæ ſententia.

Probatur primùm authoritate.

Ratione idem probatur.

re ſuo. Præterea idem probatur hac ratione D. Tho. hîc q. 55. art. 2. Sicut ſe habẽt cæleſtes ſubſtãtię ad inferiores haſce corruptibiles, ita proportione quadã ſe habent ſubſtãtię ſpirituales cõpletæ, nimirũ Angeli, ad ſpirituales ſubſtãtias incõpletas, nẽpe animas rationales: Atqui cœleſtes ſubſtantiæ in hoc elemẽtaribus præſtant quod omnẽ ſuã perfectionẽ totã ſimul in actu primo ab initio habuerũt: ergo pari iure ſubſtãtiæ ſpirituales cõpletæ in hoc præſtantiores erũt incõpletis, quod omnẽ ſuã perfectionem (quæ in intelligẽdo maximè poſita eſt) totã ſimul ab initio habuerint. Idẽ etiã probatur hac ratione; quia ſpecies per quas Angeli intelligũt, vel ſunt rerũ materialiũ, vel immaterialiũ: atqui neutras Angeli ab ipſis rebus accipiũt; nõ quidem materialiũ, tùm quia natura Angeli eſt omninò abſtracta à materia ac indepẽdens ab ipſa quoad ſui operationem, in quo differt ab anima rationali, quò fit vt ipſa Angeli intellectio ſit prorſus indepẽdens à materia, quod nequaquã dici poſſet ſi nõ niſi per ſpecies ab obiectis materialib⁹ acceptas, fieri poſſet; tũ quia videtur minus congruũ dignitati naturę Angelicæ adeò alligari rebus materialibus vt ab obiectiua ipſarũ pręſentia pẽdeat omnis cognitio quã Angeli de ipſis aſſequi poſſunt; non etiam immaterialiũ, tùm propter præcedentẽ rationẽ, tum quia nõ decuit vt Angeli habeãt ſpecies rerũ materialiũ impreſſas in intellectu priuſquã rerũ ſpiritualiũ, ad quarũ intelligẽtiã natura procliuiores eſſe debẽt propter naturalẽ ipſorũ cõformitatẽ, tùm quia debuit vniformis eſſe ratio intelligendi in Angelis, vt ſcilicet vel

Ratione adhuc probatur.

omnes omniũ rerũ ſpecies ipſis cõgenitæ, vel vt omnes ab obiectis acceptę. Cũ igitur ex prędictis cõſtet nõ decuiſſe vt Angeli haberẽt ſpecies rerũ materialiũ ab ipſis acceptas, ergo neq; ab obiectis rerũ ſpiritualiũ acceptas habẽt. Et hæc quidẽ argumẽta cõcludũt nõ tantùm de ſpeciebus rerum vniuerſalium, ſed etiã particulariũ. Et ſanè quod Angeli debuerint habere ſpecies etiã repræſẽtatiuas rerũ particulariũ, ex eo probatur, quod perfecta prudẽtia ab initio eſſe debuit in Angelis, cũ ipſa ad perfectionem intellectus practici maximè pertineat; atqui prudentia non eſt abſque particularium cognitione, cũ in eo ab habitu ſcientiæ differat.

Prima obiectio. Verũ cõtra hãc ſentẽtiã nõnulla obiici poſsũt. Primũ ſi Angeli habuerint cõgenitas rerũ omniũ etiã particulariũ ſpecies, haberẽt infinitas, cùm res particulares indefinitę ſint ac indeterminatæ. *Solutio.* Reſpõdetur cũ D. Thoma hac prima parte quęſt. 87. art. 2. ad 3. ſpecies illas nõ eſſe infinitas, quoniã nõ eſt neceſſe Angelos cognoſcere omnia ſĩgularia per proprias ſpecies, ſufficiũt enĩ ad ea cognoſcẽda ſpecies vniuerſaliũ.

Secunda obiectio. Secundò obiici poteſt: Si haberẽt Angeli eiuſmodi ſpecies cõgenitas, poſsẽt cognoſcere futura omnia cõtingẽtia, etiã cordium cogitationes; quia ad aliquid cognoſcẽdũ ſufficit ſpecies ac virtus intellectiua. *Solutio.* Reſpõdetur Angelos illa futura cõtingẽtia poſſe cognoſcere cognitione quadã vniuerſali quæ abſtrahat ab eſſe & non eſſe, nõ autẽ in particulari prout euẽtura ſunt, nõ quòd careãt ſpecieb⁹ eorũ, ſed quia ſpecies illæ quas habẽt, nõ repręſentãt euẽtus iſtos cõ-

tingentes niſi quando iam exiſtunt aut extiterunt. Neque exiſtimandum eſt ſatis eſſe ſpeciem & intellectũ vt Angeli intelligãt futuros illos euentus; requiritur enim alia cõditio, nẽpè actualis exiſtentia præſens vel præterita rei cognoſcendæ. Quemadmodum ad cõbuſtionem non ſufficit ignis & cõbuſtibile, ſed prætereà requiritur approximatio tanquam conditio ſine qua non fieret combuſtio. Cur autem non cognoſcant cogitationes cordium etiam actu exiſtentes, infrà dicemus.

Tertia obiectio. Obiicitur tertiò: hinc ſequi Angelos omnia ſimul cognoſcere, & quidẽ neceſſariò, quia ſpecies infuſæ naturaliter agunt. *Solutio.* Reſpõdetur Angelũ determinari per volũtatem vt hoc potiùs quàm illud cognoſcat, Angelus enim cognoſcendo ſpecies ipſi congenitas, illarũ ſimul obiecta cõfuſè cognoſcit, quia ſpecies ſuapte natura fertur in illud obiectum cuius eſt ſpecies; voluntas verò poſtquam obiectum fuit confuſè cognitum imperat intellectui vt illud ipſum perfectiùs intelligat. Et hoc colligitur ex D. Aug. lib. 9. de Trinit. cap. vltimo, & l. 2. c. 2.

Dubitationi ſatisfit. Porrò quæritur hîc à nonnullis vtrùm ſpecies illæ Angelis ingenitæ, ſint proprietates naturæ Angelicę; non enim deſunt qui id aſſerãt; probabilior tamẽ videtur eorũ ſentẽtia, qui negãt. Proprietates enim alicui⁹ naturæ dicũtur quæ ab ipſis naturaliter fluũt, & quidẽ indepẽdẽter ab alia quauis re externa; at verò ſpecies illę nõ fluũt naturaliter ab ipſa Angeli ſubſtantia, ſed potius ipſi ſunt à Deo inſitæ, ita vt Angeli naturalẽ quidẽ potẽtiã ad eas recipiẽdas habeãt, non verò ad ipſas ex ſe ſe producendas. Adde

Digitized by Google

quod proprietates non niſi certo quodam ac determinato numero ab eſſentia dimanant: at verò ſpecies intelligibiles ſunt indeterminatę; ita vt ſi Deus voluiſſet plures rerum naturas ac ſpecies procreare, plures etiam forent in Angelis eiuſmodi ſpecies quàm ſint.

An ſuperiores Angeli intelligant per ſpecies vniuerſaliores.

QVÆSTIO VI.

NOtandum eſt ſpecies vniuerſales appellari non tantùm quod vniuerſalem naturæ gradum diſtinctè repræſentent, vt gradum ſubſtantiæ corporis aut animalis in genere, ſed quod aptæ ſint res plures ac diuerſas diſtinctè repræſentare, vt naturā hominis, equi, leonis, &c. Eſſe igitur vllas eiuſmodi ſpecies vniuerſales in Angelis negāt, nōnulli, vt Scot. in ſecūdū Sēt. d. 3. q. 10. Maior, aureol⁹, &c. *Quid ſint ſpecies vniuerſales.*

Probabilior tamen & communior eſt aliorum ſententia, præſertim D. Thomę hîc, nempe qu. 55. art. 3. concedendas eſſe in Angelis ſpecies vniuerſales. Ita vt quo Angeli ſunt ſuperiores, eò vniuerſaliores ſpecies habeant, quæ ſcilicet plura poſſint repręſentare. Probatur primùm authoritate D. Dionyſii c. 12. de diuinis nomin. vbi docet Angelos ſuperiores ſciētiam vniuerſaliorem & ſublimiorem participare. Secundò ratione hac D. Thomæ hoc loco; Angeli quò ſunt nobiliores, eò magis ad Dei vnitatem & ſimplicitatem accedunt, ipſique ſimiliores exiſtunt in intelligendo: atque Deus hoc maximè in intelligendo excellit, quod per vnicam ſuam eſſentiam ſimpliciſſi- *Probabilior ſententia. Probatur primùm authoritate. Secundò ratione.*

Ad maiorē rei illuſtrationē exēpla in medium adducuntur. mam omnia perfectiſſimè nouit. Ergo quo angeli erunt perfectiores in intelligendo, eò magis vnitè atque adeò per vniuerſaliores ac pauciores ſpecies intelligēt. Ad cuius veritatis maiorem illuſtrationē, nōnulla exēpla ex quibus id ipsū colligitur in mediū adduci poſſunt.
Primum. nā imprimis in rebus politicis animaduertere eſt
Secūdum. regē ſeu ſupremum principē generali quadam ratione omnia diſtinctè cōplecti, quæ ad reipublicæ ſtatū faciūt; ſubditos verò nōniſi quędam in particulari cognoſcere; Deinde inter
Tertium. varias artes ea quę ſuprema & architectonica eſt, generaliter ac vniuerſaliter omnia cōſiderat quæ ab inferioribus particulari modo conſiderantur; & inter ſcientias ea quæ cæterarum
Quartum. regina dicitur, nēpe Metaphyſica ſub vniuerſali entis ratione, diſputat de iis omnibus quę ab
Quintum. inferioribus ſcientiis ſpeciatim explicantur. Præterea ſēſus cōmunis fertur in omnia ſēſuū
Sextum. externorū obiecta, idque per vnicā & ſimplicē cognoſcendi rationē. Cauſę pariter ſuperiores paucioribus inſtrumentis perficiūt ea quæ ab inferioribus cauſis multiplici ratione producūtur. Denique ſicut in circulo centrū omnes lineas contingit, lineæ verò quo magis à cētro remouētur, eo magis à ſe inuicem diſtant: Sic Deus qui eſt omniū veluti centrū, omnia in ſe ſimplici ſua cognitione colligit; at creaturæ quæ ſūt inſtar radiorū ſeu linearū, quò magis à primo rerū principio perfectione diſtant, eò
Obiectio prima. magis inter ſe diſtīguūtur, maiorique varietate in operādo, ac proinde intelligēdo afficiūtur.

Verū aduerſus cōmunē hanc Theologorum ſententiā obiicit Scotus. Si per vnicā ſpeciē re-

præſentarētur angelo omnia vnius ſpeciei indiuidua, ſequeretur infinita ab angelo cognoſci poſſe, cùm indiuidua alicuius ſpeciei ſint infinita. Reſpondetur ſpecies Angelorũ eius eſſe conditionis, vt non poſſint repræſentare omnes creaturas poſſibiles, ſeu omnia eiuſdē ſpeciei indiuidua poſſibilia, ſed tãtũ ea quæ vel de facto exiſtunt, vel aliquãdo futura ſunt: illa autē certo numero definita ſunt. Vbi nota quod licèt vna eademque ſpecies apta ſit repræſentare omnia indiuidua alicuius ſpeciei, non tamen ſequitur quod illa omnia ſimul Angelus diſtinctè complecti poſſit. *Solutio.* *Nota.*

Secundò obiicitur, ſpeciē intelligibilē quãdã eſſe rei ſimilitudinē, fieri autē non poſſe vt vna eademque ſit diſſimiliũ rerũ ſimilitudo: quî enim fieri poſſet vt ſiquid ſimile ſit cãdori, id ipsũ quoque ſimile ſit nigredini? imò ecõtrà, neceſſe eſt vt ſi quid vni eiuſmodi contrariorũ ſimile ſit, alteri ſit diſſimile: nõ igitur fieri poteſt vt vna eadēq; ſpecies intelligibilis plures naturas diſſimiles intellectui angelico repræſentet; verbigratia, vt ſpecies coloris in genere colores diſſimiles, & oppoſitas colorũ ſpecies referat. Reſpõdetur ſpecies intelligibiles nõ eſſe eiuſdē cõditionis ac ſpecies intētionales obiectorũ materialiũ, & multò minùs eſſe ſimilitudines eo modo quo imagines corporeæ dicũtur ſimilitudines earum rerum materialium, quarum ſunt imagines; cùm enim ab obiecto pendeant, ita vt ab vno ſolo producantur, vel certè ad inſtar vnius cuiuſdã obiecti effingantur, nõniſi illud ipsũ referre poſſunt, quò fit vt nõ poſſint plura vt plura repræsētare. At verò *Obiectio ſecunda.* *Solutio.*

Digitized by Google

ſpecies intelligibiles in angelis ſunt ſuperioris ordinis, cùm ſint immediatè à Deo productę, non verò à rebus obiectis, dicunturque ipſarum ſimilitudines ; non quod ſint ipſis formaliter ſimiles, ſicut imago Cæſaris Cæſari ſimilis eſſe dicitur ; ſed quia vim habent ipſas repræſentandi, ſicut imago Cæſaris quia Cæſari ſimilis eſt, idcircò ipſum repræſentat.

Obiectio tertia.

Tertiò obiicitur. Si Angeli quo ſunt perfectiores, eò per vniuerſaliores ac pauciores ſpecies intelligunt; ergo poſſet dari aliquis Angelus adeò perfectus, vt omnia per vnicam ſpeciem intelligeret; imò etiam talis dari poſſet, qui abſque vlla ſpecie per ſuam ſubſtantiam omnia intelligeret, quod ſolius Dei proprium eſt vt ſupra diximus.

Solutio.

Reſpõdetur ad primã cõſequentiam, de facto nullum eſſe eiuſmodi Angelum, qui per vnicam ſpeciem omnia intelligat, neque ipſum colligi poſſe, nihil tamẽ repugnare adeò perfectum Angelum diuina virtute creari poſſe, vt per vnicã ſpeciem omnia poſſet cognoſcere. Ad alteram verò conſequentiam, negatur id ſequi quod infertur; vbi enim deuẽtum eſſet ad eum angelum qui poſſet per vnicam ſpeciem omnia intelligere, nõ ſequeretur angelũ qui eo perfectior crearetur poſſe abſque vlla ſpecie omnia cognoſcere; ſatis enim eſſet ad hoc vt perfectior altero Angelo conciperetur, quod eadem obiecta perſpicacius ac diſtinctiùs per eandem ſpeciem cognoſceret quàm inferior Angelus.

Nota.

Vbi etiam nota obiter probabile videri, iſtud Angelicæ cognitionis diſcrimen penes ſpecies magis ac minùs vniuerſales oriri ex notabili

naturalis perfectionis diſcrimine, quale eſt inter plures Angelos nō tātū diuerſæ hierarchiæ aut diuerſi ordinis, ſed etiam diuerſæ ſpeciei.

DE VARIIS OBIECTIS COGNITIONIS ANGELICÆ.

An Angelus cognoſcat res ſpirituales & quomodo.

QVÆSTIO VII.

QVandoquidem res quæ ſub Angeli intelligentiam cadere poſſunt, alię ſunt ſpirituales, aliæ materiales; item alię ſunt neceſſariæ, aliæ contingentes & liberæ, vt ſunt futuri euētus & etiam præſentes cordium cogitationes & affectus; aliæ denique naturales quę sūt opera naturæ; aliæ ſupernaturales quæ ſunt myſteria gratiæ: idcircò de cognitione Angelorum circa illa omnia ſigillatim dicēdum eſt, & primùm de cognitione rerum ſpiritualium. Conſtat autem naturaliter inſitam eſſe in angelis rerum ſpiritualium notitiam, cùm res illæ maiorem habeant cum ipſis naturæ conformitatem quàm aliæ res corporeæ, nec dubium ſit naturaliter inſitū eſſe in Angelis appetitum ad res eiuſmodi cognoſcendas, quem expleri neceſſe eſt Verùm difficultas eſt maximè quomodo res illas angeli cognoſcant, & quidem triplex; prima, quomodo cognoſcant ſeipſos; ſecunda quomodo cognoſcant alios; tertia denique quomodo Deum cognoſcant.

Quod ſpectat ad primam difficultatem, aſſerit D. Thom. hîc qu. 58. art. 1. & plerique alii, *Prima difficultas.*

Angelum ſeipſum cognoſcere per ſuam ſubſtantiam abſque vlla alia ſpecie intelligibili. At verò id negat Scot. & quidem valde probabiliter, vt nobis videtur & magis cōſentaneè iisquæ aliàs docuimus tertia parte Phyſ. tract. 3. Diſp. 2. q. 2. ſub finem. Vbi innuimus omnē facultatem cognoſcitiuam ferri in obiectum ſecundùm ipſius obiecti ſimilitudinem: Nec; enim exiſtimandum eſt requiri ſpeciem intelligibilem in facultate cognoſcitiua tantùm vt obiectum ab ipſa alioqui remotū, ipſimet aliqua ratione coniungatur, ſed maximè vt obiectum ipſum modo quodam intelligibili præexiſtat in ipſa facultate intellectiua, quòd nōniſi per ipſā ſpeciē intelligibilē fieri poteſt.

Quare neceſſaria ſit ſpecies intelligibilis.

Aſſertio tenenda. Cōfirmatur primo.

Quo poſito fundamento, non poſſe Angelū vllā ſui directam & intuitiuam notitiā elicere abſq; aliqua ſpecie intelligibili, probatur. Etſi enim Angeli eſſētia ſit in ipſo Angelo per ſeipſam ſicut natura in ſuppoſito, non tamen modo cognoſcibili in ipſius intellectu, tanquam obiectum in cognoſcēte, niſi per ſpeciē ipſius intelligibilē. Confirmatur hæc ſentētia primò; Id per quod intellectus intelligit ſe habet ad illū vt forma informans ſicut calor quo ignis calefacit eſt forma phyſicè informāſignē Atqui ſubſtantia Angeli non ſe habet ad eius intellectū ſicut forma, cùm potius intellectus ſit veluti forma ipſius ſubſtātiæ cū in ipſa ſubiectiue reſideat. Secūdò; intellectio ex cōmuni Philoſophorū cōſēſu fieri dicitur per aſſimilationē intellectus ad rem intellectam, quatenus intellectus recipit ſimilitudinem rei intellectæ, hoc autem dici non poſſet ſi angelus ſe-

Digitized by Google

ipſum per ſuam ſubſtantiam intelligeret.

Verũ obiicies forſã, animã rationalẽ ſeipſam cognoſcere etiã in corpore abſque vlla ſui ſpecie, vti docuimus in tertia par. Ph. tr. 4. diſ. 2. q. 5. Ergo potiori iure angelus cũ ſit ab omni materia ſeparatus, poterit ſeipſũ cognoſcere abſque vlla ſui ſpecie. Reſpondetur imprimis, etſi loco citato docuerimus animã deuenire in ſui cognitionẽ abſque vlla præexiſtẽte ſui ſpecie, quæ eſſet ipſi naturaliter ingenita, non tamen propterea docuimus animã ſeipſã intelligere per ſuã ipſius ſubſtantiã, imò id negauimus. Arbitramur enĩ animam ſe in hac vita cognoſcere cognitione quadã reflexa ac diſcurſiua eaque valde imperfecta, vt ibidẽ explicauimus; neque tamẽ inficiamur animã peracto aliquo diſcurſu, quoad ſui notitiã, reducitur per intellectũ poſſibilẽ aliquã ſui ſpeciẽ intelligibilem elicere, per quam conſtituatur in proxima potẽtia ad ſeipſã cognoſcẽdã: docuimus enim ibi q. 7. intellectũ patientẽ ſeu poſſibilẽ habere vĩ producendi in ſeipſo aliquas ſpecies intelligibiles earũ rerũ quarũ nulla phãtaſmata præextiterunt, vt rerum vniuerſalium, & ſpiritualiũ. Quare ex hoc nõ ſequitur Angelum cognoſcere ſeipſũ per ſuã ſubſtantiã quaſi per ſpeciẽ ſui intelligibilẽ. Vbi nota angelũ poſſe etiã dici cognoſcere ſeipſũ per ſuam ſubſtãtiã, quatenus non ex aliarum rerum cognitione in ſui ipſius notiã ducitur (vt ſolet anima rationalis in hac vita) ſed directa ac intuitiua cognitione ſeipſum per ſui ſpeciem complectitur.

Obiectio. *Solutio.* *Nota.*

Quod ſpectat ad ſecũdã difficultatẽ: aſſerimus quẽlibet angelũ, cognoſcere alium angelũ per

Secunda difficultas. Aſſertio tenenda ratione probatur primò.

ſpeciẽ intelligibilem illius ſibi naturaliter inditam. Rationẽ reddit D.Thom. hîc q.56.art. 2. Nã vt ait D.Aug.li.1.ſuper Gen.ad literã c.8 ea quæ in verbo Dei ab æterno præextiterunt, dupliciter ab eo fluxerũt; vno modo velut intelligibiliter vt eſſẽt in intellectu angelorum; altero modo realiter vt ſubſiſterẽt in propriis naturis: proceſſerunt intelligibiliter, quatenus Deus intellectui Angelico impreſſit rerum ſimilitudines, quas in eſſe naturali produxit: Atqui in verbo Dei ab æterno extiterunt rationes non tãtùm rerum corporalium, ſed etiam ſpiritualium: quare vnicuique angelo impreſſæ ſunt rationes omnium creaturarum tam corporearum quàm ſpiritualium, ac proinde omnium aliorum Angelorum; ita tamen vt vnicuique angelo impreſſa ſit ratio ſuæ naturæ ſecundùm eſſe naturale & intellectuale ſimul, aliarum verò naturarum tã corporearum quàm ſpiritualium rationes impreſſæ ſunt tãtùm ſecundum eſſe intellectuale, vt videlicet per eiuſmodi ſpecies impreſſas, creaturas tam corporales quàm ſpirituales, nempe ipſos omnes angelos cognoſceret. Poteſt etiam addi hæc ratio; quòd ſi Angelus non cognoſceret alium angelum per ſpeciem ipſius intelligibilem; vel illum cognoſceret per ſuam ipſius ſubſtantiam, vel per ſubſtantiam illius angeli quem cognoſceret: atqui neutrũ dici poteſt; non quidem prius cùm, non poſſit cuiuſpiam rei creatæ ſubſtãtia aliam perfectè repræſentare; hoc enim ſolius diuinæ eſſentię proprium eſt; non etiam poſterius, quia ipſa angeli

angeli cogniti ſubſtantia non eſt ſufficienter coniūcta cum intellectu angeli cognoſcentis, cùm non ſit forma ipſum informans.

Tertia difficultas.

Quod ſpectat ad tertiã difficultatẽ S.Thom. hîc art.3. ſentit angelum per ſuam ſubſtãtiam abſque vlla ſpecie impreſſa Deum cognoſcere, at verò contrariũ aſſerit Scotus in ſecundũ ſent.diſt.3.q.9.nempe angelum non per ſuam ſubſtantiam, ſed per ſpeciem intentionalem ipſi ſuperadditam naturaliter Deum cognoſcere, & quidem diſtinctè & quidditatiuè, non tamen adæquate & cõprehenſiuè, ſicut alium Angelum cognoſcit: quæ quidem ſententia probabilior nobis videtur; tùm quia ſi angelus per ſuam ſubſtantiam Deum cognoſceret nonniſi confuſè & valde imperfectè ipſum intelligeret, cùm ipſa angeli ſubſtantia non niſi confuſè & imperfectè Deũ repręſẽtet; tũ quia ſequeretur Angelum non cognoſcere Deum, niſi diſcurſiuè, nempe præſuppoſita ſui ipſius cognitione (Exiſtimat enim D.Thom. angelũ per ſuam ſubſtantiam non tantùm quaſi per ſimilitudinẽ repræſentantẽ, ſed etiã quaſi per ſimilitudinem cognitam Deum cognoſcere) atqui abſurdum eſt admittere in Angelis cognitionem Dei diſcurſiuam, non enim minùs naturaliter aptus eſt Angelus ad Deũ cognoſcendum, quàm ad res cæteras cognoſcendas. Quare ſi Angelus poteſt directa cognitione res cæteras cognoſcere, Ergo multò potiori iure poterit Deum ipſum directâ cognitione intelligere.

Probabilior aſſertio.

Probatur primò.

Secundò.

Vu

An, & quomodo angeli cognoſcant res materiales.

QVÆSTIO VIII.

QVæ in hac propoſita quæſtione difficultates continentur, ſequentibus propoſitionibus explicabuntur.

Prima propoſitio. *Probatur authorit.* *Ratione cõfirmatur*

Prima propoſitio. Angeli clarè ac diſtinctè cognoſcunt res materiales ſecundùm propriã ipſarum naturam. Probatur primùm authoritate ſacræ Scripturæ, quæ paſſim teſtatur angelos cum hominibus verſatos & loquutos fuiſſe: Quod abſque ipſorum expreſſa notitia fieri non poteſt. Secundò ratione hac D. Thomæ hîc qu. 57. art. 1. qua etiam probatur angelos res corporeas cognoſcere per proprias ipſarũ ſpecies. Is enim ordo (inquit) in entibus reperitur vt ſuperiora in inferioribus deficienter, inferiora verò in ſuperioribus eminenter cõtineantur, ita vt inferiora ſint in ipſis ſuperioribus perfectiori ac ſimpliciori modo quàm in ſeipſis, & quidem eò magis quo entia illa ſuperiora magis eminent: Et ideò quoniam omnia in Deo ſunt ſicut in sũmo rerũ vertice, idcircò ſuperſubſtantialiter in ipſo præexiſtunt ſecundũ ſimpliciſſimum eſſe diuinum, vt D. Dion. ait c. 1. de diuinis nom. Angeli autẽ inter cæteras creaturas Deo ſunt propinquiores & ſimiliores; ideoque plus ac perfectius participant de diuina bonitate ac perfectione, vt docet idem D. Dion. c. 4. de cœl. hierar. Sic igitur omnia materialia in ipſis angelis præexiſtunt ſimpliciùs quidẽ & immaterialiùs quã in ipſis reb⁹, multipliciùs autẽ & imperfectius quã in Deo: omne autem quod eſt in aliquo, eſt in eo per modũ ipſius in quo eſt; Angeli autẽ ſecũ-

dũ ſuã naturam ſunt intellectuales; Quo fit vt omnia materialia ſint in angelis intellectualiter, non quidẽ ſecundũ ipſũ eſſe angelicũ, ſed ſecũdũ ipſorũ ſpecies intelligibiles ipſis angelis ab initio cõgenitas: Et ideò ſicuti Deus per ſuum eſſe ſiue per ſuam eſſentiam materialia cognoſcit; ita Angeli ea cognoſcunt per ſpecies ipſorum intelligibiles. Neque dubium eſſe poteſt quin ſpecies illę Angelicæ poſſint materialia perfectè repræſentare, cùm ſint perfectiores quàm noſtræ quę ipſorum materialium naturas ſatis perfectè repræſentant.

Secunda propoſitio. Angeli non tantùm cognoſcunt materialia in genere, ſed etiã in particulari, ſeu cognoſcunt eiuſmodi ſingularia corporea, non tantùm ſub vniuerſali quadam ratione vel in ipſorũ cauſis, ſed vt ſunt in ſeipſis. Probatur eadem authoritate ſacræ Scripturæ qua præcedens propoſitio. Nã in iis locis in quibus paſſim ſacra Scriptura tradit angelos cum hominibus verſatos fuiſſe & loquutos, atq; in ipſorũ miniſteriũ mitti, nõ fit mẽtio niſi ſingulariũ. Quare hæc propoſitio de fide tenẽda eſt. Præterea confirmatur hac ratione D. Thomæ hîc art. 2. Modus (inquit) quo intellectus Angeli ſingularia percipit ex hoc cõſiderari poteſt, quod ſicut à Deo effluunt res vt ſubſiſtant in propriis naturis, ita etiam vt ſint in cognitione Angelica: Atqui conſtat omnia à Deo effluere, non tantùm ea quæ ad rationem naturæ vniuerſalis pertinẽt, ſed etiã ea quæ ad ipſius ſingularitatem ſpectant, præſertĩ cũ nihil niſi ſingulare à Deo producatur;

Secunda propoſitio.

Probatur authoritate.

Ratione cõfirmatur primò

Quare angeli per ſpecies ipſis inditas cognoſcũt omnia materialia, nõ tãtũ quoad rationes ipſorũ vniuerſales, ſed etiam quoad indiuiduales ipſorũ differentias. Adde quod ſpecies intelligibiles angelorum ſunt veluti repręſentationes multiplices, illius vnitæ ac ſimplicis eſſentiæ diuinæ, quatenus eſt rerum omniũ ſimpliciſſima idea: atqui Deus per illam ſuã vnicã eſſentiam nouit omnia materialia etiam ſingularia: ergo & angeli per ſuas ſpecies ſingularia materialia noſſe poterunt.

Occurritur obiectioni. Neque obeſt quod intellectus hominis iuxta Ariſtotelis doctrinam l.3. de anima: materialia nonniſi generatim & vniuerſaliter dicatur percipere, ſicut ſenſus ſingularia. Nam licèt ita res haberet, vt homo per intellectũ vniuerſalia duntaxat, per ſenſum verò particularia cognoſceret; non tamen inde ſequeretur Angelũ nõ poſſe per ſuum intellectum iſta omnia cognoſcere, cùm illius intellectus ſit alterius rationis, quàm noſter, vt aliàs docuimus, vbi de intellectu animæ rationalis, & ea quæ in inferioribus diuiſa ſunt in ſuperioribus vnita eſſe ſoleant. Quo fit vt Angeli per vnam eandemque potentiam, ſeu facultatem, ea cognoſcant quæ à nobis nõ niſi per diuerſas potentias cognoſci poſſũt. Adde quod probabile eſſe arbitramur intellectũ noſtrũ ſingularia materialia poſſe ſuo modo etiã in hac vita cognoſcere, vt aliàs docuimus 3. parte Phyſicæ tr.4.d.2.qu.2.

Tertia propoſitio. Tertia propoſitio quæ eſt etiã D.Th. hîc, art. 2. aduerſus Scot. in ſecundũ Sent. diſt. 3. q. vlt. Angeli cognoſcũt ſingularia per eaſdẽ ſpecies

Digitized by Google

quibus cognoſcũt ipſorũ naturas & quiddita-
tes in vniuerſali. Probatur, ſi enim per alias ſpecies illa cognoſcerent: ergo aut per aliquas ſpecies de nouo acquiſitas, aut per aliquas ſpecies ab initio infuſas, ſed ab aliis diſtinctas; Atqui neutrũ dici poteſt; nõ quidẽ prius, vt conſtat ex iis quibus ſuprà hac ipſa diſp. q. 5. generatim probauimus, omnẽ angelorũ cognitionẽ fieri per ſpecies infuſas, nõ acquiſitas: neq; etiã poſterius, vt cõſtat etiã ex iis quibus ſupra hac ipſa diſ. q. 6. oſtẽdim⁹, angelos cognoſcere per ſpecies vniuerſales. Et probatur adhuc; quoniã & id poſſibile eſt, & contrariũ videtur incõmodum; id inquã poſſibile eſt, quia nihil repugnat vt vna eadẽque ſpecies tã perfecta ſit vt poſſit naturã aliquã ſpecificã ſimul & omnia illius ſingularia repræſentare, præſertim cũ in ſingulis naturæ ſpecificæ indiuiduis nõ ſit perfectio ſimpliciter infinita: Contrariũ verò incõmodũ videtur, ſequeretur enim tot eſſe debere ſpecies diſtinctas in angelis, quot sũt numero diſtincta ſingularia, quod videtur inconueniẽs; hoc enĩ eſt multiplicare entia ſine neceſſitate. Quæ ratio multos impulit vt arbitrarẽtur (quod etiã nos probabile arbitramur) nõ modo ſingularia alicuius naturæ ſpecificæ, ſed etiã omnia accidentia & omnes modos eiuſmodi ſingulariũ, repręsẽtari poſſe Angelo per eandẽ illã ſpeciem infuſã quâ natura ſpecifica repræſentatur. Quæ verò aduerſus hanc noſtram aſſertionem obiici poſſunt fermè explicata ſunt ſuprà citatis quęſtionibus 5. & 6. huius diſputationis.

Probatur primo.

Probatur ſecundo.

Corollariũ

Digitized by Google

An, & quomodo angeli cognoſcant contingentia tũ præſentia cum futura, ac præſertim cordium cogitationes.

QVÆSTIO IX.

Senſus quæſt. aperitur.

QVæſtio hîc non inſtituitur de iis, quæ neceſſariò futura ſunt, cõſtat enim ea ab angelis cognoſci in ipſorũ cauſis, ſicuti etiã nos poſſumus euẽtus naturæ futuros ex neceſſariis ipſorũ cauſis certiſſimò præſcire; ſed quæſtio hæc inſtituitur de iis quæ cõtingenter & liberè eueniunt, quæ dupliciter conſiderari poſſunt; nempe vel vt futura ſunt, vel vt actu exiſtunt.

Prior difficultas de contingentibus futuris.

Quod igitur ſpectat ad cõtingẽtia futura, videtur ea imprimis diſtinguẽda: quędã enĩ licet nõ neceſſariò, attamẽ vt plurimũ ex ſuis cauſis cõſequũtur. Alia verò neq; certò, neq; vt plurimũ ſequũtur ex ſuis cauſis, ſed tãtũ cõtingẽter.

Quid de re propoſita tenendum eſt.

Hoc poſito aſſerimus cõtingẽtia futura prioris generis nõ certò quidẽ, probabiliſſimis tamẽ cõiecturis ab angelis cognoſci; cũ enim homines ea poſſint coniicere, ergo multò magis angeli, vt potè hominibus multò perſpicaciores. At verò cõtingẽtia futura poſterioris generis nullo modo ab Angelis certò cognoſci aſſerimus, neque in ſuis cauſis, neque in ſeipſis; non quidem in ſuis cauſis, cùm illæ ſint penitus indeterminatæ; neque etiam in ſeipſis, cũ nondum angelis ſint præſentia, nec realiter exiſtant. Et hæc quidem poſterior aſſertionis noſtrę pars de fide tenenda eſt, cùm ſacræ litteræ certam eiuſmodi futurorum notitiã ſoli Deo tribuant, vt Iſaiæ 41. *Annunciate quæ ventura ſunt in futurum, & ſciemus quia dii eſtis.* & præterea antiqui Patres communi conſenſu id eſſe

Digitized by Google

ſolius Dei proprium aſſeuerant. Ita Origenes lib 6. contra Celſum, vbi ait diuini ſermonis characterem eſſe prædictionem futurorum; & Chryſoſt. hom. 18. in Ioan. vbi ait certam prædictionem futurorum immortalis duntaxat Dei opus eſſe, vt alios prætermittam qui idcirco myſteria fidei eſſe vera probant, quia longe ante fuerant prędicta.

Obiectio. Neque huic Catholicæ veritati obeſt, quod dæmones ſæpenumerò vera prænuntiant, etiam circa res merè contingentes, quæ videlicet ex mera hominum voluntate pendent. *Solutio.* Reſpondetur imprimis dæmonem etiam ſæpenumerò falſa prænuntiare, deinde iſtiuſmodi futura contingentia tanquam certa prædicere, non quòd illa certò ſciat, ſed quod facile ſit ipſi de futuris contingentibus vt de humanis actionibus aliquid coniicere, idque ex longo vſu & continua rerum experientia, acrimonia ingenii, & perſpicaci notitia, tùm omnium circunſtantiarum quæ ad cuiuſuis ſtatum pertinent, cùm etiam naturalium diſpoſitionum vniuſcuiuſque, vt quo quiſque ingenio ſit, quibus moribus præditus, quæ ſit naturæ cuiuſque procliuitas, &c. Adde quod poſſunt nefandi ſpiritus ea certò prædicere quæ ipſi Deo permittente facturi ſunt. Sic potuit Satan futuram calamitatem B. Iob prænuntiare ſtatim atque ipſi facultas eam infligendi à Deo conceſſa eſt: quo prædictionis genere ſæpenumero gentiles deluſi ſunt. Poſſunt etiam ea probabiliſſimè coniicere futura quæ ipſi ſuaſuri ſunt

Digitized by Google

Dubitatio. vt fiant. Denique poſſunt etiã ea certò prædicere, quæ ipſis à Deo certas ob cauſas interdũ reuelãtur. Quæres forsã, cur Angeli potius cognoſcant præterita quã futura; cũ illa nõ magis quã iſta exiſtãt, ac proinde ſpecies ipſis cõgenitæ non magis videãtur poſſe illa repræſẽtare quã iſta. Reſpõderi poteſt primò ſpeciem intelligibilẽ angeli aliquo modo determinari per actualẽ exiſtẽtiã rei pręſentis, vt poſſit deinceps ipſam etiam præteritam repræſentare. Secundò reſpõdetur, & quidem vt mihi videtur aptiùs cauſam eius rei non aliũde petendã quàm ex voluntate diuina; voluit enim Deus ſpecies illas quas angelis impreſſit, eius eſſe conditionis, vt non poſſent res futuras merè contingentes quãdiu futuræ ſunt, repręſentare, ſed tantùm pręſentes vel præteritas.

Solutio prima.

Secunda ſolutio.

Poſterior difficultas de contingentibus praſẽtibus.

Quod verò ſpectat ad contingentia præſẽtia ſiue actu exiſtẽtia, illa sũt duplicis generis; aut enĩ sũt externa, vt plerǫque humanę actiones imperatæ, v.g. ambulare, ſedere, loqui, &c. aut interna ſeu oculta, vt omnes actiones tũ intellectus cũ voluntatis, quæ dicũtur cogitationes aut affectiones. De contingentibus autẽ præſẽtibus prioris generis nulla eſt difficultas; nemo enim dubitat ea cognoſci poſſe ab angelis: At verò de cõtingentibus poſterioris generis difficultas eſt, nempe de cogitationibus & affectionibus, vtrùm cognoſci poſſint naturaliter ab Angelis. Vbi nota difficultatem eſſe non tantùm de hominibus reſpectu Angelorum, ſed etiam de ipſis Angelis reſpectu aliorum Angelorum: an ſcilicet vnus Angelus poſſit cognoſcere cogitationes & affectus al-

Difficultatis nodus.

terius Angeli. Quibus poſitis quid de quæſtione propoſita probabilius tenendum ſit, ſequentibus propoſitionibus explicabitur.

Prima propoſitio, quæ eſt D. Thomæ qu. 57. art. 4. & communiter omniũ Theologorum: Angeli poſſunt cognoſcere cogitationes cordis & affectiones volũtatis in ſuo effectu, quãdo videlicet aliquo ſigno externo producũtur. Quod mirũ videri non debet, cũ homines qui non tanta ingenij acie præditi ſunt, ex eiuſmodi indiciis & ex iis quæ in vultu apparẽt, varios animi motus dignoſcant. Vbi nota ex D. Aug. lib. de diuinatione dæmonum cap. 8. leuiora quædam cogitationum ſigna interdùm exhiberi, quæ licèt obtuſo hominum ſenſu diſcerni non poſſint, acuto tamen dęmonum poſſunt. Lege de ea re Caſſianũ Coll. 7. c. 14. 15. & 16. Aduertendum etiã eſt eiuſmodi cognitionẽ quæ per externa indicia acquiritur, in ipſis Angelis nõ eſſe prorſus certã, ſed tãtũ cõiecturalẽ. *Prima propoſitio.* *Ratio.* *Nota.*

Secunda propoſitio quæ eſt etiam D. Tho. loco citato & omnium Theologorum, imò quæ fide tenenda eſt, Angeli non poſſunt cognoſcere cogitationes cordis aut affectiones voluntatis quando nullo externo indicio manifeſtantur, nec ad ipſos diriguntur vt illas cognoſcãt. Probatur primùm authoritate ſacrarum literarum, qua id ſolius Dei proprium eſſe teſtantur. Pſ. 7. *Scrutãs corda & renes Deus.* Pſ. 43. *Ipſe enim nouit abſcondita cordis*, Hier. 17. *Prauũ eſt cor hominis & inſcrutabile, & quis cognoſcet illud? Ego Dominus ſcrutãs cor & probans renes.* Act. 5. *Tu Domine qui noſti corda hominũ* 1. ad Cor. 2. *Quis enim hominũ ſcit quæ ſunt hominis, niſi ſpiritus hominis qui* *Secunda propoſitio.*

in ipſo eſt? Ad Heb.4. *Diſcretor cogitationũ & intẽtionũ cordis*. Deinde authoritate Sãctorũ Patrũ qui id ipſum tãquã fide certiſſimũ aſſeuerãt, & ex eo maximè aiunt Chriſti diuinitatẽ cõprobari, quod omniũ cogitationes exploratas haberet, vt patet Matt.9. *Sciẽs Ieſus cogitationes illorũ*. Luc. 11. *vt autẽ Ieſus vidit cogitationes illorũ*. & Ioã.2. *Eo quod ipſe noſſet oẽs*. Deniq; ratione probatur, quia ad rectã rationalis creaturę gubernationẽ ſpectabat vt ipſi⁹ interni act⁹ nemini, niſi ei qui ipſi⁹ ſpecialis gubernator, iudex, prĩcipiũ, ac finis eſt pateſcerẽt, cũ per eiuſmodi act⁹ internos rationalis creatura immediatè ſuo Creatori cõiũgatur, ipſiq; adhæreat, nõ ſec⁹ ac ad rectã alicuius dom⁹ gubernationẽ planè neceſſariũ eſt vt nemo inuito patrefamilias domũ ingredi poſſit, ne videat quę inibi gerũtur: & ſanè nõ decuit arcanũ illud rationalis naturæ cũ Deo cõmerciũ, alteri naturaliter pateſcere. Adde quod valde incõmodũ eſſet ipſi rationali creaturæ ſi ei⁹ cogitationes & affectiones alteri ipſâ inuitâ pateſcerẽt.

Ratione cõfirmatur.

Tertia propoſitio.

Tertia propoſitio, quę eſt D.Th. ibid. Ratio cur Angeli nõ poſsũt cognoſcere cordiũ cogitationes, nõ eſt tãtũ ꝙ à Deo impediantur, ſicuti à Deo coercẽtur ne multa perpetrẽt quæ poſſẽt naturaliter præſtare, vt putat Scot. in 4. Sẽt. diſt.10.q.8. Sed maximè quod ipſorũ intelligẽdi vis nõ poſſit ad id naturaliter ſe extẽdere.

Probatur authoritate.

Probatur primũ ſuprà allatis authoritatib⁹ ſacrę Scr. quæ illud ſoli Deo naturale eſſe, & creaturę facultatẽ excedere nõ obſcurè innuunt.

Ratione confirmatur.

Secũdò ratione; quia intelligendi vis creata, ad ea tãtũ videtur naturaliter poſſe pertĩgere quę ſũt ordinis merè naturalis, quæq; pẽdẽt à cau-

Digitized by Google

ſis merè naturalibus:atqui cogitationes cordis nō sūt ordinis aut ſtat⁹ merè naturalis antequā ad Angelū dirigātur vt ipſi manifeſtētur, quia nō habēt cōnexionē cū cauſis merè naturalib⁹, ſed tātū cū cauſa libera, nēpè volūtate, quę licèt nō ſit ſupernaturalis, eſt tamē alteri⁹ ordinis quā aliæ cauſæ merè naturales: cauſæ enim merè naturales agūt sēper vno modo eoq; neceſſario, volūtas autē quibuſcūq; cauſis poſitis libera eſt ad agēdū vel nō agēdū, poteſtq; variis modis circa idē obiectū procedere, volēdo ſcilicet aut nolēdo aut actū ſuſpēdēdo. Quo fit vt actus volūtatis ſint ſuperioris ordinis quā ſint actus naturales. Obiicies forsā ſolā voluntatē eſſe facultatem liberā, nō verò intellectum, ac proinde ſolos affect⁹ cordis nō verò cōceptus mētis Angelos latere poſſe. Reſpōdetur primò intellectū poſſe dici causā liberā, quia ipſe eſt principiū ſeu cauſa originalis liberi arbitrij. Secūdò, licèt intellect⁹ nō ſit formaliter liber, ipſi⁹ tamen act⁹ eſſe formaliter liberos cū imperantur à volūtate; aſſerim⁹ autem omnes act⁹ imperatos ad intra ſeu internos nō poſſe naturaliter cognoſci ab Angelis, niſi cū ad ipſos dirigūtur: quo fit vt actus potentiarū etiā ſenſitiuarū internarū, vt phātaſiæ & appetit⁹ ſenſitiui, nō poſsīt naturaliter ab Angelis cognoſci quaten⁹ imperio rationis interdū liberè dirigūtur, ſicut nec ipsū rationis imperiū, vt rectè notat D. Th. hîc. q. 57. art. 4. ad 3. Cæterū ratio cur act⁹ illi liberi ab internis potētiis eliciti, nō poſſint naturaliter cognoſci ab Angelis, eſt, quia nō poſſunt per ſpecies impreſſas ſingulorū hominū & Angelorum ipſis repræſentari: Noluit au-

Obiectio. *Solutio.* *Nota.*

tem Deus ſpecies Angelis imprimere, quæ poſſent eiuſmodi actus naturaliter repræſentare ipſis Angelis niſi cùm ad ipſos dirigerentur, quia naturalem iſtiuſmodi actuum internorum notitiam ſibi voluit reſeruare. Idque ob rationes præcedenti propoſitione allatas.

Obiectio. Si obiicias ex prædictis ſpecies intelligibiles ſubſtantiarum indiuiduarum quæ ſunt in Angelis, eſſe naturaliter aptas ipſis repræſentare omnia ipſorum accidentia & modos, ac proinde omnes ipſarum actus, cuiuſmodi ſunt cogitationes mentis & cordis affectiones. *Solutio.* Reſpondetur iſtos actus internos ac liberos excipiendos eſſe, Deus enim voluit illas ſpecies eſſe ei⁹ conditionis, vt non poſſent Angelis repręſentare eiuſmodi internos actus liberos inuita rationali creatura, ſed tantùm cùm ad eos ab ipſa dirigerentur. Nãque ipſius ſpõtaneæ directionis beneficio, veluti ponũtur intra ſpherã actiuitatis ipſius intellectus Angelici: Sic enim decuit rationales creaturas ſuarũ cogitationũ & affectionũ eſſe dominas; ita vt poſſent illas pro libito vel occultas tenere, vel aliis detegere.

An, & quomodo Angeli cognoſcant myſteria gratiæ.

QVÆSTIO X.

VT propoſita quæſtio planiùs ac pleniùs explicetur, prænotandũ eſt Angelos ſecundũ triplicẽ ſtatũ cõſiderari poſſe; nẽpè vel ſecundùm ſtatum naturæ ſeu ſecundùm naturales ipſorũ vires, quæ etiã in malignis ſpiritibus remãſerunt; vel ſecundũ ſtatum gratiæ ſeu ſecundùm dona ſupernaturalia, quæ ipſis ab initio ſuę creationis infuſa ſunt, vt ſunt habitus gratiæ, fidei, &c. quibus etiam maligni ſpiritus

Angeli ſecũdum triplicem ſtatum poſſunt conſiderari.

Digitized by Google

donati ſunt, antequam ab ipſo ſtatu exciderēt; vel denique ſecundùm ſtatum gloriæ ſeu ſecundùm lumē viſionis beatificæ. Itaque iuxta hanc triplicem Angelorum conſiderationem propoſita quæſtio explicanda eſt.

Primus ſēſus quæſtionis.

Quod igitur ſpectat ad primū ſenſum propoſitæ quæſtionis, nempè an & quomodo Angeli ſecūdū ſua naturalia ſpectati, cognoſcāt myſteria gratiæ: quid de ea re propoſita probabilius tenendum ſit, ſequētibus propoſitionibus determinabitur; ſi priùs notaueris, myſteria gratiæ cōſiderari poſſe vel vt futura, vel vt actu exiſtētia: deīde aliquid dici ſupernaturale duob⁹ modis, primò ex parte termini vt loquūtur, nēpè cū id quod fit ſecūdū ſe, eſt altioris ordinis quā ſit ordo rerū naturalium, cuiuſmodi eſt iuſtificatio impij, incarnatio Verbi, &c. Secūdò ex parte modi dūtaxat, cū id quod fit, in ſe & ſecūdū ſuā eſſentiā eſt ordinis naturalis, modus tamē quo fit eſt ſupernaturalis, vt cū vis⁹ cæco aut vita mortuo reſtituitur, &c. His ita poſitis.

Aliquid dicitur ſupernaturale duobus modis.

Prima propoſitio.

Sit prima propoſitio. Angeli per ſua naturalia ſeu per ſolas ſpecies ſibi à primo ortu impreſſas, nō poſſūt vlla futura gratiæ myſteria certò cognoſcere; v.g. Futurū Meſſiā, Virginē pariturā, gētes ad fidē cōuertēdas, &c. Ratio eſt, quia iſtiuſmodi myſteria ex mera Dei volūtate pendent; nō igitur poſſunt cognoſci naturaliter ab Angelo: Si enim nō poſſūt Angeli cognoſcere futura cōtingētia, quę ex creata volūtate pendent, multo minus poterunt ea certò præſcire quæ ex ſola Dei libera voluntate pendent, præſertim cum non ſint naturalis ordinis.

Ratio.

Secunda propoſitio. Angeli per ſua naturalia

Secunda propoſitio. ſeu per prędictas ſpecies nō poſsūt naturaliter cognoſcere myſteria gratię, quę dicūtur ſupernaturalia ex parte termini, eſſe poſſibilia, non tantū cū futura sūt, ſed etiā cū actu exiſtūt. *Ratio.* Ratio in prōptu eſt; quia ſicut res illæ in ſua entitate ſunt ſupernaturales; ita & in ſua cognoſcibilitate (vt ita loquar) lōgè excedūt facultatem intelligēdi naturalē rationalis creaturæ. *Conſectarium.* Ex quo ſequitur dæmones per ſua naturalia, nō tātùm non potuiſſe poſſibilitatē Incarnationis Verbi ſuſpicari, ſed nequidē iſtud myſteriū iā peractū potuiſſe cognoſcere, ſicut etiā nec poſſe clarè cognoſcere gratiā vel fidē in anima, aut Chriſtū in Euchariſtia, niſi fortaſſe per indicia quædam externa. *Tertia propoſitio.* Tertia propoſitio. Angeli per ſua naturalia poſsūt cognoſcere myſteria gratiæ quæ dicuntur ſupernaturalia tantùm ex parte modi eſſe poſſibilia. *Ratio.* Probatur, quia poſſūt Angeli naturaliter cognoſcere Deū eſſe infinitæ virtutis, ac proinde poſſe illū modo ſupernaturali multa naturalia præſtare, vt viſum cæco, vitā mortuo reſtituere; Itē cauſarum naturalium efficaciā cohibere, &c. Quāuis enim nō poſſint Angeli certò cognoſcere, an eiuſmodi futura ſint vt in prima propoſitione dictū eſt; poſſūt tamē cognoſcere iſta eſſe poſſibilia, & prętetea eadē certò & clarè cognoſcere dū fiūt aut exiſtūt, cū iſta oīa ſecundū ſuū eſſe ſint naturalis ordinis.

Quarta propoſitio. Quarta propoſitio. Nō potuiſſent Angeli per ſua naturalia ſeclusâ omni reuelatione, cognoſcere myſterium incarnationis per externa ſigna & effectus, vt ſunt Chriſti miracula, ipſiꝰ *Ratio.* vitæ ſanctitas & ſapiētia: Quia iſta omnia poterāt à Deo per purū hominē fieri: poſitâ tamē

reuelatione ſeu ipſâ Chriſti teſtificatione aſſe-rentis ſe miracula patrare vt noſſent omnes ipſum eſſe Filium Dei, vnũ cũ ipſo, ab ipſo miſſum, &c. nõ poterãt de ipſius diuinitate ambigere, licet illam nõ niſi per iſtiuſmodi effectus cognoſcerent, quos ſciebant non poſſe à Deo fieri niſi ad confirmationem veritatis.

Quod ſpectat ad ſecundum ſenſum propoſitæ quæſtionis, nẽpè vtrũ Angeli poſſint cognoſcere myſteria fidei in ſtatu gratiæ ſeu dũ erãt in via, in quo ſtatu erãt præditi gratia & fide, vt poſtea dicetur; reſpõdetur ſequẽtibus propoſitionibus. Prima propoſitio. Angeli in prædicto ſtatu cognouerunt per reuelationem ſeu lumen fidei myſterium Trinitatis: non enim erãt in eo ſtatu nobis deteriores, nec ad minorem beatitudinem ordinabantur; quare nec minorem huius myſterij cognitionem quàm nos, habere debuerunt: atqui nos in hoc ſtatu gratiæ explicatã Trinitatis cognitionẽ habem⁹: Adde quod cognouerũt in prædicto ſtatu myſterium Incarnationis, vt mox dicetur; ergo & myſterium Trinitatis, quia illud ſine iſto cognoſci non poteſt. *Secundus ſenſus quæſtionis.* *Prima propoſitio.* *Ratio.*

Secunda propoſitio quæ eſt D. Tho. hîc q. 57. art. 5. & infrà q. 64. ar. 1. Angeli omnes ſaltem boni in prædicto ſtatu per reuelationẽ cognouerunt myſterium Incarnationis, ſaltem in cõmuni, nẽpè fore vt Filius Dei ſumeret carnem humanã & homo factus, genus humanum redimeret. Probatur primũ authoritate D. Aug. lib. 5. ſuper Geneſ. c. 19. Ruperti in illud Ioan. 8. Homicida erat ab initio, & aliorũ. Prętereà idẽ tenent omnes qui docẽt Verbũ aſſumpturum *Secunda propoſitio.* *Probatur authoritate.*

Digitized by Google

fuiſſe carnẽ humanã,etiãſi Adam nõ peccaſſet, & qui cenſent Angelos accepiſſe gratiam per Christum. Secundo ratione probatur, tũ quia omnes Angeli adepti ſunt gratiã propter merita Chriſti futura, vt in ſecũda parte huius Sũmæ Deo dante docebitur. Conſentaneũ igitur fuit vt illorũ fides eſſet de Chriſto venturo per quem gratia illis fuit collata; tũ quia probabile eſt hoc myſteriũ Adamo reuelatũ fuiſſe in ſtatu innocẽtiæ, vt docet S. Doctor, 2.2.qu.2.art. 7. Atqui nulla eſt ratio cur Adamo potiùs quã Angelis reuelari debuit, prȩſertim cũ Chriſtus nõ minùs meruerit gratiã Adamo in ſtatu innocentiæ, quã Angelis in ſtatu viæ. Notandum tamen eſt probabile eſſe multas iſtius myſterij circunſtantias, ac humanæ redemptionis modum illos tunc latuiſſe, quæ mox illis ſaltem magna ex parte innotuerunt in ſtatu gloriæ.

Ratione cõfirmatur.

Nota.

Tertia propoſitio. Tertia propoſitio. Angeli in prædicto ſtatu viæ per lumen fidei præter myſteriũ Trinitatis & Incarnationis, potuerũt alia fidei noſtrȩ myſteria cognoſcere, & de facto probabile eſt aliqua cognouiſſe, licèt nõ omnes iſta æqualiter cognouerint; ſicut nec ipsũ myſteriũ Incarnationis, cũ probabile ſit nõ ȩquale lumẽ reuelationis omnibus in prȩdicto ſtatu inditũ fuiſſe.

Tertius sẽſus quæſtionis. Quod ſpectat ad tertiũ ſensũ propoſitæ quæſtionis. Reſpõd. ſequẽtibus propoſitionibus.

Prima propoſitio. Prima propoſitio. Angeli in ſtatu beatificȩ viſionis, potuerunt cognoſcere myſteria gratiæ etiã ſupernaturalia ex parte termini. Probatur, quia cùm ex prædictis potuerint iſta cognoſcere per ſolum lumẽ reuelationis in ſtatu viæ: Ergo

Digitized by Google

Ergo multo magis eadem cognoſcere poterũt per lumen viſionis in ſtatu gloriæ.

Secunda propoſitio. De facto Angeli multò plura & quoad plures circũſtãtias fidei noſtrę myſteria cognouerunt in ſtatu gloriæ, quã in ſtatu vię. Probatur, tũ quia iſta facillimè in verbo repręſentari potuerũt; tũ quia hoc ipsũ dignitas iſtius ſtatus beatifici hoc expoſtulabat, vt multa ipſis myſteria detegerẽtur quę antea latebãt, tũ quia id patet inductione. Et quidẽ de myſt. Trin. cõſtat, cũ clara & intuitiua ipſius notitia ad ipſorũ Angel. beatitudinẽ ſpectet. quod verò ſpectat ad myſteriũ Incarnationis, cõgruũ ſane fuit vt Angeli in eo ſtatu pleraſq; eius circunſtantias, non tantũ comitantes, ſed etiã antecedentes & ſubſequentes cognoſcerent; v.g. lapſum humani generis, eiuſdem redẽptionẽ Chriſtum, Itẽ ſanctiſſimam Chriſti matrẽ; eiuſdẽ Chriſti natiuitatẽ, vitæ cõuerſationem, mortẽ, reſurrectionẽ, aſcenſionẽ. Ratio colligitur ex D. Th. hîc q, 57. art. 5. ad 1. quia vti aliàs docuimus in primo tractatu huius Sũmæ vbi de cognitione beatifica Dei. Beati omnes vident in verbo quæcũque pertinent ad propriũ ſtatũ: Atqui redẽptio humani generis pertinebat ad ſtatum Angelorũ, cũ omnia illorum miniſteria à Deo ſunt ordinata ad redẽptionem hominum exequendam, & ad cõſummationem ſanctorum perficiendã ex 1. c. ad Heb. Ergo Angeli cognouerunt in verbo redẽptionẽ humani generis, & per conſequẽs lapſũ, imò & pleraſque alias circunſtãtias ſine quibus vix poteſt intelligi fieri intuitiua co-

Secunda propoſitio.

Probatur.

gnitio redemptionis humanæ in verbo.

Tertia propoſitio.

Tertia propoſitio. Probabiliſſimũ eſt Angelos in prędicto ſtatu nõ cognouiſſe omnia noſtræ fidei myſteria, neque omnes penitus circunſtãtias eorũ myſteriorum quæ cognouerunt, licet aliquas magis notabiles cognouerint. Probatur hæc propoſitio quibuſdã ſacræ Scripturæ locis quibus nõ obſcurè ſignificatur Angelos nõnihil de nouo addiſciſſe circa fidei noſtræ myſteria, pręſertí ex c.3. ad Epheſ. vbi ſic ait Apoſt. *Mihi* (inquit) *minimo data eſt gratia hæc in gẽtibus illuminare omnes, quę ſit diſpẽſatio ſacramẽti abſcõditi à ſæculis in Deo, vt innoteſcat principibus & poteſtatibus in cœleſt. per Eccleſiã multiformis ſapiẽtia Dei* & c. 3. 1. Tim. *Magnũ* (inquit) *pietatis ſacramentũ quod manifeſtatum eſt in carne iuſtificatũ in Spiritu apparuit Angelis &c.* Probari etiam poſſet ex quibuſdã aliis locis, in quibus ex quorumdam Patrũ interpretatione introducuntur Angeli quaſi dubitãtes ac ex conſequẽti aliquid circa iſtud myſterium interrogantes, vt Pſ. 23. *Quis eſt iſte Rex glorię?* & Iſa. 63. *Quis eſt iſte qui venit de Edom tinctis veſtibus de Boſra?* Verũ quia non conſtat vtrũ hæc verè dicantur in perſona Angelorũ, an verò ipſimet Prophetæ ex propria perſona loquuti ſint; & pręterea licet concederetur hęc dici in perſona Angelorum, nõ tamen ſequitur hæc dici ex ignoratione myſterii, cùm æquè dici potuerint ex admiratione & exultatione, vt interpretatur D. Aug. ſer. 5. de Aſcenſ. Idcircò non multùm iis teſtimoniis innitimur.

Probatur authoritate.

Quarta propoſitio.

Quarta propoſitio. probabiliſſimũ eſt nõ omnes Angelos in ſtatu beatifico æqualiter co-

Digitized by Google

gnouiſſe myſteria gratię,ſed vnũquẽq; eo plura & quidẽ perfectiùs illa cognouiſſe,quo alio beatior eſt,& perſpicacius Deũ ipsũ intuetur, vt docet hîc S.Doct. ar.5.Probaturque, quia quemadmodum propter inæqualitatem luminis fidei ac reuelationis Angeli dum erant in ſtatu vię, inæqualiter cognouerunt myſteria gratiæ , ita quoque propter inæqualitatem luminis gloriæ quo perfunduntur in ſtatu gloriæ,inęqualiter eadem myſteria gratiæ cognouerũt.Porrò notãdũ eſt nouã myſteriorũ notitiã quã decurſu tẽporis ſaltẽ quoad ipſorũ circũſtãtias adepti sũt Angeli,nõ fuiſſe in Verbo,ſed illis cõtigiſſe per ſpecialẽ reuelationẽ ipſis à Deo factã; alioqui ſequeretur eſſentialẽ beatitudinẽ Angelorũ lapſu tẽporis augeri poſſe,ꝙ quidẽ abſurdũ eſt:eadẽ enĩ eſt ratio beatitudinis Angelorũ,& hominũ:atqui de fide eſt eſſentialẽ beatitudinẽ hominũ ſemel habitã nũquã augeri:quia nũquã augẽtur merita;Ergo idẽ etiã de eſſentiali beatitudine Angelorũ dicẽdũ eſt.Neq; obeſt ꝙ illa cognitio myſteriorũ de nouo habita, ſit cognitio rerũ externarũ;nã omnis rerũ etiã creatarum cognitio in verbo,pertinet ad eſſentialẽ beatitudinem , vti aliàs dictum eſt,vbi de viſione Dei beatifica.

Probatur.

Nota.

Occurritur obiectioni.

DE MODO COGNITIONIS ANGELICÆ

An debeat eſſe ſemper aliqua actualis cognitio in Angelis. QVÆSTIO II.

Senſus quæſt. aperitur.

NEmni Theologo dubium eſt intellectũ Angelicũ ſecundũ ſtatũ ſupernaturalẽ beatitudinis eſſe ſemper in actu ſecũdo, ſeu ſemper aliquid actu intelligere,cũ conſtet

beatos omnes Spiritus numquam à beatifica Dei viſione tãtiſper abſtinere, Alioqui formali ſua beatitudine ſaltem ad tẽpus priuarẽtur, quod abſurdũ eſt: At verò sẽſus propoſitę qu. eſt, an intellectus Angeli ſecundũ naturalem ſtatũ ſpectati, ſemper actu aliquid intelligere debeat. Cui reſpondetur, licèt nihil repugnet quominus poſſit Angelus ſecundũ naturalem ſtatũ ſpectatus intellectũ ſuũ à cuiuſuis rei etiã Dei ac ſui ipſius cognitione ſuſpẽdere, cũ ſpecies intelligibilis non repręſentet actu obiectũ niſi cũ intellectus ipsã actu applicat; probabile tamen eſt cõgruũ eſſe naturæ ſpirituali vt ſemper actu circa aliquid cognoſcẽdũ verſetur. Ratio eſt, quia ſicut viuentia ſẽper sũt in aliquo actu ſecundo reſpectu alicuius operationis vitalis, puta nutritionis; Ita exiſtimandũ eſt Angelos ſecundũ naturalẽ ſtatũ ſpectatos non eſſe abſque aliqua operatione vitæ ſpiritualis, quæ maximè in intelligendo poſita eſt: eſt autem maximè naturalis Angelo cognitio tum Dei, cùm ſui ipſius: Quare probabile eſt Angelos ſecundùm naturalem ſtatum non eſſe abſque eiuſmodi actuali cognitione.

Aſſertio tenenda.

An Angelus poſſit ſimul multa cognoſcere.

QVÆSTIO XII.

QVONIAM ab Angelo multa ſimul cognoſci poſſunt, vel ſub ratione vnius, vel vt multa; & quidẽ ſi vt multa, vel in verbo diuino per ſolam eſſentiã diuinã, vel extra verbũ per ſpecies ĩpreſſas: q; ſi per ſpecies intelligibiles, vel per vnã, vel per plures: & adhuc ſi per plures multa cognoſcũtur, vel cognoſcũtur cõfusè vel diſtinctè: & quidẽ ſi diſtĩctè vel ita

diſtinctè vt poſſint adhuc diſtĩctiùs cognoſci, vel vt nõ poſſint: idcircò nõniſi pluribus propoſitionib. q. propoſitę plenè ſatisfieri poteſt.

Sit igitur 1ª. propoſitio. Poteſt Angelus multa ſimul cognoſcere ſub ratione vnius, ſicut & nos poſſumus vt plures partes ſub ratione totius integri; Item vt plures ſpecies ſub ratione totius vniuerſalis, plura quoque ſubiecta ſub vna aliqua formali ratione accidẽtali, vel eſſentiali, vt plura entia ſub ratione intelligibilis, &c. & de hoc non eſt difficultas, cũ hoc ipſum etiam apud nos experientia conſtet. *Prima propoſitio.*

Secũda propoſitio. Poteſt Angelus multa ſimul diſtinctè cognoſcere etiã vt multa in verbo diuino. Ratio eſt; quia eſſentia diuina ſupplet vicẽ vnius ſpeciei intelligibilis multa ſimul diſtinctè repręſentantis, ſimulque intellectum à fuſo lumine ſupernaturali roborat, vt poſſit illa omnia ſimul diſtinctè complecti, vt docet S. Doct. hîc ar. qu. 58. Neque adhuc vlla eſt circa hunc propoſitionẽ difficultas. *Secunda propoſitio. Ratio.*

Tertia propoſitio. Poteſt Angelus multa ſimul diſtinctè cognoſcere etiã vt multa, modo illa per vnicã ſpeciem intelligibilẽ repręſentari poſſint, vt plura indiuidua eiuſdem naturæ ſpecificæ. Ratio D. Th. hîc ar. 2. eſt, quia omnia illa ſe habẽt ad intellectũ Angeli vt vnũ ꝙdã intelligibile ratione vnius ſpeciei intelligibilis, per quã omnia illa apta ſũt ſimul intellectui Angelico diſtinctè repręſẽtari. Neq; adhuc de huius propoſitionis veritate multũ ambigitur *Tertia propoſitio.*

Quarta propoſitio. Probabile eſt poſſe Angelũ multa ſimul vt multa, nõ tãtũ cõfuſè, ſed *Quarta propoſitio.*

Digitized by Google

etiã diſtinctè cognoſcere, licèt per diſtinctas ſpecies intelligibiles repręſentētur. Et de hac propoſitione controuertitur inter ſcholaſticos; licèt enim illá neget D. Th. hîc ar. 2. eãdẽ tamẽ valdè probabiliter aſſerũt plerique alii, vt Durãd. Greg. Ariminẽſis & etiã Sotus, alioqui thomiſta. Probatur 1. authoritate D. Aug. qui l. 4. ſuper Gen. ad litterã c. 32. & 34. affirmat poſſe Angelũ ſimul cognoſcere omnia illa quæ initio mundi creata ſunt. Secundo ratione; quia nõ minor vis intellectui Angelico quã humano viſui videtur tribuẽda; atqui humanus viſus nõ tãtũ cõfuſè, ſed etiã ſatis diſtĩctè plures colores diuerſos, ac proindè per diuerſas ſpecies intẽtionales repręſentãtos percipit; Ergo potiori iure intellectus Angelicus plura ſimul etiã per diuerſas ſpecies intelligibiles repręſentata poterit diſtĩctè cognoſcere: Adde ꝙ nulla videtur eſſe in hoc repugnantia quidquid in oppoſitũ afferãt cõtrariæ ſẽtẽtiæ authores. Quinta propoſ. probabiliſſimũ eſt Angelũ nõ adeò diſtinctè plura ſimul cognoſcere per diuerſas ſpecies, ac ſi per vnicam tãtũ illa cognoſceret. Ratio in promptu eſt, quia virtus vnita plus poteſt ſeipſa diſperſa: videtur autẽ facultas intelligẽdi magis vnita, cũ per vnicũ mediũ nẽpe per vnicã ſpeciẽ intelligibilẽ ſimul in plura fertur, quã cùm per diuerſa media, hoc eſt per diſtinctas ſpecies intelligibiles per quas videtur aliqua ratione diſtrahi virtus intellectiua, ac proinde debilitari circa cognitionẽ rerũ obiectarũ. Sexta propoſitio. Etſi nihil repugnet intellectũ Angelicum dici vnico actu plura ſimul per diſtinctas ſpecies

Probatur authoritate.

Ratione cõfirmatur

Quinta propoſitio. Ratio.

Sexta propoſitio.

Digitized by Google

cognoſcere ſicut vnico viſionis actu verè dicitur oculus plures ſimul colores percipere; Nihil tamẽ etiã repugnat aſſerere eũdẽ intellectũ poſſe ſimul plures actus exercere: tum quia de facto cõſtat duplicẽ ſimul in Angelis cognitionẽ, eſſe matutinã nẽpe & veſpertinã, de quibus poſtea; tũ quia probabile ſupra eſſe duximus, Angelos, etiã in ſtatu naturæ, nũquã ceſſaturos ab actuali Dei ac ſeipſorum cognitione, quæ tamẽ cognitio aliarũ rerũ cognitionẽ nequaquã impediret. Septima propoſitio. Non poteſt Angelus per diuerſas ſpecies plures actus ipſis ſpeciebus adæquatos exercere, ſed tantũ plures actus inadæquatos. Cuius propoſitionis prior pars probatur; quia non poteſt Angelus habere ſimul plures actus adæquatos virtuti actiuæ ſui luminis, cùm tota virtus illa veluti exhauriatur per vnũ actũ adęquatũ cui tota applicatur: Ex quo ſequitur nõ poſſe quoque habere ſimul plures actus adæquatos pluribus ſpeciebus, cũ ſpecies illæ ſint lumini commenſuratæ, & è contrà. Quod autẽ dicitur de lumine intellectuali & ſpecie intelligibili ipſius Angeli, idẽ etiã dicendum eſt de ipſius actu intelligendi dependente: tùm à lumine cùm à ſpecie. Poſterior verò pars probatur: quia poteſt Angelus imperfectè & remiſſè vti ſimul pluribus ſpeciebus intelligibilibus non applicando totam virtutem ſui luminis naturalis; nulla enĩ eſt neceſſitas qua cogatur Angelus omnia ſimul cõtẽplari quæ per aliquam ſpeciem repręſentantur, ſed quibuſdam obmiſſis poteſt alia pro libito cõtẽ-

Ratione probatur primo.

Secundo.

Septima propoſitio. Prior pars probatur.

Poſterior probatur.

Digitized by Google

plari: Neque etiã cõpellitur Angelus cùm rẽ aliquam ſpeculatur intenſiſſimum actum eſſicere, vel exhaurire totã ſuã vim intellectualẽ in tali actu: Ergo poterit ſimul vti aliqua alia ſpecie ad rẽ aliã ſaltem imperfectè & inadæquatè contemplandam; ſicque poteſt Angelus per diſtinctas ſpecies plures actus inadæquatos ſimul exercere.

An Angeli componendo aut diuidendo aut etiã diſcurrendo intelligant. QVÆSTIO XIII.

COnſuetus quidẽ eſt humanę menti modus, vt tũ cõponẽdo cũ diuidẽdo ac etiã diſcurrẽdo, rerũ ipſi ſubiectarũ notitiã aſſequatur; nõ item intellectui Angelico, cuius vt nobilior, ita purior ac ſimplicior eſt intelligẽdi ratio; Ita vt vno eodemque ſimplici intuitu diuerſa ſimul aut colligat, aut diſcernat, ac ſimul effectus in cauſis vno momẽto inſpiciat. Cuius rei ratio eſt, quod ſicut natura Angelica humanã longè antecellit, ita Angelicus intellectus humano longè præſtet ac ſuperemineat, vt pote multo perfectiori lumine naturali præditus, proindeque ipſi modus intelligẽdi nobilior debeatur: eſt autem eo nobilior quo ſimplicior, quia ſic propiùs ad diuinum intelligendi modũ accedit. Quare congruum fuit, vt neque componendo neque diuidẽdo, neque ex vno ad aliud ſucceſſiuè procedẽdo, ſed ſimpliciter intuendo Angeli cognoſcerẽt: Confirmatur idem hac D. Tho. ratione hîc q. 58. ar. 4. Sicut enĩ (inquit) in intellectu ratiocinante ſe habet concluſio ad principium; Ita quoque in intellectu componente ac diuidẽ-

Angeli ſimpliciter intuendo cognoſcunt. Ratione cõfirmatur

Digitized by Google

te prædicatum ſe habet ad ſubiectum: Quare queādmodum ſi intellectus noſter ſtatim in ipſo principio videret concluſionem, nunquā intelligeret diſcurrendo vel ratiocinando; Ita quoq; ſi in apprehēſione quidditatis ſubiecti, haberet notitiā omniū quę poſſūt attribui ſubiecto, aut ab ipſo remoueri, nūquā intelligeret cōponendo & diuidēdo, ſeu affirmādo & negando: Sic igitur patet, quod ex eodē prouenit quod intellectus noſter intelligat diſcurrendo & componendo & diuidendo, nempe quod non ſtatim in prima cognitione alicuius primi cogniti poteſt inſpicere quidquid in ipſa cognitione virtute cōtinetur, ſeu quidquid ex ipſa deduci aut inferri poteſt, ꝙ cōtigit ex debilitate luminis intellectualis in nobis: vnde cùm in Angelo lumen intellectuale perfectum ſit, ideoque ipſe Angelus à D. Dion. c. 4. de diu. nomin. appelletur ſpeculum purum, & clariſſimum, ſequitur quod Angelus non intelligit ratiocinando aut componendo, aut diuidendo, quamuis tamen & ratiocinationē ſillogiſmorum, & compoſitionem ac diuiſionem enunciationum intelligat. *Obiectio.* *Solutio.*

Verùm obiicies forſan, Angelum cognoſcere effectum per cauſam, ſicque vero vti diſcurſu. Sed reſpōdetur ad rationem veri diſcurſus, non ſatis eſſe quod quis vnum cognoſcat per aliud, quod in Angelis concedi poteſt; ſed præterea neceſſe eſſe vt ex cognitione vnius (verbi gratia, cauſæ) deueniat in cognitionem alterius, (nempe ipſius effectus): Sicque alia ſit cognitio cauſæ, alia effectus: At verò in Angelis vna *Nota.*

eademque eſt cognitio cauſæ & effectus, quãuis cauſa poſſit dici ipſi Angelo ratio cognoſcendi effectum, ita vt dicatur non tantùm cognoſcere effectum eſſe per cauſam, quod etiã in Deo admittitur, ſed etiam verè dicatur cognoſcere effectum per cauſam ſeu in cauſa, quod de Deo propriè dici non poteſt, cùm ipſi cauſa non ſit ratio cognoſcendi effectum; eſt enim ipſi Deo vnica rerum omniumſimul cognoſcendarum ratio, nempe ipſa eius eſſentia. Itaque notandum diſcrimen eſt, inter intellectum humanum, angelicum, & diuinum, circa cognitionem cauſę & effectus; nẽpe quod intellectus humanus ex cauſa procedat ad effectum; Angelus per cauſam ſeu in cauſa ſimul cognoſcat effectum; Denique Deus non per cauſam aut in cauſa cognoſcat effectum, ſed in ſua ipſius eſſentia cognoſcat ſimul cauſam & effectum, quamuis propterea non deſinat cognoſcere effectũ eſſe in cauſa & per cauſã.

An intellectui Angelico ſubeſſe poßit falsũ.

QVÆSTIO XIV.

IDEM eſt ac ſi quæratur, vtrùm Angeli cognitio poſſit interdum eſſe falſa, vbi quæſtio accipienda eſt de cognitione rerum ſpeculatiua, non de cognitione practica circa proprios actus liberos; poſtea enim oſtendetur Angelũ errare poſſe circa propriorum actuum directionem, vt patet ex eius lapſu.

Quæſtioni propoſitæ ſatisfit. Itaque propoſitæ quæſtioni reſpondetur, ex communi Theologorum ſententia quam amplectitur D. Tho. hîc q. 58. art. 5. Angelum non poſſe falli in ſua cognitione circa res natura-

Digitized by Google

les,ſed tantùm circa ſupernaturales;etſi ex cognitione aliqua rei naturalis formet aliquod abſolutum iudicium veritati cuippiam ſupernaturali repugnās, vt ſi, v.g. videns hominem mori,iudicet illum non reſurrecturum,vel videns Chriſtum eſſe hominem, iudicaſſet eum non eſſe ſimul Deum. Quare ſcitè monet S. Th.nonniſi malos Angelos poſſe circa ſupernaturalia falli, eo quòd ex peruerſitate quadā voluntatis poſſunt quaſi præcipitare iudiciū, non conſiderando quid ſupra rerum naturalium ordinem à Deo fieri poſſit: At verò boni Angeli nullum ferunt de rebus quibuſlibet iudicium, niſi ſaluâ ſemper ordinatione diuinâ,& idcirco ne iſto quidem modo quo dicimus malos errare poſſe,falli poſſunt. Quare concludendum eſt,cognitionem rerum naturalium in Angelis nunquam poſſe eſſe falſam, rerum verò ſupernaturalium in malis,interdū poſſe eſſe falſam, numquam verò in bonis. Porrò ratio cur Angeli non poſſint circa res naturales falli,non tam ex eo petēda eſt, quod abſque diuiſione & compoſitione intelligāt, vt videtur ſentire D.Th.loco citato, quàm ex perfectione tùm luminis intellectualis quo prædici ſunt, cùm ſpecierum intelligibilium quæ ipſis à Deo infuſæ ſunt.

Nota.

Concluſio tenenda.

An rectè diſtinguatur in Angelis cognitio matutina & veſpertina.

QVÆSTIO XV.

D. Aug. opinio iam aliàs exploſa.

DVPLICEM hanc rerum cognitionem in Angelis primus agnouit ac tradidit Diuus

Aug.pluribus in locis, ſed præſertim lib.4.ſuper Geneſ. ad litteram c. 22.& 31.& lib.11.de Ciuit. c. 7. & 19. Exiſtimauit enim ex vtraque tanquam ex veſpere, & mane confici dies illos quibus rerum creationem diſtinxit Moyſes.Geneſ.1.Neque enim illos eſſe veros,& tẽporarios dies arbitrat' eſt, ſed tãtũ analogicos &.ſimilitudinarios, nihilque aliud eſſe quàm ipſam rerum creatarum notitiam in Angelis penes ſex rerum creatarum genera veluti diſtinctam.Quamuis autem illam D. Aug. opinionem de illa analogica dierum diſtinctione ſuprà reiiecerimus,vbi de creatione ac opere 6. dierum; hanc tamen duplicem Angelorum cognitionem ab ipſo aſſignatam ſimul cum D. Thoma hîc art.6.& 7.amplectimur.

Matutina igitur rerum cognitio in Angelis, iuxta D.Aug.vt hîc docet S.Thom. eſt cognitio rerum ſecundùm quod ſunt in verbo, ſeu in Deo;veſpertina autem eſt earundem cognitio ſecundùm quod ſunt in ſeipſis, ſeu in propria natura.Eſt autem iuxta D. Aug. mentem, & etiam colligi poteſt ex D. Thom. hîc art. 7. tùm matutina cùm veſpertina Angelorum cognitio duplex;ſcilicet naturalis & ſupernaturalis.Cognitio matutina naturalis, eſt ea qua cognoſcit Angelus naturaliter, ſeu per ſpecies innatas eſſe primordiale rerum in Deo, quod eſt ipſummet eſſe diuinum ; ſupernaturalis verò, eſt ea qua cognoſcit Angelus ſupernaturaliter, nempe per lumen beatificum abſque vlla ſpecie intermedia,illud ipſum eſſe rerum primordiale in Deo,quod eſt ipſummet eſſe diuinum.

Nota. Cognitio tũ matutina, cum veſpertina Angelorũ duplex aſſignatur.

Digitized by Google

Cognitio veſpertina naturalis, eſt ea qua cognoſcit Angelus naturaliter, ſeu per ſpecies innatas eſſe rerum in ſeipſis: ſupernaturalis verò qua cognoſcit eſſe rerum in ſeipſis per viſionem diuinæ eſſentiæ; quæ ad inſtar ſpeciei intelligibilis res omnes creatas Angelis, ſicut & cæteris beatis repræſentat.

Alia diſtinctio eiuſdē cognitionis Angelicæ.

Licet autem res ita ſe habeat, iuxta doctrinam D. Aug. poſſunt tamen aliter ita diſtingui, vt per cognitionem Angelorum matutinam intelligatur tantùm ſupernaturalis ſeu beatifica qua cognoſcuntur in verbo, ſecundùm eſſe primordiale quod habēt in ipſo verbo, ſiue ſecundùm ſuum eſſe proprium quod habent in ſeipſis: Per veſpertinam verò intelligatur ea tantùm naturalis cognitio qua res ab Angelis cognoſcuntur per ſpecies innatas, vt ſunt in ſeipſis, ſeu vt in propria natura extra verbum exiſtunt. Verùm hæc ſatis de iis quæ ad Angelorum cognitionem ſpectant.

QVARTA DISPVTATIO.

DE VOLVNTATE ET AMORE ANGELORVM.

DISPVTATIO hæc de voluntate Angelica, non magnas habet difficultates: idcircò breui expedienda eſt. Quoniam verò præcipuus voluntatis actus amor eſt, idcircò hic nōnulla de amore Angelico addēda eſſe duximus.

Digitized by Google

An ſit voluntas in Angelis.

Qvæstio I.

Angeli ſicut intellectu, ita & voluntate prediti ſũt. Probatur.

Angelos voluntate eſſe præditos, æquè ac eos eſſe intellectuales apud omnes cõſtat. Ratione verò probatur in hunc modum à D. Thom. hîc q. 59. art. 1. Cùm omnia (inquit) procedant ex voluntate diuina, quæ non niſi in ordine ad bonum operatur; hinc fit, vt omnia ſuo modo per appetitum inclinentur in bonum, non eodem tamen modo; quædam enim inclinantur in bonum per ſolam naturalem habitudinem abſque vlla cognitione, vt plantæ & res omnes inanimatæ in quibus ea inclinatio dicitur appetitus naturalis; quædam autem inclinantur in bonum cum aliqua cognitione boni tantùm particularis, non verò vniuerſalis, ita vt ſenſu percipiant id quod bonum eſt in particulari, non verò ipſam boni rationem apprehendant, in quibus ea inclinatio dicitur appetitus ſenſitiuus: denique alia inclinantur in bonum cum cognitione boni etiam vniuerſalis, ita vt non tantùm id quod dicitur bonum, ſed ipſam quoque boni rationem percipiant, & in his inclinatio ad bonum voluntas nuncupatur. Cùm igitur Angeli cognoſcant bonum vniuerſale, ſeu ipſam communem boni rationem, cùm ſint intellectu præditi, vt conſtat ex præcedenti diſput. manifeſtum eſt inclinationem ad bonum in his verè dici ac eſſe voluntatem.

Digitized by

An voluntas Angeli differat tùm ab ipſius eſſentia cùm ab intellectu.

QVÆSTIO II.

DVPLICI difficultati propoſitæ duplici quoque propoſitione ſatisfiet.

Prima propoſitio. Voluntas in Angelo non eſt idem quod eſſentia. Probatur hac ratione D. Thomæ loco citato art. 2. Quodcunque ſe extendit ad id quod eſt extra rem, non eſt ipſa rei eſſentia, vnde inclinatio quælibet ad aliquid extrinſecum eſt per aliquid eſſentiæ ſuperadditum, ſicut inclinatio ad locum eſt per grauitatem & leuitatem, inclinatio quoque ad producendum ſibi ſimile eſt per qualitates actiuas: Cùm igitur conſtet voluntatem eſſe inclinationem ad bonum, ibi ſolùm idem erit eſſentia & voluntas, vbi totaliter bonum in eſſentia volentis continetur, nempe in Deo qui nihil vult extra ſe niſi ratione ſuæ bonitatis, quod quidē de nulla creatura dici poteſt, cùm bonum infinitum quale eſt bonum totaliter ſumptum, ſit extra eſſentiam cuiuſlibet cauſati; quare nec voluntas Angeli, nec alterius creaturæ, poteſt eſſe idem quod eius eſſentia, ſed quædam virtus ſeu potentia ac facultas ipſi eſſentiæ ſuperaddita.

Prima propoſitio.

Ratio.

Secunda propoſitio. Volūtas Angeli non eſt idem quod ipſe intellectus. Probatur quoque hac ratione D. Thom. ibidem. Cognitio enim fit ſecundùm quod cognitū eſt in cognoſcēte,

Secunda propoſitio.

vnde ea ratione ſe extendit ipſius cognoſcentis intellectus, in id quod eſt extra ſe, quatenus illud quod realiter extra ipſum eſt, aptum eſt aliquo modo in ipſo eſſe, nempe ſecundùm eſſe intellectiuum, ſeu ſecundùm ſui ſimilitudinem ſaltem expreſſam; voluntas verò ſe extendit ad id quod extra ſe eſt, ſecũdùm quod quadam inclinatione quodammodo tendit in rem externam: Alterius autem virtutis ſeu facultatis eſt, quod aliquid habeat aliquo modo in ſe id quod verè eſt extra ſe, & quod ipſum tendat ſeu ſuo modo feratur in id quod eſt extra ſe. Quare neceſſe eſt, aliud eſſe intellectum & voluntatem in qualibet rationali creatura, non item in Deo qui habet tum ipſum ens totaliter ſumptum in quod tendit intellectus, cùm etiã omne bonum ad quod tendit voluntas in ſeipſo. Vnde fit vt tam voluntas quàm intellectus in eo ſit ipſa eius eſſentia. Neque obeſt quod interdum circa vnum & idem quod ſimul eſt verum, & bonum, verſetur intellectus & voluntas; neque enim rerum, ſed tantùm rationum diſtinctio ad potentiarum ſeu facultatum diſtinctionem deſideratur.

Ratio.

Occurritur obiectioni.

An ſit in Angelo ſicut in homine duplex appetitus, nempe iraſcibilis, & concupiſcibilis.

QVÆSTIO III.

Propoſitio tenenda.

RESPONDETVR cum D. Thom. hîc art. 4. intellectiuum appetitum nequaquam in iraſcibilem,

in iraſcibilem & concupiſcibilem diuidi, ſed ſenſitiuum dũtaxat, qui præter intellectiuum reperitur in homine, non item in Angelo. Ratio D. Thomę eſt; quia cùm potentiæ ſeu facultates non diſtinguantur ſecundùm diſtinctionem materialem obiectorum, ſed ſecundùm rationem formalem obiecti vt obiectum eſt, quemadmodum aliàs dictum eſt in phyſicis, ſi alicui potentiæ aut facultati reſpondeat aliquod obiectum ſecundùm communem aliquam rationem, non erit neceſſe potentiã illam in alias potentias diſtingui, etiamſi ſub illa communi ratione plura diſtincta etiam ſpecie entia contineantur; verbi gratia, ſi color ſub ratione coloris ſit proprium ſeu adæquatum obiectum potentiæ viſiuę, etiamſi in album ac nigrum diſtinguatur, non erit neceſſe propterea potentiam viſiuam in plures potentias diſtingui; itavt alia ſit potentia viſiua albi, alia nigri: at verò conſtat ex prædictis obiectum appetitus intellectiui eſſe bonum ſecundùm communem rationem; quare nõ eſt neceſſe intellectiuum appetitum diſtingui penes diſtinctionem particularium bonorum, ſicut poteſt diſtingui appetitus ſenſitiuus qui non reſpicit bonum ſecundùm communem boni rationem, ſed bonum particulare. Cùm igitur in Angelis vtpotè ſpiritualibus non inſit appetitus ſenſitiuus, ſed tantùm intellectiuus; non poteſt in ipſis diſtingui concupiſcibilis & iraſcibilis. Adde probabiliſſimum nobis videri iraſcibilem & concupiſcibilem non niſi ratione diſtingui; itavt idẽ reipſa appetitus ſen-

Rationẽ probatur.

Notãdum.

ſitiuus ſub vna conſideratione, & reſpectu quarundam paſſionum dicatur concupiſcibilis, & alia conſideratione ac reſpectu aliarum paſſionum iraſcibilis nominetur; proindeque vtrumque in eadem ſede, nempe corde collocandum eſſe, vt aliàs dictum eſt tertia parte Ethicæ tract.2.diſp.1.quæſt.1. ſub finem.

An voluntas Angeli ſit libera.

QVÆSTIO IV.

Aſſertio tenenda.

ID ipſum eſt quod quærit S. Thom. art. 3. vtrùm in Angelis ſit liberum arbitrium? Cui reſpondet (quod etiam fide tenendum eſt) ita eſſe, quod vt probetur ſupponendum eſt cum eodem Diuo Thom. ibidem, tria eſſe agentium genera quod ad rem præſentem ſpectat: quædam enim agunt non ex vllo proprio arbitrio, ſed quaſi ab aliis acta & mota, quomodo agunt res omnes inanimatæ; quædam verò agunt quodam proprio arbitrio, ſed non libero, vt animalia rationis expertia quæ iudicio quodam naturali non libero operantur; denique quædam agunt iudicio ſeu arbitrio libero. Hoc poſito, probatur aſſertio propoſita ex D. Thom. in hunc modum. Vbicumque reperitur iudicium indeterminatum ſeu indifferens ad hoc vel illud agendum, ibi reperitur voluntas libera ſeu liberum arbitrium, ſicuti vbicumque non reperitur tale iudicium indifferens, ibi nec liberum arbitrium reperitur, vt patet experientia: Atqui in omnibus

Ratione probatur.

Digitized by Google

habentibus intellectum ineſt eiuſmodi iudicium indeterminatum, eo quod per intellectum poſſunt percipere rationem ipſam vniuerſalem boni ſub qua poſſunt hoc & illud cum quadam indifferentia ſibi ad agendum proponere, hæc enim indifferentia iudicii & rationis circa bonum eſt quaſi radix libertatis: quare cùm Angeli nobiliſſimo intellectu ſint præditi, concludendum eſt in ipſis ineſſe liberum arbitrium, idque excellentius quàm in homine, ſicuti ipſe intellectus Angelicus humanum longè antecellit. Vnde etiam illud inferri poteſt quod monet D. Thom. hîc art. 3. ad tertium, liberum arbitrium ineſſe nobiliori modo in ſuperioribus Angelis quàm in inferioribus, ſicut & ipſum iudicium intellectus. *Conſectarium.*

Porrò non eſt neceſſe ad electionem liberam in Angelo quod præcedat conſilium, ſeu inquiſitio quædam mediorum, qualis requiritur in libera hominis electione, vt aliàs oſtenſum eſt in Ethicis, ex Philoſopho 3. Eth. cap. 3. non enim cognoſcunt inquirendo, cùm hoc pertineat ad diſcurſum rationis, quem nullum eſſe in Angelis ſuprà oſtenſum eſt: quare in Angelis electio non fit cum inquiſitiua deliberatione conſilii, ſed per ſubitam acceptionem veritatis. *Notandũ.*

Quotuplex ſit amor in Angelis.
QVÆSTIO V

QVONIAM amor tã in Angelis quã in hominib⁹ quadruplicitet cõſiderari poteſt,

primò quidē ratione principii à quo elicitur, quod quidē vel eſt naturale tātùm vt voluntas, vel etiam ſupernaturale cùm voluntati additur charitas. Secundò, ratione modi quo à ſuo principio naturali procedit. Tertiò, ratione modi quo in obiectum tendit. Quartò, ratione ſuæ regulæ ſeu menſuræ cui conformari debet, quæ eſt, tùm recta ratio, cùm lex diuina; hinc fit, vt amor tam in Angelis quàm in hominibus quadripartitò diuidi poſſit.

Amor tam in Angelis quàm in hominibus quadrifariam diuidi poteſt.

Primùm quidem ratione principii in naturalem & ſupernaturalem. Naturalis amor in Angelo eſt, ad quem eliciendum ſufficit naturalis facultas quæ eſt ipſa voluntas: ſupernaturalis verò, ad quem naturalis facultas abſque diuinæ gratiæ ſubſidio non ſufficit, & quidem vtriuſque meminit D. Thom. hîc qu. 60. art. 1. vbi etiam docet naturalem dilectionem eſſe in Angelis. Secundò, ratione modi quo amor à ſuo principio procedit diſtinguitur in amorem neceſſarium & liberum ſeu electiuum: neceſſarius qui & naturalis interdum appellatur (quatenus naturale libero opponitur) dicitur qui à voluntate cum quadam determinatione procedit, ita vt non poſſit non elici, qualis eſt is quo beati Deum proſequuntur; liber verò ſeu electiuus dicitur qui cum quadam voluntatis indifferentia elicitur, ſiue illa indeterminatio ſit quoad exercitium actus, ſiue quoad ſpecificationem, ſiue quoad vtrumque; Meminit autem vtriuſque amoris D. Tho. hîc art. 2. vbi etiam docet dilectionem electiuam eſſe in Angelis. Tertiò ra-

Primùm, ratione principii in naturalem & ſupernaturalem

Secundò in neceſſarium & liberum.

Tertiò in amorem

tione modi quo tendit amor in obiectum, diſtinguitur in amorem amicitiæ & concupiſcētiæ: amor amicitiæ dicitur quo voluntas ita tendit in bonum vt in ipſo veluti ſubſiſtat ſeu conquieſcat, cùm nempè vult quiſpiam vt aliquid ſit bonum, ſuamque poſſideat perfectionem; Amor verò concupiſcentiæ dicitur quo voluntas ita tendit in aliquod bonum, vt ſimul vlteriùs veluti procedat, quia nempe vult iſtud bonum alicui competere, cuius duplicis amoris rationem ac differentiam aliàs expoſuimus tertiâ parte Ethicæ tract.2.diſp.2.qu.1. Et ſanè vtriuſque meminit D.Th.hîc art.3.vbi docet aliquid dupliciter amari, vno modo vt bonum ſubſiſtens, alio modo vt bonum accidentale ſeu inhærens, & quidem illud amore amicitiæ, iſtud verò amore concupiſcentiæ amari docet. Vbi nota nō tantùm id dici amari amore concupiſcentiæ quod deſideratur alteri, ſed etiam illud impropriè ſaltem, & implicitè poſſe dici ſimul amari eodem amore concupiſcentiæ cui iſtud bonum deſideratur; ita vt non tantùm dici poſſit aliquis ſeipſum amare amore amicitię qui vult ſibi ſuum bonum proprium, ſed etiam amore concupiſcentiæ, quatenus deſiderat ſibi aliquod bonum. *amicit. or & amorē concupiſcētia.* *Nota.*

Quartò denique, amor ratione ſuæ menſuræ ſeu regulę cui cōformatur vel à qua recedit, diuidi poteſt in amorē bonum & malum: ille eſt qui cum recta ratione ac lege Dei congruit; iſte verò qui ab ipſa diſsētit; quò ſpectat amoris diuiſio ex Platone in verum & adulterinum, cuius loco citato Ethicæ meminimus. *Quartò in amorem bonum & malum.*

Digitized by Google

Quonam amoris genere tùm ſe, cùm alia, Angeli diligant. QVÆST. VI.

CVM ex præcedenti quæſtione conſtet, multiplicem eſſe amorē in Angelis, poſſitque Angelus tùm ſeipſum, tùm etiam Deū, & alios Angelos diligere; quæritur quonam amoris genere Angelus hæc omnia proſequatur; cui quæſtioni tribus ſequentibus propoſitionibus ſatisfiet.

Prima propoſitio. Prima propoſitio. Angelus ſeipſum diligit, tùm neceſſariò ſaltem quoad ſpecificationem actus amore amicitiæ, cùm etiam liberè, & quoad ſpecificationem, & quoad exercitium actus, amore illo implicito concupiſcentiæ, vt rectè docet D. Tho. hîc art. 3. *Prior pars propoſitionis probatur.* Prior pars huius propoſitionis probatur; quia nihil ſeipſum naturaliter odiſſe poteſt, ſed econtrà omnia naturaliter ſuam perfectionem appetunt ſeu ad bonum ſibi proprium inclinantur, vt aliàs dictum eſt in Ethicis. Si quæras, vtrùm Angelus ſeipſum neceſſariò diligat etiā quoad exercitium actus. Reſpondetur quoſdam id probabiliter aſſerere qui arbitrantur Angelum ſeipſum neceſſariò actu cognoſcere; probabilius tamen videtur quod licèt ſe cōtinuo actu diligant, ſicuti probabile eſt ſe ſemper actu noſſe, nihil tamen obeſſe quominus actum illum naturalis amoris quo ſe proſequuntur poſſint ſuſpendere, ſicuti probabiliſſimum eſſe diximus Angelum poſſe actualem ſui ipſius cognitionem ſuſpēdere. Poſterior pars prædictæ propoſitionis, nēpe quod Angeli ſeipſos *Poſterior pars pro-* liberè diligant amore quodam concupiſcen-

tię probatur; quia in Angelis eſt dilectio electiua ſeu libera quarundam rerum & actionum quas poſſunt ſibi pro libito deſiderare, vt hoc vel illud agere, hùc vel illùc ire, hoc vel illud noſſe; atqui idem amor electiuus ſeu liber qui explicitè verſatur circa bonũ quod alicui deſideratur, ſimul implicitè verſatur circa ipſum cui bonum illud deſideratur, vt præcedenti q. dictum eſt; ergo quatenus Angelus ſibi deſiderat aliquod bonum liberè ſeu per electionem, in tantùm ſeipſum amat amore concupiſcentiæ libero ſeu electiuo. *poſitionis probatur.*

Secunda propoſitio. Angelus naturaliter diligit Deum neceſſariò quoad ſpecificationem amore amicitiæ, vt ſupponit hîc D. Th. art. 5. ſupernaturaliter verò ſeu amore beatifico Deum diligit neceſſariò, non tantùm quoad ſpecificationem, ſed etiam quoad exercitium actus. Prior pars propoſitionis probatur; quia cùm Deus ſit finis vltimus rerum omnium, ac proinde ſummum bonum ad quod naturaliter refertur omne aliud bonum in quod creatura naturaliter poteſt inclinari, hinc fit vt cũ naturaliter omnia appetant bonum ſibi proprium, in ipſum quoque ſummum bonum ex conſequenti naturaliter inclinentur, præſertim cùm non minùs ex ipſo quàm ex quolibet alio bono in ſua naturali perfectione dependeant. Neque obeſt quod dæmones & deſperatæ ſalutis homines Deum odio proſequi videantur; neque enim Deum ſecundùm ſe, ſeu vt Deus eſt ac ipſum bonũ oderũt, ſed per accidẽs, & ſecũdũ aliquos ipſius effectus quos

Secunda propoſitio.

Prior pars probatur.

Obiectioni occurritur.

Digitized by Google

Vtrum Angelus naturaliter Deum plus diligat quàm ſeipſum, & alium Angelum ſicut ſeipſum.

QVÆSTIO VII.

PROPOSITA quæſtio, quæ de naturali tantùm amore intelligenda eſt, duas difficultates complectitur, vt patet, quas hîc breuiter enodabimus.

Quod ſpectat ad priorem, tenendum eſt cũ D.Th. hîc a.5. & aliis Theologis, Angelum naturali dilectione plus Deũ diligere quã ſeipſum. Probatur, quia vnumquodque quod ſecundùm naturã ſuã eſt alterius, ſecundùm eãdem naturã principalius inclinatur ad id cuius eſt quã in ſeipſum; ſic enim pars corporis naturaliter ſe ſinit exponi læſioni ob totius corporis cõſeruationẽ: ſic aqua naturaliter ſursũ tendit, vt ab vniuerſo vacui iniuriã propellat: Atqui omnis creatura ac proinde etiam Angelus ſecundùm id quod eſt, Dei eſt, tùm quia ab ipſo in fieri & eſſe dependet, tum quia ad ipſum ſicut ad bonum vniuerſale ordinatur: Ergo omnis creatura modo ſuæ naturæ conſentaneo, magis in Deum quã in ſeipſam inclinatur. Cùm igitur in intellectuali creatura actu inclinari in aliud nihil ſit quàm voluntate in illud ferri, quod eſt ipſum diligere: ſequitur Angelum naturâ Deum plus diligere quàm ſeipſum. Et ſanè ſi Angelus naturaliter plus ſeipſum quam Deum diligeret, na-

Prioris difficultatis reſolutio.

Ratione probatur.

Digitized by Google

turalis Angeli dilectio eſſet peruerſa, ſicque per charitatem non perfici, ſed potius deſtrui deberet, quod abſurdum eſt. Porrò notandũ eſt, quod licèt cuiuis Angelo indita ſit naturalis propenſio ad Deum magis amandum quàm ſeipſum, non tamẽ ad actum reducitur ab Angelo, niſi præexiſtente in ipſo actuali Dei cognitione, vt eſt bonum commune; Adde etiam ad actualem illam dilectionẽ requiri voluntatis rectitudinem, quorum defectu fit vt dæmones actu Deum non diligant, tùm quia nolũt actu Deum cognoſcere vt ſummum bonum eſt tùm quia per peccatum deprauata eſt ipſorum voluntas.

Nota

Poſterioris difficultatis reſolutio.

Quod ſpectat ad poſteriorẽ difficultatẽ; dicendũ eſt Angelum naturaliter plus ſeipſum diligere quã alium, nec tamẽ hoc obeſſe quominus rectè dicatur alium diligere ſicut ſeipſum. Prior pars noſtræ aſſertionis, quæ eſt D. Th. hîc ar. 4. ad ſecundũ, probatur; quia cũ dilectio naturalis ſuper vnitatem naturalem fundetur, vt loquitur D. Th. eo magis aliquid in aliud inclinatur quo eſt magis vnum cũ ipſo: atqui Angelus eſt magis vnum quid cum ſeipſo quã cum alio. Poſterior pars etiam probatur: quia intantùm Angelus alium dicitur naturaliter diligere in quantùm alius eſt vnũ quid cum ipſo in natura: Atqui hoc modo diligere alium, eſt etiam ſeipſum in alio diligere ſicque rectè dici poteſt Angelus alium diligere ſicut ſeipſum, ita vt illa particula (ſicut) non æqualitatem denotet, ſed tantùm ſimilitudinem, vt notat. S. Tho. hîc qu. 6. art 4. ad 2.

Prior pars probatur.

Poſterior pars probatur.

Digitized by Google

ſicque dicatur Angelus alium diligere ſicut ſeipſum, non æquali amore, ſed ſimili, hoc eſt amore amicitię; eo quòd ſicut ſeipſum diligit inquantum vult ſibi bonum, ita alium diligat inquantùm vult eius bonum.

QVINTA DISPVTATIO.

De ſtatu bonorum Angelorum quoad gratiam & gloriam.

EXPLICATIS iis quę tum ad ſubſtantiā Angelorum ſiue abſolutè ſiue reſpectiuè ad corporalia conſideratam, cūad ipſorum potētias, intellectum nēpe, & voluntatem, pertinent; naturæ ſimul ac doctrinæ ordo poſtulat vt ea tandem explicemus quæ ad ipſorum ſtatum & cōditionem ſpectant: & primùm quidem de ſtatu ac conditione bonorum, tum quoad gratiam, cùm etiam quoad gloriam: licèt enim mali Angeli etiam in ſtatu gratiæ extiterint, vt mox dicetur, quia tamen nondum mali erant in eo ſtatu, & mox ab ipſo deciderunt; idcircò diſputatio hæc meritò de ſtatu bonorum Angelorum inſcribitur: Et licèt ſit alius ſtatus Angelorum in gloria quàm fuerit in ſola gratia; quia tamen gratia gloriæ inchoatio, & gloria gratiæ conſummatio eſt, & vtraque ad eoſdem bonos Angelos pertinet; idcirco de vtroque ſtatu, hac vnicâ diſputatione dicendum eſt.

An omnes Angeli fuerint creati in gratia.

QVÆSTIO I.

DVO hîc imprimis ſupponenda ſunt, quæ omnes fermè Theologi concedunt. Primùm Angelos omnes cum omni ea perfectione quæ ipſis ſecundùm propriam naturam debebatur fuiſſe conditos, *Dei enim perfecta ſunt opera*, quod maximè intelligendum eſt de iis quæ immediatè à Deo per creationem producta ſunt, ſic enim aiunt præſtantiſſima cuiuſque ſpeciei animalia à Deo fuiſſe procreata, v. g. præſtantiſſimum equũ, Leonem, &c. quod etiam multo potiori iure, tum de Angelis, cùm de homine exiſtimandum eſt, nempe eos quoad naturalia ſaltem præſtantiſſimos à Deo conditos fuiſſe; idque eſt quod docet S. Th. hîc q. 62. art. 1. Angelos cõditos fuiſſe à Deo beatos vltima ſua naturali beatitudine, ac proïde omni naturali perfectione ſibi debita præditos: In quo Magiſt. Sẽtent. ſequutus eſt qui lib. 1. d. 4. ait Angelos creatos fuiſſe quodãmodo beatos & perfectos ſecundùm tempus, id eſt quoad id omne quod in ipſis tunc naturæ ratio poſtulabat.

Duo hic ſupponẽda. Primum.

Alterũ eſt Angelos non fuiſſe creatos in beatitudine ſupernaturali, vt etiam locis citatis docent Magiſter Sent. ac D. Tho. quia nempe iſta beatitudo ſupernaturalis eſt finis ad quem creatura nonniſi per aliquã operationem perduci congruebat: quare in ipſa creari non debuerat.

Secundum

His poſitis, noſtra aſſertio quæ eſt cõmunis Theologorum, ac præſertim D. Th. hîc q. 62.

Communis

ar.3.(licèt nonnulli contrarium ſenſerint) eſt omnes Angelos fuiſſe conditos in gratia, proindeque ab initio ſuæ creationis nõ tãtũ præditos fuiſſe omni naturali perfectione ac naturali beatitudine: ſed etiã ſupernaturali perfectione quę eſt diſpoſitio ad beatitudinẽ ſupernaturalẽ: quę aſſertio licèt nõ ſit omninò de fide, eſt tamẽ nũc adeò explorata apud Theologos vt eã negare quis abſq; aliqua temeritatis nota non poſſet; Idque propter aperta ſacræ Scripturę teſtimonia iuxta ſanctorum Patrum interpretationem, vt Iſaiæ 14. *Quomodo cecidiſti de cœlo Lucifer, qui manè oriebaris. &c.* quæ de diabolo in perſona Regis Babylonici dici teſtantur ſancti Patres, vt Diu. Hieron. ibidem. Item Ezech. 28. *Tu ſignaculum ſimilitudinis fuiſti plenus ſapientiâ, perfectus decore in deliciis Paradiſi Dei fuiſti, omnis lapis pretioſus operimentum tuum, &c.* quæ de Lucifero in perſona Regis Tyri dicta eſſe teſtantur ſancti Patres, præſertim Diuus Hieronymus in eundem locum, & vniuerſalis Eccleſia ſic vſurpat. Probatur præterea hæc aſſertio ex communi conſenſu ſanctorum Patrum, vt D. Auguſtini 11. de ciuit. Dei. c. 11. & 12. & c. 9. vbi de Angelis loquens. *Deus* (inquit) *erat ſimul condens naturam & largiens gratiam.* D. Hieron. in 3. c. Oſeæ: Diu. Grego. lib. 5. Moral. cap. 27. & lib. 32. c. 24. & 25. & alii qui idem innuunt. dum aiunt Angelum ſicut & hominem conditum eſſe à Deo rectum & bonum. Denique probatur ratione hac D. Th. ſupradicto ar. 3. quæcunque proceſſu temporis per opus diuinæ

Theologorũ aſſertio circa creationẽ Angelorum in gratia.

Probatur authoritate.

Ratione cõfirmatur

Digitized by Google

prouidentię producuntur, iam ab ipſo creationis exordio ſecundùm ſeminales quaſdam rationes producta ſunt, vt docet D. Aug. lib. 8. ſuper Geneſ. ad literam c. 3. Ergo beatitudo quã ſucceſſu alicuius durationis Angeli à Deo conſequuti ſunt, vel certè omnes conſequi potuerunt, fuit à Deo producta initio creationis ipſorum ſecundùm rationem ſui ſeminalem, quæ nihil aliud eſt quàm diuina gratia; hoc enim modo ſe habet gratia gratum faciens ad beatitudinem, ſicut ſe habet ratio quælibet ſeminalis in natura ad effectum naturalem, vnde epiſtola 1. Ioan. c. 3. gratia ſemen Dei nominatur. Quod autem neceſſarium fuerit Angelo gratiæ auxilium, vt fœlicitatem ad quam factus erat, conſequeretur: probatur iuxta D. Tho. hîc art. 2. quia cũ naturalis omnis motus & inclinatio ſit tantùm ad id quod eſt conueniens ſecundùm naturam, ſi quid ſit ſupra naturam rationalis creaturæ, naturalis ipſius inclinatio quę eſt voluntas non poterit in id ferri niſi aliquo ſupernaturali principio adiuta: oſtenſum eſt autem aliàs, vbi de ſupernaturali Dei cognitione ageretur in primo tract. huius partis, viſionem Dei beatificam in qua vltima, beatitudo rationalis creaturæ poſita eſt, eſſe ſupra naturam cuiuſlibet intellectus creati, vnde nulla creatura rationalis poteſt habere motum voluntatis ordinatum ad illã beatitudinem, niſi mota à ſupernaturali agente, & hoc dicitur auxiliũ gratiæ: concludendum igitur eſt Angelum non potuiſſe ſuam vltimam fœlicitatem aſſequi abſque auxilio gratiæ.

Neceſſariũ fuiſſe Angelo gratiæ auxilium probatur.

Digitized by Google

Si quæras, vtrùm Angeli ad illam gratiã quã ab inſtanti ſuæ creationis habuerunt, ſe ſe per aliquem actum diſpoſuerint. Reſpondetur, licèt id probabiliter quidam aſſerant, vt Caiet. & Ferrarienſis, qui aiunt eam eſſe Diui Thomæ ſententiam. Nihilominus tamen probabilius eſſe iudico, quod licèt per ſuam naturam ſatis diſpoſiti fuerint vt gratiã in illo iſtanti reciperent, non tamen per vllos actus ad illam ſe diſpoſuerint, tùm quia neceſſe non eſt aliquem diſponi ad recipēdã gratiam per aliquem actũ, vt patet in pueris baptizatis, tum quia id non potuit commodè fieri in Angelis, cũ gratia illis collata ſit in ipſo primo inſtanti ſuæ creationis, imò & priùs concipi debeat Angelus vt gratia præditus quã vt aliquid operans, priùs enim concipiũtur habitus procreati in Angelis quàm vlli actus ab ipſis eliciti. *Dubitatio.* *Solutio.*

An Angeli ſuam beatitudinem meruerint.

QVÆSTIO II.

SVPPONIMVS hìc non omnes Angelos ſupernaturali beatitudine aliquando fuiſſe potitos, vt rectè monet D. Aug. li. 11. de ciuit. cap. 13. & præſertim 23. vbi ait quod diabolus beatæ atque angelicæ vitæ dulcedinem non guſtauit, quam non vtique acceptam faſtidiuit, ſed nolendo accipere deſeruit: & ſanè ſi illam aliquando adepti fuiſſent, nũquam deſeruiſſent, eſt enim ſummæ illi fœlicitati adiuncta neceſſariò impeccabilitas. Si qui verò ſint ſacræ Scripturæ loci, quibus contrarium *Non omnes Angeli ſupernaturali beatitudine fuerũt potiti.*

videatur innui, nempe ipſos aliquando fuiſſe fœlices ſeu beatos; exponendi ſunt de beatitudine naturali, Innocentiæ ſtatu, & ſupernaturali gratiæ perfectione in qua creati ſunt.

Aſſertio tenenda. Angeli ſuã beatitudinem meruerunt. Probatur authoritate.

Hoc poſito aſſerimus cum D Th. hîc art.4. Angelos meruiſſe ſuam beatitudinem, ſeu illã nonniſi proprio merito fuiſſe conſequutos. Probatur primùm ex loco Apoc.22. vbi habetur in illa cœleſti Hieruſalem eandem eſſe hominis & Angeli menſuram, hoc eſt, eandem eſſe rationem ſecũdùm quam vtrique fœlicitatis gradus tribuitur, nempe meritum: Deinde authorit. D. Aug. lib. 4. ſuper Geneſ. ad litteram c.24. aſſerit, Angelos beatitudinem cõſequutos, quia omnia in Dei laudem retulerunt. Præterea ratione hac D. Thomæ comprobatur; quælibet enim res ad vltimum ſuũ finem per aliquam ſuam operationem pertingit, quæ quidem operatio in finem ducens vel eſt factiua finis, ſi nempe finis non excedat virtutem eius quod operatur propter finem, ſicut medicatio eſt factiua ſanitatis, vel eſt meritoria finis, quando nempe finis excedit virtutem operantis propter finem, atque ideo ex dono alterius expectatur: Atqui finis propter quem rationalis creatura ac proinde Angelus operari debuit, ipſius virtutem excedit, quare nonniſi per operationem ipſius meritoriam haberi potuit: conſtat autem Angelos in gratia fuiſſe conditos ſecundùm quam quælibet ipſorum operatio potuit eſſe meritoria ſupernaturalis beatitudinis, ſicque potuerunt Angeli ſuã beatitudinem

Ratione cõfirmatur

dinem mereri, ac eam de facto meruerunt: quomodo autem illam per ſuos actus meritorios conſequuti ſint, ſequenti quæſt. explicabitur.

Quomodo Angeli ſuam beatitudinem adepti ſint.

QVÆSTIO III.

AD pleniorem ſpinoſæ huius quęſtionis intelligentiam, nonnulla hîc præmittenda ſunt communiter inter Theologos ſaltem recentiores recepta.

Primum eſt, non potuiſſe Angelos eodem ſimul inſtanti mereri beatitudinem, ac eadem potiri, vt probat D.Tho. hîc qu.62. art.4. quia nihil tendit ad id in quo tanquam in vltimo ſui termino conquieſcit: Atqui ſi Angelus iam beatus ipſam beatitudinem mereretur, ad id tēderet in quo iam eſſet, cùm meritum ſit quędam veluti ad finem tendentia ſeu via; Adde quod ſequeretur eundem actum eſſe ſui ipſius meritorium, quod abſurdum eſt. *Notādum primò.*

Secundum eſt, Angelos non eodem inſtanti cùm creati ſunt beatitudinem conſequutos fuiſſe, vt ſuprà monuimus qu. 1. huius diſp. *Secundò.*

Tertium eſt, Angelos non mereri potuiſſe, vel beatos fieri in aliquo inſtanti temporis ſaltem imaginarij immediatè ſequente illud inſtans quo creati ſunt; quia nempe non poteſt dari illud inſtans, fieri enim non poteſt vt duo inſtantia temporis realis aut imaginarij ſe ſe immediatè conſequantur, alioqui ſequeretur *Tertiò.*

ſucceſſiuam durationem ex indiuiſibilibus conſtare, quod repugnat; quo fit vt neceſſariò admittenda ſit mora aliqua inter creationem Angelorum & illorum beatitudinem ac damnationem, quæ mora quanta fuerit non planè conſtat; concedunt tamen communiter Theologi fuiſſe breuiſſimam, idque iuxta D. Aug. ſententiam lib. 11. ſuper Geneſ. ad literam cap. 16. poteſtque hęc mora dici ſtatus viæ Angelorum, vt pote in qua mereri aut demereri potuerunt.

Quartò. Quartum, mediam illam moram inter illud inſtans quo omnes Angeli creati ſunt, & aliud inſtans quo boni ſaluati, mali verò damnati ſunt, fuiſſe æqualem in omnibus tàm bonis quàm malis quoad durationem, licèt in ea Angeli vel vnicum vel plures actus etiam ſibi inuicem ſuccedentes exercere potuerint, ſicque in ea vel vnicum, vel plura inſtantia temporis diſcreti ſeu Angelici eſſe potuerint. *Nodus difficultatis.* Difficultas igitur eſt quid tùm in primo inſtanti, cùm in mora illa proximè ſubſequenti egerint boni Angeli, & per quot aut quales actus beatitudinem meruerint, & quandonam illa potiti ſint; circa quam grauis eſt Theologorum diſceptatio: quid tamen nobis probabilius tenendum videatur, ſequentibus propoſitionibus aperiemus.

Prima propoſitio. Prima propoſitio. Probabiliùs eſt omnes Angelos tàm bonos quàm malos in ipſo inſtanti ſuæ creationis aliquos bonos actus, ac proinde meritorios exercuiſſe. Probatur primùm authoritate ſacræ Scripturæ, Ezechielis

Digitized by Google

enim 28. non tantùm Lucifer deſcribitur plenus ſapientiâ & perfectus decore pro inſtanti ſuæ creationis, quæ ad habitualem gratiam pertinent, ſed etiam ſpiritualibus delitiis affluens & perfectus in viis ſuis, id eſt, operationibus ſuis, quæ ad actus gratiæ meritorios pertinent. Secundò ratione probatur; quia nihil obſtat imò conueniens eſt vt Angeli in eo inſtanti quo creati ſunt, factorem ſuum cognouerint, ac ipſum tanquam omnis boni, non tantùm naturalis, ſed etiam ſupernaturalis, authorem dilexerint: atqui actus illi ſunt meritorij ſupernaturalis beatitudinis, ſi enim quid obſtaret quominus dici poſſent meritorij, maximè quod non potuiſſent pro illo primo inſtanti eſſe liberi, tùm quia illi actus non tam ipſis Angelis, quàm Deo creanti tribuendi viderentur, tùm quia ipſos non pręcederet plena deliberatio: at neutrum obſtat quominus actus illi dici poſſint in eo inſtanti liberi, non priùs, cùm non minùs pendeant actus ſubſequentes à Deo Angelos conſeruante, quàm primi illi actus ab ipſomet Deo ipſos primùm producente; non etiam poſterius, cùm nulla temporis ſucceſſione indigeant Angeli ad plenè deliberandum, ac liberè quoduis eligendum, vt ſuprà dictum eſt.

Probatur authoritate.

Ratione cõfirmatur.

Secunda propoſitio. Pro certo tenendum eſt Angelos bonos in illa mora ſubſequenti adhuc meruiſſe, malos verò demeruiſſe; & quidem bonos meruiſſe, tùm perſeuerando in bono actu quem exercuerant in primo illo inſtanti ſuæ creationis immediatè

Secund. propoſitio.

præcedenti, cùm etiam fortaſſis alios bonos actus etiam ſucceſſiuè per totam illam moram exercendo; malos verò demeruiſſe, tùm non perſeuerando in bono actu quem exercuerāt, cùm etiam fortaſſis alios malos actus etiam ſucceſſiuè exercendo durante eadem mora; ſiue dicas quod ſtatim immediatè poſt illud primum inſtans ſuæ creationis deſciuerint à bono ſuo ſtatu, vt ſentit D. Tho. qu. 63. art. 6. ſiue aliquantulum poſt, ita vt bonum illum actum per aliquam partem ſubſequentis illius moræ continuauerint, vt videtur ſentire Scot. in ſecundum Sent. diſtinct. 5. quæſt. 1. ſed non per totam moram quam Deus prædefiniuerat, vt in eius termino perſeuerantes coronaret, deuiantes verò damnaret: vtrumque enim probabiliter dici poteſt, cùm difficile ſit admodum in rebus tàm abſtruſis aliquid certi definire.

Tertia propoſitio.

Tertia propoſitio. Licèt in malis Angelis neceſſariò diſtinguenda ſint duo ſaltem inſtantia vię, inſtantia inquam temporis diſcreti ſeu Angelici pro duplici ſtatu viæ, bono nempè & malo in quo extiterant; non tamen in bonis Angelis neceſſariò diſtinguenda ſunt plura inſtantia eiuſmodi; quia cùm vnicus fuerit ſtatus viæ bonorum Angelorum, nempè bonus, potuerunt durante eo ſtatu eundem bonum actum continuare quem in primo inſtanti exercuerant, ita vt probabiliter dici poſſit iuxta doctrinam D. Tho. hîc qu. 62. art. 5. quod Angeli boni ſtatim poſt vnicum actum meritorium, qui per totam illam intermediam mo-

D. Thoma & Scoti æquè probabilior opinio.

Digitized by Google

ram durauerit, beatitudinem adepti ſint: nihilominus tamen, quia etiam æquè probabiliter dici poteſt iuxta doctrinam Scoti loco citato, quod plures bonos actus etiam ſucceſſiuè exercuerint; hinc fit vt etiam in bonis Angelis plura inſtantia temporis diſcreti ſeu Angelici penes illos plures actus ſibi inuicem ſuccedentes, diſtingui poſſint; ſicut etiam probabiliter dici poteſt quod mali Angeli plures malos actus ſucceſſiuè exercuerint, ſicque nō tantùm duo prædicta, ſed etiam multo plura inſtantia temporis diſcreti durante malo ipſorum ſtatu, in ipſis diſtingui poſſint: Neque enim ratio D. Thomæ, qua nititur hoc loco q. 63. art. 6. probare Angelum ſtatim poſt vnicum actum beatitudinem conſequi, neceſſariò conuincit. Porrò, obiter nota poſſe vnum inſtans temporis diſcreti, vel vnico inſtanti temporis noſtri coexiſtere, ſi nempè actio Angeli ſit momentanea, vel etiam reſpondere poſſe breuiori vel longiori moræ temporis noſtri, prout citior vel diuturnior eſſe poteſt ipſa Angeli operatio. *Nota.*

Quarta propoſitio. In termino viæ ſeu vltimo inſtanti prædictæ moræ à Deo præfinitæ, boni perſeuerantes, beatitudinem adepti ſunt, eaque potiti; mali verò deuiantes à bono ac in malo perſeuerantes ęternę damnationi addicti ſunt; ita vt vltimum illud inſtans prædictæ moræ fuerit primum inſtans beatitudinis bonorum, & damnationis malorum. *Quarta propoſitio.*

An Angeli pro naturæ dignitate gratiam & gloriam fuerint conſequuti.

QVÆSTIO IIII.

Angeli gratiam & gloriam adepti ſunt pro quantitate ſuorũ naturaliũ.

IDipſum quærit S. Doctor hîc qu. 62. art. 6. vtrùm Angeli gratiam & gloriam conſequuti ſint pro quantitate ſuorum naturalium, ita vt eo maiorem gratiam & gloriam adepti fuerint quò maior in iis naturæ dignitas extitit; atque ita eſſe affirmat, docetque rationi congruum videri quod ſecundùm gradum perfectionis naturalis dona gratiæ ac præmia gloriæ Angelis à Deo collata ſint; & id quidem, tùm ex parte Dei, cùm ex parte Angeli; ex parte quidem Dei, quia cùm Deus qui per ordinem ſuæ ſapientiæ diuerſos gradus in Angelica natura conſtituit ipſam naturam Angelicam ad gratiam & gloriam ordinaſſet, ipſi quoque diuinæ ſapientię conſentaneum fuit, vt varios illos gradus naturæ Angelicæ ad diuerſos quoque gradus, tùm gratiæ, cùm gloriæ, ordinaret; non ſecus ac ſapiens architectus qui quos lapides accuratiùs polit & exornat ad nobiliorem ædificij partem ſolet deſtinare: Ex parte verò Angeli idem probat, quia cùm Angeli ex nulla praua ſenſitiuæ partis inclinatione retardari potuerint, cùm ſint illius planè expertes, reliquum eſt vt toto naturæ ſuæ niſu in Deum conuertantur, ſicque prout maior eſt ipſius naturæ niſus, eò maiorem gratiam & gloriam adipiſcantur; Eſt autem ille naturæ niſus ſeu conatus, eò maior & effica-

Digitized by Google

cior quò natura eſt in ipſis Angelis præſtantior. Quæ certè ratio etſi ſpeciem aliquam probabilitatis habeat, non tamen neceſſariò conuincit, cùm poſſint Angeli pro ſuo arbitrio naturæ ſuæ motum ſeu niſum temperare. Cęterùm nota non ita intelligendam eſſe hîc D. Tho. doctrinam, quaſi maiori perfectioni naturali Angelicæ, aut maiori conatui naturali quo ſe Angeli in Deum conuerterunt, maior fuerit debita gratia & gloria, hoc enim errorem Pelagianum ſaperet; ſed ſimpliciter quod pro proportione perfectionis naturalis Angelorum gratis collata ſit illis gratia, & pro gratiæ merito iuſta merces, nempè gloria, licèt etiam vltra condignum, fuerit reddita. *Nota circa doctrinam D. Thom. hic.*

Quiſnam ſit ſtatus Angelorum in gloria.

QVÆSTIO V.

TRia ſunt quæ D. Thomas tribus poſtremis articulis qu. 62. ſciſcitatur circa ſtatum beatificum Angelorum, quæ ſigillatim hac poſtrema qu. huius diſput. explicanda ſunt. *Tria hic quæruntur*

Primum eſt, vtrùm in Angelis beatis remaneat tùm cogitio, cùm etiam dilectio naturalis. Reſpondetur ita eſſe cum D. Thom. ibidem art. 7. tùm quia beatitudo naturam nō deſtruit, ſed perficit: quare nec operationem ipſi naturæ conuenientem eliminat; tùm quia non eſt veriſimile Angelos omnia quæque *Circa primum quæſitum aſſertio. Probatur primò. Secundò.*

Tertio. etiam minutiſſima noſſe per ſolam cognitionem beatificam; tùm quia libera Angelorum collocutio nõniſi per naturalem cognitionẽ fieri videtur, cognitio enim beatifica perpetua eſt, non item ea quæ durante collocutione exercetur.

Obiectio prima. *Solutio.* Obiicies forſan. Vbi aduenit id quod perfectũ eſt, euacuari quod ex parte eſt. Reſpõdetur, id verum eſſe cùm id quod ex parte eſt ſecundũ ſe propriè ac priuatiuè opponitur ei quod perfectum eſt, cognitionem autem ac dilectionem naturalem, cognitioni ac dilectioni beatificæ non eſſe ſecundùm ſe propriè ac priuatiuè oppoſitam, ſed tantũ ab ipſa diſparem. *Obiectio ſecunda.* Inſtabis, eandem potentiam non poſſe ſimul exercere plures actus, ac proinde in intellectu Angelico, verbi gratia, non poſſe ſimul eſſe cognitionẽ naturalẽ & ſupernaturalem. *Solutio.* Reſpondetur potentiam quidem materialem ac phyſicam non poſſe ſimul habere plures actus phyſicos non ſubordinatos ac eiuſdem rationis. Nihil autem repugnare potentiam ſpiritualem ſimul habere plures actus elicitos, præſertim ſubordinatos ac diuerſæ rationis, cuiuſmodi eſt illa duplex cognitio ac dilectio.

Circa ſecũdum quæſitum. *Aſſertio.* *Probatur authoritate.* Secundũ eſt, vtrùm Angelus beatus peccare poſſit. Reſpondetur cum D. Tho. ibid. ar. 8. & aliis Theologis, non poſſe. Probatur primùm authoritate ſacrarum Litterarum quæ paſſim indicant ſummam eſſe beatorum lætitiam, ita vt nullus triſtitiæ locus ſupereſſe poſſit: at ſi poſſent peccare, & la-

bi, ac proinde ex ſuo fœliciſſimo ſtatu excidere, non mediocrem inde triſtitiæ occaſionem arriperent. Secundò, ratione hac D. Tho. quia eo modo ſe habet Angelus videns Deum ad ipſum, ſicut ſe habet quicunque non vidẽs Deum ad communem rationem boni, ſeu ad bonum vt bonum eſt. Atqui impoſſibile eſt vt aliquis quidpiam velit vel operetur niſi attendens ad bonum, vel quod ab ipſo vel tantiſper diuertat inquantum bonum eſt; (quod tamen non impedit quominus aliquis peccet: quod enim ſecundùm aliquam conſiderationem, verbi gratia, ſecundùm ſenſum bonum eſt, poteſt abſolutè ſeu ſecundùm rectam rationem eſſe malum. Quare impoſſibile eſt vt beatus aliquid velit vel operetur niſi attendens ad Deum, vel tantillum ab ipſo auertatur; quod quidem impedit quominus beatus peccet, quia Deus ſecundùm omnem conſiderationẽ bonus eſt, imò ipſummet ſũmum bonum eſt, ſeu ipſa bonitatis eſſentia. Neque propterea exiſtimes quidquam de libertate angelorũ detrahi, pertinet quidem ad perfectionem liberi arbitrii quod diuerſa poſſit eligere ſeruato ordine finis, quod verò interdũ aliquid eligat diuertendo ſe ab ordine finis, quod eſt peccare, nõ ad ipſius perfectionem, ſed potius defectũ pertinet; Vnde poti⁹ maior ſeu præſtantior exiſtimanda eſt libertas in angelis qui peccare non poſſunt, quàm in nobis qui peccare poſſumus. Porrò illud quod habetur Iob 4. *In angelis ſuis reperit prauitatem*, vel referendum eſt ad angelos, cùm eſſent viato-

Ratione confirmatur.

Obiectioni occurritur

Explicatur locus Iob 4.

res, vel intelligendum de angelis etiam beatis ſecundùm naturam ſecluſo gloriæ ſtatu ſpectatis, vel per prauitatem intelligenda eſt perfectionis finitudo, vel denique comparatiuè dicitur, ita vt omnis perfectio angeli ſecundùm ſe reſpectu diuinæ puritatis ſit veluti prauitas.

Circa tertium quæſitum aſſertio.

Tertium eſt, vtrùm Angeli in beatitudine poſſint proficere. Reſpondetur cum D. Tho. hîc ar. 9. & aliis Theologis qui ita cõmuniter ſentiunt; angelos non proficere quoad beatitudinem eſſentialem, licèt Magiſter Sententiarum contrarium opinetur lib. 2. diſt. 11. Probatur noſtra aſſertio; quia id ad quod aliquid ex ipſius mouentis intẽtione mouetur, eſt aliquid determinatum; intentio enim eſt finis cui repugnat ratio indefiniti ſeu indeterminati: Atqui beatitudo eſſentialis eſt finis ad quem rationalis creatura, vt angelus, ex ipſius intentione ac prædeſtinatione mouetur ac perducitur; Ergo eſt aliquid omninò determinatum, ita vt licèt diuerſus ſit in diuerſis gradibus beatitudinis, pro diuerſo modo beatificæ viſionis, vti aliàs dictum eſt in primo tractatu huius partis, vbi de cognitione Dei beatifica; in vnoquoque tamen idem ſemper eſt ac determinatus. Adde quod eodem modo ſe habet beatitudo in Angelis quo in hominibus, vt iam ſuprà monuimus ex Apocal. 22. Atqui certum eſt beatos homines ſecundùm legem ordinariam in beatitudine non proficere, vt patet Eccleſ. 11. *Siue ad Auſtrum ſiue ad Aquilonem ceciderit lignum, ibi erit.* Quod ſancti Patres vul-

Ratione probatur. primo.

gò interpretantur de immutabilitate quadam hominis in eo termino ſiue beatitudinis, ſiue damnationis, ad quem poſt huius vitæ decurſum peruenerit; idem igitur ſentiendum eſt de beatitudine angelorum.

Quòd ſi de beatitudine ſeu præmio accidentali ſermo ſit, certum eſt Angelos in ipſa proficere, vt docet Sanctus Thom. prædicto ar. ad tertium: tum quia noua poſſunt ſubinde gaudia experiri, iuxta illud Lucæ 15. *Gaudium erit in cœlo coram Angelis Dei ſuper vno peccatore pœnitentiam agente, &c.* tùm quia poſſunt per nouas reuelationes ipſis à Deo factas quædam de nouo cognoſcere, vt communiter docent Sancti Patres, vt D. Dionyſ. c. 7. de cœleſti Hierar. D. Auguſt. lib. 5. ſuper Geneſ. ad literam c. 17. & D. Thom. infrà qu. 117. art. 2. ad primum. *Præmium accidentale angeri in augelis probatur.*

Notandum autem angelos, neque ſecundùm eſſentialem, neque ſecundùm accidentalem beatitudinem, aliquid de nouo mereri poſſe, quidquid contra ſentiat Mag. Senten. loco citato; quia, vt docet D. Thomas hîc art. cit. ad tertium, & communiter omnes Theologi, in termino viæ non eſt locus merito. *Nota.*

SEXTA DISPVTATIO.

De ſtatu malorum angelorum quoad culpam & pœnam.

DVO maximè ad ſtatum malorum angelorum pertinent, culpa nempe & pœna; Quare de vtraque hac poſtrema diſputatione diſſerendum eſt: Et quidem priùs de iis quæ pertinent ad ipſorum culpam ſeu lapſum, deinde de iis quę pertinent ad æternum ipſorum ſupplicium.

An, & quomodo Angeli peccare potuerint.

QVÆSTIO I.

Prius quæſitum. DVo hîc quæruntur, vt patet: & quidem quod ſpectat ad prius quæſitum, ſupponẽdum eſt hoc loco quod ſupra initio 4. diſp. huius tract. probatum eſt, angelos omnes libero arbitrio eſſe præditos, vti etiam docet *Probatur authoritate.* Mag. Sent. lib. 2. diſt. 3. & 5. Quo poſito, angelos peccare potuiſſe probatur, imprimis ex iis ſacræ Scripturę locis, quibus oſtenditur ipſos *Ratione confirmatur.* actu peccaſſe: ſecundò ratione hac D. Thomæ hîc q. 63. art. 1. cùm enim peccare nihil aliud ſit quàm à debita rectitudine actus declinare, & ſolus ille actus à debita ſibi rectitudine non poſſit deuiare, cuius regula eſt ipſa virtus ſeu potentia agendi: Si enim, v. g. manus alicuius

artificis, puta fabri lignarii, eſſet ipſa regula inciſionis, nunquam poſſet iſte artifex niſi rectè lignum incidere: hinc fit vt ſolus Deus nō poſſit peccare, quia ſola diuina volūtas eſt regula ſui actus, cùm ad ſuperiorem finem non ordinetur: nulla enim voluntas creata poteſt dici regula ſui actus, ſed ipſa eſt diuina voluntas à qua omnis creatæ voluntatis actus regulari debet, cùm ad ipſam tanquam ad vltimum finem ordinetur. Quare cùm creata quęlibet voluntas poſſit in agendo vel in agendo propter liberum ſuum arbitrium defectibile ab eiuſmodi regula aberrare, hinc fit vt omnis creatura, ac proinde angelus ſecundùm ſuam naturam ſpectatus, peccare poſſit.

Quod ſpectat ad poſterius quęſitum, tres in eo difficultates continentur. Prima quo genere peccati peccare poſſit angelus: altera quanā ex cauſa peccare poſſit: tertia quodnam poſſit eſſe primum peccatum angeli. Quibus difficultatibus totidem ſequentibus propoſitionibus ſatisfiet. *Circa poſterius quæſitum tres difficultates.*

Prima propoſitio. Quod libet peccatū etiam carnale poteſt ſecundùm reatum cadere in angelum: at verò ſecundum affectum, peccatum tantum ſpirituale, aut certè ſpirituali modo perpetratum poteſt in angelum cadere. Cuius propoſitionis, quę eſt D. Thomæ hîc q. 63. ar. 2. duæ ſunt partes, quas antequam probemus operæ pretium eſt animaduertere iuxta doctrinam D. Tho. peccatum in aliquo eſſe poſſe dupliciter: vno modo ſecundùm reatum, altero modo ſecundùm affectum: Et quidem *Prima propoſitio, cuius duæ ſunt partes.*

Digitized by Google

vt peccatum ſecundùm reatum tribuatur alicui, ſatis eſt modò ſit ipſius peccati quomodocunque particeps, vt ſi quis v.g. inducat aliquẽ ad peccandum: At verò vt peccatum ſecundũ affectum alicui tribuatur, neceſſe eſt vt is qui peccat per ſe afficiatur ad eiuſmodi peccatũ. Pręterea notandum eſt aliquem per ſe affici ad aliquod peccatum, nihil aliud eſſe quàm ipſum ſecundùm ſuam naturam affici in ordine ad obiectum ipſius peccati, v. g. affici per ſe ad peccatum auaritiæ, nihil aliud eſt quàm naturaliter affici poſſe ſeu excitari ſecundùm appetitum in ordine ad diuitias modo prohibito comparandas vel aſſeruandas.

Probatur vtraque pars propoſitionis.

His poſitis prior pars prædictę concluſionis ſatis patet, cùm apud omnes conſtet malos angelos poſſe inducere homines ad quodlibet genus peccati, tàm carnalis quàm ſpiritualis. Poſterior verò pars probatur, quoniam illa duntaxat peccata ſecundùm affectum in malis angelis eſſe poſſunt ad quæ contingit ſpiritualem naturam affici; ſpiritualem autem naturam affici non contingit ad bona quę ſunt propria corpori, ſed ad ea tantùm quę in rebus ſpiritualibus inueniri poſſunt; nihil autem per ſe afficitur niſi ad id quod ſuæ naturæ conueniẽs eſt.

Obiectio.

Quod ſi aduerſus hanc D. Thomæ rationem obiicias dęmones immediatè etiam & per ſe affici ad bona corporalia, ſeu ea etiam poſſe immediatè expetere quatenus ſunt alicui impedimenta ſalutis obtinendæ.

Solutio.

Reſpondetur poſſe quidem dæmones etiam immediatè affici ad bona corporalia, non tamen per ſe

ſeu ſecūdū naturā ſui appetitus quia appetitus intellectualis per ſe non dicit ordinē ad bona corporalia ſeu ſēſibilia vt talia ſunt, præſertim cùm in angelis non habeat adiunctum ſibi appetitum ſenſitiuū vt contingit in homine; Et ſic vltrò fatemur angelos poſſe etiam peccare circa corporalia, quidquid de eo ſenſerit D. Thomas, non tamen niſi ſub ratione ſpirituali.

Secunda propoſitio.

Secūda propoſitio. Cū multę poſſint eſſe alicuius peccati cauſæ inſitæ, v.g. error, iſque aut ſpeculatiuus, aut practicus, præterea habitus prauus, itēque inordinata paſſio: Deniq; ipſamet arbitrii libertas quę dicitur mera malitia, certum eſt non poſſe angelum peccare ex errore ſpeculatiuo habituali ſeu ex mera ignorantia, cùm omne bonum ſibi agendum per ſpecies ipſi impreſſas ſatis clarè noſſe potuerit; Neque etiam ex habitu prauo, cùm nullum eiuſmodi habitum in inſtanti ſuæ creationis acquirere potuerit, aut infuſum habuerit; neque etiam ex inordinata paſſione, cum in eo nullus ſit appetitus ſenſitiuus ſiue iraſcibilis, ſiue concupiſcibilis, vt aliàs dictum eſt. Quare reſtat vt angelus peccare poſſit tùm ex errore ſpeculatiuo actuali negatiuo qui dicitur incogitātia, quæ cōtingit cùm quis actu nō cogitat de eo cuius habet ſcientiā habitualē tunc cum de eo cogitare tenetur, vt explicat S. Tho. hîc ar. 1. ad tertium: cùm etiam ex mera ſua libertate cū errore quodā practico, vt cōtēdit Scot. in 2. Sent. diſt. 6. q. 11. & D. Bonau. ibidē ar. 1. q. 1. Et quidem quod non tantum angelus ex incogitantia, vt ſentit D. Thomas, ſed etiā ex aliis

Angelum non ſolum ex incogitantia peccare poſſe probatur.

cauſis labi ſeu peccare poſſit, nempe ex errore practico & mera malitia, vt ſi per meram ſuam libertatem de induſtria eligat bonum aliquod ſibi delectabile, poſtpoſito bono honeſto rectę rationi ac diuinę legi conſentaneo probatur; quia homo abſque vllo errore ſpeculatiuo ſiue habituali, quæ dicitur in ignorātia, ſiue actuali quæ dicitur incogitātia, aut habitu prauo, aut inordinata paſſione, hoc ipſo ſolùm quod eſt liber, & vt ſuā libertatem experiatur poteſt minus bonum, puta vtile vel delectabile, anteponere bono honeſto, ſicque ex mera malitia peccare: ergo etiam angelus cùm ſit quoque liber, poteſt eligere bonum aliquod ſibi delectabile neglecto diuino præcepto, vt cùm delectatur admittendo diuinos honores ſibi delatos ab idololatria, vt bonum quoddam ſibi iucundum.

Tertia propoſitio. Tertia propoſitio. Licèt de facto primum peccatum angelorum fuit ſuperbia, vt mox ſequenti quæſtione dicetur, nihilominus tamen nihil repugnat primum peccatum non fuiſſe ſuperbiam, ſed inobedientiā, vel inuidiam &c. idque ſentit Scot in 2. Sent. diſt. 6. q. 2. ar. 2. licèt contrarium arbitretur D. Tho. hîc loco citato; nempe primum peccatum non potuiſſe eſſe aliud quàm peccatum ſuperbiæ, quia inquit non poteſt eſſe peccatum circa ſpiritualia bona, cùm aliquis circa hæc afficitur, niſi per hoc quod in tali affectu ſuprema regula non ſeruatur, & hoc eſt peccatum ſuperbiæ, non ſubdi in eo quod debet. Verùm hæc ratio D. Thomæ non conuincit; tùm quia nihil repugnat

D. Thomæ opinio noſtra contraria.

Ratio D. Thomæ refellitur.

Digitized by Google

pugnat angelum primùm peccare peccato inobedientiæ, vt ſi Deus aliquid ſpecialiter angelo præcepiſſet ſicut & Adamo præcepit quod angelus poſtmodum violaſſet; tum quia nihil repugnat angelum primò peccare poſſe (licèt modo quodam ſpirituali) circa aliquid corporale, & tale peccatum non eſſet ſuperbię; tùm quia potuit angelus primùm peccare peccato aliquo omiſſionis, & non poſitiui actus: quare probabilior nobis hac in re videtur Scoti quàm D. Thomæ ſententia. *Secundò.* *Tertiò.*

An, & quomodo Angeli actu peccauerint.

QVÆSTIO III.

PRopoſita quæſtio duas complectitur difficultates.

Quod igitur ſpectat ad priorem, cùm ſit res facti, non niſi authoritate probari poteſt. Itaque angelos actu peccauiſſe probatur primùm authoritate ſacrarum literarum vt Iob. 4. *In angelis ſuis reperit prauitatem.* Iſaię 14. *Quomodo cecidiſti de cœlo Lucifer, qui manè oriebaris? &c.* Ezech. 28. *Repleta ſunt interiora tua iniquitate, & peccaſti, & eieci te de monte Sancto Dei, & perdidi te.* Ioan. 8. *Ille homicida erat ab initio, & in veritate non ſtetit, quia non eſt veritas in eo cùm loquitur mendacium: ex propriis loquitur quia mendax eſt & Pater eius.* Et 1. Ioan. 3. *Qui facit peccatum, ex diabolo eſt, quoniam ab initio diabolus peccat.* & 2. Petri 2. *Deus angelis peccantibus non pepercit.* & in Epiſtola Iudę, *Angelos qui non ſeruauerunt ſuum principium, ſed* *Prior difficultatis reſolutio.* *Probatur authoritate.*

Digitized by Google

dereliquerunt ſuum domicilium in iudicium magni Dei, vinculis ęternis ſub caligine reſeruauit. Secūdò probatur ex communi cōſenſu ſanctorum Patrum totius eccleſię. Porrò ex locis ſuprà citatis intelligerę eſt non vnicum tantùm, ſed plures angelos eoſque ſimul ab initio, id eſt, non longè ab inſtanti ſuæ creationis in peccatum corruiſſe.

Conſectarium.

Poſterior difficultas explicabitur.

Quod verò ſpectat ad poſteriorem difficultatem, conſtat quidem apud Theologos, angelos omnes vno & eodem genere peccati inquinatos fuiſſe, vt ex prædictis ſacræ Scripturæ locis colligitur, & etiam aliis quibus inſinuatur vnum fuiſſe malorum angelorum ducem cui cæteri in peccato conſenſerint, vt poſteà dicetur. Quodnā autem fuerit illud peccatū, & quænā ſit illi⁹ ſpecialis ratio apud Shcolaſticos valdè controuerſum eſt. Quid autem probabilius cenſendum ſit, ſequentibus propoſitionibus explicabitur

Prima propoſitio.

Prima propoſitio. Primum peccatum angelorum fuit ſuperbia. Eſt autem ſuperbia appetitio quædam inordinata propriæ excellentiæ, cùm videlicet aliquid appetitur ab intellectuali creatura excedens id quod ipſi debetur iuxta pręfixum ei modum à diuina prouidentia. Probatur autem hæc propoſitio primùm authoritate ſacræ Scripturæ Tobiæ 4. *In ſuperbia initium ſumpſit omnis perditio.* Et Ecleſ. 10. *Initium omnis peccati ſuperbia.* Iſaiæ 14. de Lucifero habetur *Dixiſti, in cœlū conſcendā.* Et Ezechiel 28. *Dixiſti in corde tuo, Deus ego ſum.* Et ibidē *Eleuatum eſt cor tuum in decore tuo.* Quæ omnia ad ſuperbię

Probatur authoritate.

Digitized by Google

peccatum pertinent. Secundò probatur ex communi cōſenſu Patrum, vt Ambroſii ſerm. 3. in pſal. 118. ſuper illud *Increpaſti ſuperbos*. Hieron. in prædictum caput 14. Iſayæ: Aug. lib. 11. de ciuit. Dei c. 13. & lib. 12. c. 6. Gregor. Magni lib. 34. Moralium c. 13. & aliorum. Ratione præterea comprobatur; aut enim primum illud peccatū fuit corporale, aut ſpirituale: non corporale, quia priùs eſt angelum operari ac proinde benè vel malè operari circa ſpiritualia quàm circa corporalia; iam verò inter peccata ſpiritualia ſunt præcipua, nempe peccatum ſuperbiæ, inuidiæ, ac inobedientiæ: Atqui primum peccatum non fuit peccatum inuidiæ, cùm ordinariè inuidia non niſi ex ſuperbia naſcatur, nam alteri inuidere nihil aliud eſt quàm de illius bono triſtari, quatenus illud bonum videtur propriæ & ſingulari excellentiæ aliqua ratione obeſſe; neque etiam inobedientiæ eſt, cùm inobedientia quatenus eſt ſpeciale aliquod peccatum, ſit cuiuſpiam præcepti vel mandati expreſſe facti trangreſſio; nullum autē conſtet angelis à Deo fuiſſe factum: Ex quibus probabiliter concluditur primum peccatorum angelorum fuiſſe peccatum ſuperbiæ. *Ratione cōfirmatur*

Secunda propoſitiò. Angelorum ſuperbia in eo generatim poſita eſt, quod aliquo modo ſimilitudinē Dei appetierint, vt cōſtat ex cap. 14. Iſaiæ: *Dicebas in corde tuo, in cœlū cōſcēdā, ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum, ſedebo in monte teſtamenti in lateribus aquilonis, aſcendā ſuper altitudinē nubiū, ſimilis ero altiſſimo*. Ezechiel. 28. *Dixiſti in corde* *Secunda propoſit.*

iectione Dei quoad actuale imperiũ; nõ quoad imperiũ potentiale, ſeu quoad poteſtatẽ imperãdi, neque quoad ea quæ ipſis naturaliter cõpetunt, ſed tantũ quoad ſpeciales ipſorũ actus ſeu quoad actualia miniſteria; nãq; probè nouerant angeli omninò ac ſimpliciter impoſſibile eſſe vt eſſẽt exẽpti ab ipſius poteſtate imperandi, aut ab actuali etiam Dei imperio ſeu regimine quoad ea quæ ſecundũ naturã ipſis cõpetebãt, cũ abſque tali diuinæ prouidentiæ regimine ſe non poſſe vel momẽto ſubſiſtere intelligerent, ſicque illud nõ potuerunt ſimpliciter appetere: at verò ſciebant poſſibile eſſe vt Deus nihil ipſis circa ſpeciales ipſorũ actus aut actualia ipſorũ miniſteria actu imperaret, ſicque quoad iſtud, ipſi Deo non ſubiicerẽtur, ideoq; id ipſum potuerunt per ſuperbiã appetere. Probatur primũ hæc ſententia; quia diuinis teſtimoniis præſertim quæ habentur Iſaiæ 14. & Ezech. 28. planè cõgruit. Secundò, quia modus loquẽdi ſanctorũ Patrũ in explicando iſto angelorũ lapſu ipſi valdè cõgruit, vt videre eſt apud D. Aug. in narratione ſecunda ſuper pſ. 70. & lib 11. de ciuit. Dei c. 13. in illa verba Ioan. 8. *Ille homicida erat ab initio.* Similiter apud D. Greg. lib. 34. moral c. 23. in illud Iob. 40. *Non eſt poteſtas in terra quæ comparetur ei.* Tertio deniq; ratione; quia nempe hæc ſentẽtia caret iis difficultatibus quibus aliæ opiniones implicantur, vt inductione patet: Si enim hæc quã aſſignamus non ſit ſpecialis ratio ſuperbiæ angelorum, erit maximè vna ex his quatuor. nempe vel quia ſuam perfectionem naturalem

Prædicta propoſitio probatur authoritate.

Ratione confirmatur.

Prima ratio falſa ſpecialis ſuperbiæ.

tanquam vltimum finem appetierint,ac in ipſa tanquam in vltimo fine conquieuerint, nõ quidẽ quod iudicarent ipſam eſſe verè vltimũ ſuũ finẽ,alioquin fuiſſet illud peccatũ infidelitatis,ſed quod non cogitarent tunc de illo vltimo fine,ſicque ſeipſos ita amauerint ac in ſua ipſorũ perfectione ita cõquieuerĩt,ac ſi iis fuiſſet vltimus eorũ finis,nẽpe abſque debita relatione ad Deũ tanquã ad vltimũ ſui finẽ,vt planè ſentit D.Tho.hîc q.63.ar.3. Sed hoc dici non poteſt; tùm quia hoc ſupponit angelos peccaſſe per incogitantiam,quod non ſatis videtur conſentaneum diuinis oraculis,Iſaiæ 14. & Ezech. 28. quæ ſatis apertè indicant angelos tunc de Deo actu cogitaſſe; tùm quia hęc ipſa in cogitantia cùm in ipſis fuiſſet voluntaria, equeretur primum peccatum in angelis fuiſſe peccatum omiſſionis,ſeu ſupinæ ignorantię, & non peccatum ſuperbiæ niſi ex cõſequenti;tùm quia per eam rationẽ à D.Tho. allatam nõ ſatis exprimitur inſignis illa angelorum ſuperbia,fuiſſet enim illa tantùm ex parte modi, non ex parte obiecti,vt patet attẽtè rẽ conſideranti.Vel ſecũdò ratio ſpecialis iſtius ſuperbiæ dici poteſt quod appetierint beatitudinẽ ſupernaturalẽ tãquã propriis viribus,& non diuino auxilio conſequendã,nõ tã quod iudicarẽt eã ſic obtineri poſſe(fuiſſet enĩ hoc peccatum infidelitatis)quam quod nõ cogitarent de diuino auxilio ſibi ad id apprimè neceſſario;quam ſententiam etiam probabilẽ iudicat S.Doctor loco citato.Verũ non videtur hoc probabile,cùm eaſdẽ quas præcedens

Repellitur prædicta ratio primò.

Secundo.

Tertiò.

Secunda ratio falſa ſpecialis ſuperbiæ.

Repellitur

Digitized by Google

opinio difficultates patiatur, vel tertiò ratio illa ſpecialis ſuperbiæ dici poteſt, quod angeli præuidentes per lumen fidei verbum hypoſtaticè vniendum naturæ humanæ, hanc ſibi vnionem appetierint, ac ex conſequenti cùm ſe voto fruſtrari vidiſſent, Chriſto ac toti humanæ naturæ inuiderint. Verùm, licèt hoc peccatum potuerint angeli committere, hoc tamen primum fuiſſe ipſorum peccatum propter quod corruerint, non ſatis firmo fundamento aſſeritur, cùm ex ſacris litteris aliud potius colligatur, vel denique ratio ſpecialis illius ſuperbiæ dici poteſt, quod cùm præuidiſſent angeli vt homines Chriſti ſanguine redempti, ac ipſius gratia iuſtificati in cœlum aſſumerentur, hoc moleſtè tuliſſe, nec voluiſſe homines habere ſocios, ſed ſubiectos. Licet enim iſtud ſicut & pręcedens peccatum per ſuperbiam potuerint angeli committere, non ſatis firmo fundamento aſſeritur. Cùm igitur noſtra hęc aſſertio haſce difficultates nõ patiatur, & hac poſita facilè intelligatur angelos nõ ex incogitantia, neque ex errore aliquo ſpeculatiuo, ſed ex errore practico & ex mera malitia per inſignem ſuperbiam non tantùm ex parte modi, ſed etiã ex parte obiecti tùm primùm peccaſſe, videtur cæteris opinionibus anteponenda.

Tertia ratio falſa. *Refellitur.* *Quarta ratio falſa.* *Refellitur.* *Concluſio.*

Porrò ex hoc peccato ſuperbiæ probabile eſt multa alia ſubſequuta fuiſſe, vt peccatũ inuidię tũ circa Chriſtũ, cũ circa homines. Itẽ peccatũ inobediẽtię, vt quod Meſſiã futurũ noluerĩt ſimul cũ bonis angelis adorare, ꝙ illis præceptũ

Ex peccato ſuperbia angelorum multa alia peccata enterſerũt.

fuiſſe probabiliter ex Apoſtolo ad Hebręos 1. colligitur, vbi citat illud ex pſ. 96. *Et adorent eum Angeli eius.* Item alia quoque ſuperbiæ peccata, vt appetitus cuiuſdam principatus ſupra alios etiam Angelos, ac indebiti honoris etiam diuini ſibi ab hominibus exhibendi.

Quandonam Angeli peccauerint. QVÆSTIO IIII.

Nonnulla ex prædictis certa.

EX prædictis præcedenti qu. Diſput. ſatis conſtat Angelos in primo inſtanti ſuæ creationis non peccaſſe; ſed per illud inſtans, & fortaſſis etiam per aliquam morulam immediatè ſequentem Deo gratos fuiſſe, & continuò poſt in peccatum corruiſſe, vt iam dictum eſt diſp. præcedenti q. 3. & quidem primùm peccaſſe peccato ſuperbiæ eo modo quo explicatum eſt, & etiam fortaſſis per totam reliquã moram quæ inter ipſorum creationem ac damnationem interceſſit, alia etiam tũ eiuſdẽ, cũ alterius generis, vt inuidiæ & inobediẽtiæ, itẽ infidelitatis peccata perpetraſſe, ac tandem in vltimo eius moræ inſtanti, damnatos fuiſſe.

Nodus difficultatis.

Verùm difficultas eſt; vtrũ angeli potuerint peccare in primo illo ſuæ creationis inſtanti: negat quidẽ S. Tho. hîc q. 63. ar. 5. Probabiliùs tamen vt nobis videtur aſſerit Scot. in ſecundum ſent. diſt. 5. q. 2. nam neque ex parte angelorũ videtur id fuiſſe impoſſibile, cũ fuerint æquè liberi in primo inſtanti atq; in ſecundo, neque ex parte Dei, cùm nõ oportuerit aliter

Probatur difficultas.

Deum concurrere ad peccatum illorum in primo inſtanti, quàm in ſecundo ſeu in ſequenti mora, nempè vt cauſam vniuerſalem ad ſubſtantiam actus, non verò ad ipſius defectum; neque enim neceſſe eſt omnes actus qui ſimul cum re aliqua incipiunt, ſoli cauſæ illam producenti adſcribi, vt iam ſuprà monuimus diſp. 5. huius tract. qu. 3. propoſitione prima.

Quinam, & quotnam Angeli peccauerint, & an aliquis eorum dux fuerit.
QVÆSTIO V.

TRia hîc tribus ſequentibus propoſitionibus explicanda proponuntur.

Prima propoſitio. Probabile eſt non ex vno tantùm, ſed ex pluribus ordinibus fuiſſe eos Angelos qui peccauerunt; & colligitur ex cap. 6. Epiſtolæ ad Epheſios, vbi dæmonibus variorum ordinum, vt principatuum & poteſtatum nomina tribuuntur: & quidem aliquos è quouis Angelorum ordine peccauiſſe iuxta ſententiam D. Thomæ hîc art. 9. ad 3. ex eo coniicitur, quod veroſimile ſit aliquos homines beatos in quemlibet Angelorum ordinem ad inſtaurandas lapſorum ruinas, aſſumendos eſſe. *Prima propoſitio.*

Secunda propoſitio. Veroſimile eſt quod docet D. Thom. hîc art. 9. & alij communiter in 2. Sent. diſt. 6. pauciores fuiſſe eos qui peccauerunt, quàm eos qui in bono perſtiterunt. Probatur primùm authoritate ſacræ *Secunda propoſitio.* *Probatur authoritate.*

Scripturæ Apoc. 12. vbi dicitur draco, traxiſſe ſecum tertiam partem ſtellarum duntaxat. Præterea ratione hac D. Thomæ, quia peccatum eſt contra naturalem inclinationem, ea autem quæ contra naturam fiunt vt in paucioribus accidunt; natura enim conſequitur ſuum effectum, vel ſemper, vel vt in pluribus: quare conſentaneum fuit, vt ex Angelis pauciores peccarent, plures verò in bono perſeuerarent. Neque obſtat quod plures homines peccent quàm iuſtè viuant; qui enim ex hominibus peccant, ad malum inducuntur ex quadam inclinatione ad bonum ſenſibile, quod eſt hominibus magis notum, & ſæpius cum bono rationis pugnat, quod locum non habet in Angelis.

Ratione confirmatur.

Obiectioni occurritur.

Tertia propoſitio.

Tertia propoſitio. Inter Angelos qui peccauerunt aliquis eſt cæterorum veluti dux qui fuit ipſis author peccandi, non quidem ipſos cogendo, ſed ſuggerendo ac ſuadendo, vt docet D. Thomas hîc qu. 63. art. 8. & alij Theologi communiter in ſecundum Sent. diſt. 6. quod quidem colligitur ex variis ſacræ Scripturæ locis, in quibus exprimitur aliquis malus cæterorum veluti dux & anteſignanus. Sic Apocal. 12. dicitur ille draco traxiſſe ſecum *Tertiam partem ſtellarum*, & reliqui dicuntur ipſius Angeli ac veluti miniſtri, vt ibidem, *Draco & Angeli eius pugnabant*. Idemque ſignificatur Matth. 25. *Ite in ignem æternum qui paratus eſt diabolo & Angelis eius*. Vnde D. Hieron. in illud Iſaiæ 14. *Tu terram tuam perdidiſti. Tu populum tuum occidiſti*, de Luci-

Probatur.

fero interpretatur qui cæteris quaſi ſibi ſubie-ctis, perditionis ac ęternæ mortis cauſa extitit. Verùm ſciſcitabitur hîc forſan aliquis, vtrùm dux iſte malorum Angelorum fuerit aliquando ſupremus omnium. Reſpondetur id nobis probabile videri, vti docet etiam D. Tho. hîc art. 7. In qua etiam ſententia fuerunt plerique Sancti Patres, vt docet D. Baſilius lib. 4. contra Eunomium, Gregor. Mag. lib. 32. Moral. cap. 25. & D. Bern. Serm. 1. de Aduentu. Quod ex pleriſque ſacræ Scripturæ locis colligitur. Vnde Iſaiæ 14. vocatur Lucifer quaſi reliquis omnibus Angelis ſicut Lucifer ſtellis perfectione antecelleret. Et Ezech. 28. quaſi per antonomaſiam dicitur ſignaculum ſimilitudinis diuinæ, diciturque omnis lapis pretioſus operimentum eius, vbi nouem pretioſorum lapillorum genera enumerantur, ad nouem Angelorum ordines exprimendos, quorum omnium perfectiones ipſe vt ſuperior in ſeipſo continere intelligeretur, ſicuti Greg. Mag. loco citato interpretatur. Prętereà Iob. 40. *Principium viarum Dei* nuncupatur. Et Ezech. 33. Cedros Libani non fuiſſe ipſi adæquatos ſignificatur.

Dubitatio.

Solutio.

An intellectus dæmonum ad omnem veritatis cognitionem ſit obcæcatus.

QVÆSTIO VI.

Cognitio veritatis in Angelis duplex in genere, & in ſpecie triplex.

VEritatis cognitio in Angelis generatim loquendo eſt duplex, vt notat hîc S. Thomas qu. 64. art. 1. vna quæ habetur per naturam; & altera quæ habetur per gratiam, & ea quidem quæ habetur per gratiam, vna quę eſt ſpeculatiua tantùm, cùm nempè aliquid cuippiam Angelo diuinitùs reuelatur; altera quæ eſt affectiua, Dei amorem excitans, quæque ad ſapientiæ donum pertinet. Harum igitur trium cognitionum, prima in dæmonibus, neque ablata eſt, nec diminuta: conſequitur enim naturam Angeli de qua cùm ſit planè ſpiritualis, nihil quidquam in pœnam detrahi poteſt, ſicut nonnumquam humani corporis partes in ſupplicium abſcinduntur: Ideoque D. Dionyſ. cap. 4. de diuinis nomin. ſcribit, dona naturalia in eis integra remanſiſſe. Altera verò cognitio per gratiam quæ in ſpeculatione poſita eſt, non eſt eis prorſus totaliter ablata, ſed diminuta, quia nempè de diuinis arcanis pauciora eis reuelantur, idque adhuc obſcurè, nempè vel mediantibus bonis Angelis, vel per aliqua temporalia diuinæ virtutis effecta, vt docet D. Aug. lib. 9. de ciuitate Dei cap. 21. non autem ſicut ipſis bonis Angelis quibus plura & clariùs in ipſo verbo reuelantur. Denique à tertia cognitione totaliter priuati ſunt ſicut & à charitate: impoſſibile

De prima cognitione.

De ſecũda.

De tertia.

enim eſt eiuſmodi cognitionem eſſe abſque aliquo charitatis effectu.

Porrò hùc ſpectat quod docent, tùm Mag. Sent. lib. 2. diſp. 7. cùm D. Tho. hîc loco citato ex Iſidoro lib. de ſummo bono cap. 12. triplici acumine ſcientię vigere dæmones, ſcilicet ſubtilitate naturæ, experientia temporum, & reuelatione ſupernorum ſpirituum. Quod etiam ante illos docuit D. Aug. lib. 2. ſuper Geneſ. cap. 17. *Corollariũ.*

An, & quomodo voluntas dæmonum in malo ſit obſtinata.

QVÆSTIO VII.

QVæ circa propoſitam quęſtionem tùm certò cùm probabiliter teneri poſſunt, ſequentibus propoſitionibus explanabuntur.

Prima propoſitio. De fide eſt, vt docet D. Tho. hîc qu. 64. art. 2. voluntatem dæmonum ita eſſe in malo obſtinatam, vt non poſſint vnquam flecti ſeu conuerti in bonum. Probatur primùm ex iis locis ſacræ Scripturæ, in quibus miſerrimus damnatorum ſtatus ſempiternus eſſe ſignificatur, vt Eccl. 11. *In quocumque ceciderit lignum, ibi erit.* Iſaię vltimo. *Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur.* Matth. 25. *Ite in ignem æternum, &c.* Apoc. 20. *Cruciabuntur die ac nocte in ſęcula ſęculorum.* Secundò ex communi conſenſu Sãctorum Patrum, & D. Aug. Hieron. & aliorum, aduerſus errorem Origenis qui lib. 1. περὶ ἀρχῶν cap. 6. probabile duxit, *Prima propoſitio.* *Probatur*

& beatos peccare, & damnatos poſſe reſipiſcere.

Secunda propoſitio. Secunda propoſitio. Conſtat fermè apud omnes Theologos dæmones perpetuò exercere malum aliquem actum, præſertim impatientiæ & acerbiſſimi odij erga Deum. Vnde illud Pſal. 37. *Superbia eorum qui te oderunt aſcendit ſemper*, de dæmonibus exponi docet S. Doctor loco citato, & ſanè triſtis illa cogitatio ſui miſerrimi ſtatus in qua veroſimile eſt eos perpetuò verſari cum ſumma deſperatione & afflictione coniuncta, nonniſi ſummam impatientiam & acerbiſſimum Dei odium in prauis illis ſpiritibus parere poteſt.

Probatur.

Tertia propoſitio. Tertia propoſitio. Conſtat etiam apud omnes cauſam tantæ obſtinationis in malis Angelis non tàm ex grauitate culpæ, etſi nõnihil ad id conferat, vt ex ſequentibus patebit, quàm ex conditione ſtatus quæ ex prǽſcripto diuinæ prouidentię ordine pendet, petendam eſſe, vt rectè monet S. Doct. loco citato. Deus enim iuſto ſuo iudicio decreuit Angelorum peccata poſt lapſum ſicut & hominum poſt obitum eſſe irremiſſibilia. Vnde illud ſcitè dictum à D. Damaſceno lib. 2. de fide orthodoxa cap. 4. *Hoc eſſe hominibus mortem, quod eſt Angelis caſus ſeu lapſus.*

Quarta propoſitio. Prima ratio ſpecialis obſtinationis Angelorum. Quarta propoſitio. Duo videntur ad conditionem miſerrimi ſtatus dæmonum pertinere, quę dici poſſunt ambæ ſpeciales cauſę ſeu rationes perpetuę obſtinationis ac impœnitentię dęmonum: quarum altera probabilis, altera verò certior. Prior illa eſt quam affert S.

Digitized by Google

Tho. hîc loco citato, nempè quod voluntas Angeli electione cuiuſpiam rei bonæ vel malæ facta, ipſi immobiliter adhæreat, ita vt non poſſit amplius repudiare quod deliberatè amplexa eſt, aut illud amplecti quod deliberatè recuſauit. Cur autem voluntas Angeli ſic immobiliter adhæreat, rationem reddit S. Tho. in hunc modum: Vis (inquit) appetitiua proportionatur apprehenſiuæ à qua mouetur, ſicut mobile à motore; quo fit vt quia ſenſus eſt apprehenſiuus ſingularium, intellectus vniuerſalium: idcirco appetitus ſenſitiuus ſit boni tantùm particularis, intellectiuus verò boni vniuerſalis; differt autem apprehenſio Angeli ab apprehẽſione hominis in hoc, quod Angelus apprehendit immobiliter per intellectum, ſicut & nos immobiliter apprehendimus prima principia quorum eſt intellectus, homo verò per rationem apprehendit mobiliter diſcurrendo de vno ad alterum, poteſtque ad alterutrum oppoſitorum probabiliter procedere; hinc fit vt voluntas hominis adhęreat alicui mobiliter, ita vt poſſit ab ipſo liberè diſcedere & contrario adhęrere: at verò voluntas Angeli fixè & immobiliter adhæreat. Ex quo patet liberum arbitrium hominis flexibile eſſe ad oppoſita antè & poſt electionem; liberum autem arbitrium Angeli eſſe flexibile ad vtrumque antę electionem, ſed non poſt. Sic boni Angeli adhærentes iuſtitię ſunt in illa confirmati, mali verò adhærentes malitię ſunt in ipſa ſimiliter obſtinati. Dixi autem hanc rationem eſſe

Cur voluntas Angeli immobiliter adhæreat.

probabilem duntaxat, quia probabile etiã eſt, imo & fortaſſis veroſimiliùs Angelorum voluntatem etiam electione facta, naturâ ſuâ eſſe flexibilem, vt docent D. Bonauent. in 2. Sent. diſt. 7. parte 1. art. 1. qu. 1. Scot. in 2. Sent. diſt. vnica, Durandus ibidem & alij, licèt non ſit diffitendum quin longè difficiliùs quàm homo, dimoueatur Angelus ab eo quod ſibi ſemel propoſuit: nam vt eſt perfectiori intellectu & voluntate præditus, ita etiam firmiori conatu apprehendit & eligit. Altera ſpecialis ratio quam certiorem eſſe arbitramur, perpetuæ obſtinationis ac impœnitentiæ Angelorum, eſt iuſtiſſima gratiæ ad ipſorum conuerſionem neceſſariæ denegatio: æquiſſimum enim eſt, vt Deus ipſis ſicut & cęteris damnatis illam gratiam deneget in eo ſtatu æternæ damnationis in quo ſunt, quia hoc ſempiternæ prouidentiæ decreto conforme eſt, quo ſtatuit Deus eos qui ſemel damnarentur, nunquam ad pœnitentiam conuertendos. Cur autem Deus per illam moram licèt breuiſſimam in qua peccauerunt Angeli, non dederit ipſis pœnitendi gratiam antequàm damnarentur, aut cur illis non conceſſerit maius aliquod temporis ſpatium in quo pœnitere potuiſſent, eadem fermè eſt ratio, ac cur eadem quibuſdam reprobis non concedat, quod aliàs explicatum eſt in primo tractatu huius partis diſp. 17. qu. 2. propoſ. 3. vbi de reprobatione.

Secunda ratio ſpecialis obſtinationis Angelorũ.

Nota.

Notandum tamen eſt obiter nonnullas probabiles rationes in mediũ adduci à Sãctis Patribus, cur Deus non idẽ ſpatiũ quo pœnitere poſſent

poſſent Angeli ipſis conceſſerit, quod ſolet hominibus cōcedere. Itē cur nullos ex iis qui ceciderunt conuerti permiſerit ſicut humanam naturã poſt lapſum ad pœnitentiam & ſalutem reuocauit: Prioris enim rationem red dunt, quia homines tempore indigent vt ea cognoſcant, & eligant quæ ſibi ad ſalutem cō-ducibilia ſunt. Poſterioris verò rationem afferunt, tùm quia tota natura Angelica non perierat, ſicut tota natura humana propter lapſum primorum parentum, quæ idcirco inſtaurari debuit, vt docet D. Aug. in Enchirid. c.27. tùm quia Angelus nō ex infirmitate carnis, vt ſolent homines, ſed ex ſola voluntatis prauitate lapſus eſt, vt notant D. Grego. lib. 4. Moral. c.9. & Caſſian. collatione 4. c.19.

Si quæras, vtrũ poſſint mali Angeli aliquem actum moraliter bonum exercere. Reſpondetur, etſi nulla ſit in hoc aperta repugnantia, præſertim ſi ſupponamus voluntatem Angelorum etiam poſt lapſum natura ſua ſemper eſſe flexibilem, iuxta Diui Bonau. & Scoti ſententiam, nihilominus tamen aſſerendum eſt de facto illud rarò aut fortaſſis numquam euenire. Nam vt rectè ait Mag. Sentent. lib. 2. diſt. 7. & D. Th. hîc q.64. art.2. ad quintum, licèt aliquando aliquid velint quod bonum eſt, quodque etiam Deum velle norunt, non tamen iſtud bona voluntate appetunt, quo fit etiam vt ipſo naturali bono quod in ipſis inſitum eſt, ad malum ſemper abutantur. *Dubitatio.* *Solutio.*

Quomodo, quandonam, & vbi dæmones torquеantur.

QVÆSTIO VIII.

QVID circa tres propoſitas difficultates probabilius nobis ſentiendum videatur ſequentibus propoſitionibus aperiemus.

Prima propoſitio. Prima propoſitio. Certum eſt dæmones dolore aliquo affici, quatenus dolor accipi poteſt pro ſimplici actu voluntatis renitentis ad id quod eſt, vel non eſt, vt explicat S. Doct. hîc q. 64. art. 3. quatenus dæmones multa volunt non eſſe quę ſunt, & eſſe quæ non ſunt. Confirmatur, quia exploratum eſt dæmones pœnâ affici: atqui de ratione pœnæ eſt quod voluntati repugnet, ſeu quod voluntas ipſi renitatur, quod eſt dolore ſeu triſtitiâ affici. *Probatur.* Præterea, conſtat eos priuari beatitudine quam naturaliter expetunt; & in multis iniquam illorum voluntatem cohiberi, ex quibus dolor aliquis naſcatur neceſſe eſt.

Secunda propoſitio. Secunda propoſitio. Non tantùm prædicto modo, ſed etiam alio ſpeciali modo, nempe per ignem infernalem tanquam per inſtrumentum diuinæ iuſtitiæ verè cruciantur dæmones dum in ipſo detinentur, vt colligere eſt ex locis initio præcedentis quæſt. 7. citatis. *Difficultas.* Verùm, quanam ratione id fieri poſſit meritò dubitari poteſt, an videlicèt ignis intentionaliter duntaxat, an etiam realiter ipſos damnatos ſpiritus immu-

tet; Illud enim rationi, hoc verò ſacrarum Scripturarum ac ſanctorum Patrum authoritati videtur magis conſentaneum. Equidē arbitrarer poſſe vtroque modo probabiliter explicari: Priori quidem modo vt ſentiunt tum D. Thom. hîc art.3. cùm etiam Scot. in quartum Sentent. diſt. 44, quæſt. 3. ſi nempe dicamus Angelum ab igne ipſum detinente affligi, quia dum ipſum apprehendit tanquam aliquid ſibi diſconueniens à quo in æternum ſe detinendum eſſe nouit, ex tali apprehenſione triſtitiam ſeu animi moleſtiam contrahit planè ſimilem ei (Deo ita volente) quam animus hominis ex actuali combuſtione ſui corporis. Sicque intelligis iuxta hunc modum explicandi, nullam eſſe realem actionem ignis in ſpiritum per quam incutiatur ipſi aliquis dolor, ſed intentionalem duntaxat qualem habet obiectum reſpectu intelligentis potentię, ita vt ex ſola ipſius ignis apprehenſione tanquam alicuius ſibi diſconuenientis, ſummus ille animi dolor ſeu triſtitia in dęmonibus oriatur. Vbi obiter nota quod ex eiuſmodi apprehenſione tātus ac talis dolor gignatur, prouenire ex ordinatione diuinæ prouidentiæ quæ in pœnam dæmonum tantum dolorem ex eiuſmodi apprehenſione illis obuenire decreuit: Poſteriori verò modo poteſt explicari; ſi dicamus ignem qualitate aliqua ſupernaturali ipſi à Deo collata, realiter agere in ipſos ſpiritus damnatos, incutiendo ipſis dolorem aliquem

Duplici modo dæmones ab igne patiūtur.

Prior modus.

Nota.

Poſterior modus.

ei dolori ſenſibili qui excitatur in corpore dum actu comburitur per ſimilem: & ſanè eiuſmodi cruciatum in damnatis ſpiritibus videntur ſignificare ſacræ Scripturæ, tum locis citatis initio præcedentis quæſt. 7. cùm etiam aliis, vt Luc. 14. vbi anima diuitis epulonis hoc modo cruciata deſcribitur. Idem etiam videntur docere tùm D. Aug. lib. 21. de ciuit. Dei cap. 10. cùm D. Greg. lib. 4. Dialog. c. 29. vbi explicat locum illum Luc. cap. 16. de epulone diuite. Vbi obiter notandum eſt id quod ſuprà addidimus, nempe dæmones ab illo igne torqueri dùm in ipſo detinentur: licèt enim dolore ſemper aliquo ſeu triſtitia afficiantur, etiam, dum in iſto aëre caliginoſo verſantur, longèque diſtant ab illo igne, nō tamen ab ipſo hoc poſteriori modo realiter crucianṭur; Poteſt tamen dici quod priori modo etiam dum ab inferis diſtant ab ipſo igne cruciantur, quia ipſum alioquin diſtantem tanquam ſibi diſconuenientem apprehendunt, & ſic prædictum dolorem ex ipſo totaliter apprehenſo contrahunt, vt docet S. Thom. hîc art. 4. ad tertium.

Notandū.

Tertia propoſitio.

Tertia propoſitio. Etſi probabiliter dici poſſit, pœnam ſenſibilem ſeu quaſi ſenſibilem dæmonum ſaltem aliquorum perpetuam, præſertim ſecundo modo explicatam differri in diem iudicii, eo quòd vſque in illum diem in Infernum nequaquam detrudentur vt illic perpetuo religantur, quo fit vt fortaſſis Lucæ 8. Dominum rogauerint ne mitteret eos in abyſſum,

Digitized by Google

ne videlicet illic torquerentur; nihilominus tamen probabilius exiſtimat ſanctus Thom. hîc art. 4. ad tertium, idem quoad prædictam pœnam ſentiendum eſſe de malis Angelis ac de malis animabus, ſicut idem iudicium ferēdum eſt de bonis animabus & bonis Angelis quoad gloriæ ſtatum. Vnde (inquit) dicendum eſt quod ſicut licèt locus cœleſtis pertineat ad gloriam Angelorum, attamen ipſorum gloria non minuitur cùm ad nos veniunt, quia conſiderant eum ſemper eſſe ſuum locum eo modo quo dicimus honorem Epiſcopi non minui etiamſi non ſedeat in cathedra; ſimiliter dicendum eſt quod dæmones, licèt non actu alligentur gehennali igni, dum ſunt in aëre iſto caliginoſo; attamen ex hoc ipſo quod ſciunt illam alligationem ſibi deberi, eorum pœna non minuitur. Et hæc quidem probabiliter à Diu. Thoma dicuntur, quę tamen non neceſſariò conuincunt, vt patet: ſupponit enim hîc ſanctus Doctor, non aliter dæmones affligi ab igne tartareo, quàm ex eius tanquam diſconuenientis apprehenſione; At probabile ſupra duximus etiam reali actione ipſius ignis dæmones torqueri dum in inferno detinentur: Quare probabilius dici poteſt, quod licèt non omnis pœna ſenſus ab ipſis remoueatur dum in iſto aëre caliginoſo verſantur, aliquid tamen de ipſa minuitur, præſertim iuxta ſecundum explicandi modum, quia nempe tunc reali ipſius ignis actione non cruciantur.

D. Th. ſententia.

D. Th. ſententia non plane conuincit.

Probabilior ſententia.

Quarta propoſitio.

Quarta propoſitio. Locus proprius dæmonum vſque ad diem iudicii non eſt cœlum, neque terra, ſed aliquis medius inter vtrumque, nempe aer iſte caliginoſus ex media ac infima aeris regione conſtans, qui vt loquitur Diuus Auguſt. lib. 3. ſuper Geneſ. cap. 10. eis quaſi carcer vſque ad tempus iudicii deputatus eſt: quam Auguſt. ſententiam amplectitur Magiſt. Sentent. lib. 2. diſt. 6. & D. Thom. hîc art 4. non quod nulli ſint in inferno dæmones, neceſſe enim eſt ibi ſemper eſſe aliquos tùm qui animas damnatorum illuc deducant, tùm qui ipſas inibi crucient; ſed quod ibi nondum perpetuò demorentur, ſed fortaſſis alternis vicibus illuc deſcendant, & inde exeant, donec poſt diem iudicii illuc omnes detrudantur, ac in perpetuum alligentur: Quamuis de Lucifero quidam probabiliter exiſtiment ibi, nempe in inferno ipſum eſſe religatum vſque ad tempora nouiſſima Antichriſti, quando futurum eſt vt inde exeat, & ſeducat gentes, vt ſcribitur Apoc. 20. Eſſe autem illuc detruſum vel ſtatim ex quo cecidit pro peccati ſui magnitudine, vel ſaltem ab eo tempore quo Chriſtum tentauit in deſerto, vel in paſſione perſequutus eſt, ac ab ipſo ſuperatus: Ipſum enim probabiliter putant primum hominem tentaſſe ac viciſſe, & ſecundo Deũ hominem factum, ſed ab ipſo victum eſſe, & ideò in inferno religatum, vt ſcribit Mag. Sentent. loco citato.

Probabile eſt Luciferum in inferno detineri alligatum,

Digitized by Google

Sed hæc de iis quæ ſpectant ad Angelos, tum bonos, cùm malos dicta ſint in honorem eius, qui tum hominum cùm Angelorum, ac vniuerſæ creaturæ caput
eſt, cui honor & gloria in ſæcula
ſæculorum. Amen.

Digitized by Google

TRACTATVS QVINTVS.

DE CREATVRA PARTIM CORPOREA, PARTIM SPIRITVALI.

SEV

De homine quoad ſtatum innocentiæ ac eius lapſum, in quatuor diſputationes diuiſus.

ETSI vtriuſque intellectualis creaturæ, Angeli nempe ac hominis conſideratio peculiari quadam ratione ad Theologũ magis quàm cuiuſlibet alterius creaturæ pertineat, eſt tamen notandum illud diſcrimen, quod ea quæ de Angelis inſtitui poteſt diſquiſitio, tota fermè Theologica eſt, non item ea quæ de homine. Quàm multa enim de homine diſputari poſſunt quæ partim ad Phyſiologum, partim ad Medicũ, partim etiam ad Moralem philoſophum pertinent: ex quibus pleraque hoc loco etiam ab inſignioribus Theologis, vtinam

Digitized by Google

tam opportunè quàm eruditè tractari ſolent. Nos verò, ne Theologici inſtituti limites prętergrediamur, de his omnibus dicere ſuperſedebimus, ac beneuolum Lectorem ad noſtrā Summam Philoſophicam cum bona eius venia remittemus. De iis igitur dūtaxat quę per ſe ad Theologum pertinent in hac Summa diſſeremus, neque adhuc de omnibus quæ circa hominem diſputari poſſunt in Theologia hoc loco dicemus, ſed tantùm de iis quæ ad primam eius conditionem, nempe quæ ad primum eius ſtatum qui dicitur innocentiæ ac primum eius lapſum pertinent.

Quatuor huius tractatus diſputationes

Et quoniam ea quæ circa ſtatum innocentiæ primi hominis dicenda occurrunt ad tria pręcipua capita reuocari poſſunt, nempe vel ad ipſius corpus, vel ad ipſiuſmet animam, vel ad naturæ ipſius ſpecificæ propagationem; hinc tres inſtituentur circa illum innocentiæ ſtatum diſputationes; quibus addetur quarta de primi ipſius hominis lapſu.

PRIMA DISPVTATIO.

DE IIS QVÆ AD CORPVS PRIMI HOMINIS IN STATV INNOCENTIÆ PERTINENT.

QVÆ de corpore primi hominis in ſtatu innocentiæ à Theologis diſputari poſſunt, vel ad eius productionem, vel ad ipſius

conſeruationem ſpectant;& quoniam non ſimul nec eodem modo viri ac mulieris corpus productum eſt, idcircò priùs de productione corporis Adæ, deinde de productione corporis Euæ, & poſtea de iis quę ad ipſius corporis conſeruationem pertinent hac prima diſputatione quanta fieri poterit breuitate diſſeremus.

Tria hic conſiderãda.

Quomodo productum ſit corpus Adæ.
QVÆSTIO I.

DISQVIRENDÆ ſunt hoc loco omnes & ſingulæ huius primę productionis circunſtantiæ, nempe vnde, à quo, quale, & qua ratione primi hominis corpus productum ſit. Quæ omnia ſequentibus propoſitionibus ſummatim explicabuntur.

Prima propoſitio.

Prima propoſitio. Corpus Adæ fuit productum ex materia ſeu ſubſtantia quatuor elementorum, peculiariter tamen (quia terra & aqua in ipſo abundant ſecundùm ſubſtãtiam) de limo terræ, id eſt, de terra aquæ permixta formatum dicitur Geneſ.2. Quod autem congruum fuerit corpus primi hominis ex quatuor elementorum ſubſtantia componi, hac præclara ratiocinatione demonſtrat S. Doct. hîc, nempe pr. parte qu. 91. art. 1. Cùm Deus ſit ſummè perfectus, perfectionem ſingulis ſuis operibus pro naturali ipſorum captu contulit, iuxta illud Deuter. 32. *Dei perfecta ſunt opera*, & quidem ſpecialiori quadam ratione intellectuali creaturæ, Angelo nempe & homi-

Corpus humanum ex quatuor elementorum ſubſtantia componi decuit.

ni, quatenus nempe omnem aliarum rerum perfectionem quam ipſe in ſe vnitè & virtualiter continet, vtrique aliquo modo licèt diuerſo contulit: Angelis quidem modo nobiliori, nempe ſecundùm notitiam, quatenus nempe voluit omnia quodammodo eſſe in ipſo intellectu Angelico inquantùm naturaliter omnia ab ipſo cognoſci poterant; homini verò modo quodam deteriori, nempe ſecundùm compoſitionem, quatenus homo ex omnibus cæteris rebus cōſtare videretur, velut alter paruus mundus, nempe ex ſubſtantia ſpirituali animæ, & ex ſubſtantia corporea tùm cœleſti, cùm elementari; ex cœleſti quidem ſecundùm virtutē quæ in ipſius pectore inſidens videtur eius operationis principium, quæ ſpecialiter vitalis appellatur, non verò ſecundùm ſubſtantiam: neque enim cœleſtis ſubſtantia in ſtruendis ſeu adornandis humanorum ſenſuum organis erat idonea: Ex elementari verò non tantùm ſecundùm virtutem, ſed etiam maximè ſecundùm ſubſtantiam, ſaltem ratione materiæ ſecundæ, id eſt, ſuis natiuis qualitatibus inſtructæ, vt aliàs de naturali corporum mixtione in ſecunda parte noſtræ Phyſ. docuimus; ita tamen vt ſuperiora elementa, nempe ignis & aër, in ipſo prædominentur ſecundùm virtutem, quia vita præcipuè cōſiſtit in calido & humido; quorum illud ab igne, hoc ab aëre eſt: inferiora verò, nēpe terra & aqua, in ipſo abundent ſecundùm ſubſtantiam ſeu materiam & qualitatem; neque enim aliter potuiſſet eſſe mixtionis æqua-

litas, niſi inferiora elementa quæ ſunt mino-ris virtutis ſecundùm quantitatem in homine abundarent. Et idcircò humanum corpus de limo terræ formatum dicitur, id eſt, de terra & aqua, non item de aliis, etiamſi ex ipſis etiam conſtet, quia nempe in ipſo mixtùs abundant ſecundùm quantitatem. Adde etiam de igne & aëre in hac ſpeciali humani corporis efformatione mentionem non fieri, ſicut nec in tota generali rerum productione, quia iſtiuſmodi elementa ſenſu non percipiuntur à rudibus, valde autem rudi populo mundi huius fabrica à Moyſe tradebatur.

Cur in fabrica corporis humani non fiat mentio ignis & aeris.

Secunda propoſitio.

Secunda propoſitio. Corpus primi hominis à ſolo Deo immediatè productum eſt: quod Sacræ Litteræ teſtantur, quæ primi hominis formationem ſoli Deo tribuunt, Geneſ. 1. & 2. cap. & Eccl. 17. *Deus de terra creauit hominem*, & quidem ita corpus Adæ à ſolo Deo efformatum fuiſſe, vt nequidem naturali Angelorum virtute procreari potuerit, ratione probat S. Doct. hic qu. cit. art. 2. Non enim ſola forma, ſed totum compoſitum per ſe gignitur, cumque vnumquodque à ſimili generetur, fit vt compoſitum naturale non niſi ab alio, non autem à forma aliqua ſeparata, vt eſt Angeli ſubſtantia naturaliter produci queat: Reſtat igitur vt à ſolo Deo produci poſſit, qui qua eſt infinita virtute, poteſt formam in materia abſque vllius alterius formæ materialis adminiculo procreare; hinc etiam fit quod Angeli non poſſint vllam in corporibus formam, niſi adhibita aliqua cuiuſpiam naturalis agentis

Corpus humanum nō potuiſſe ab Angelo efformari oſtenditur.

Digitized by Google

vi producere, vt rectè docet D. Aug. lib. 3. de Trinit. cap. 8. & 9. Licèt propterea non ſit negandum, vt rectè notat D. Tho. art. cit. ad primum, Angelos in illa corporis humani efformatione aliqua miniſteria fortaſſis adhibuiſſe, v. g. puluerem in aliquo loco collegiſſe, & in limum compegiſſe, ſicut etiam futurum eſt vt in generali corporum reformatione pulueres cadauerum colligant.

Tertia propoſitio. Corpus humanum, cum optima ad ſuum finem diſpoſitione, tũ quoad membrorum conformationem; tum quoad natiuarum qualitatum temperiem, à Deo procreatum fuit, iuxta illud Eccl. 7. *Deus fecit hominem rectum*, id eſt, optimè diſpoſitum. Idemque confirmat D. Thom. hîc art. 3. in hũc modum. Cùm enim res naturales ſint ab arte diuina productæ, habent ſe ad Deum veluti quædam artefacta ad ſuum artificem: quilibet autem artifex intendit operi ſuo optimam diſpoſitionem inducere, non ſimpliciter, ſed in ordine ad finem, licèt hæc diſpoſitio defectum aliquẽ neceſſariò adiunctum habeat: credendum igitur eſt Deum vnicuique rei naturali optimam diſpoſitionem nõ quidem ſimpliciter abſque vllo planè defectu, ſed in ordine ad ſuum finem indidiſſe; finis autem proximus humani corporis eſt anima, ac eius operatio multiplex, materia enim omnis eſt propter formam, & inſtrumentum propter operationem. Quare concludendum eſt Deum effinxiſſe corpus humanum cum optima diſpoſitione in ordine ad animam rationalem & proprias eius operationes, ſiue ipſius figuram, ſtaturam ac

Tertia propoſitio.

Ratione probatur.

membrorum diſpoſitionem, ſiue qualitatum natiuarum temperiem conſideret. Neque obeſt quod optima hæc corporis humani diſpoſitio defectum aliquem ſibi neceſſariò adiunctum habeat; hoc enim non ex defectu cauſæ producentis, ſed ex materiæ conditione ad talem finem neceſſariò requiſitæ prouenit, verbi gratiâ, ex abundantia cerebri, quæ neceſſaria fuit ad rationis vſum, oritur in homine sũma præ cæteris animantibus olfactus imbecillitas, & ex innata eiuſdem cerebri frigiditate, naturalis aliquorum aliorum ſenſuum debilitas, vt ſcitè monet D. Tho. hîc ad primum; item ex ſumma temperamenti æqualitate quę homini debebatur, ſequitur corpus humanũ iniuriis aëris eſſe omnium maxime obnoxiũ, vtpotè naturalibus tegumentis ſicut etiam & aliis naturalibus præſidiis quæ cæteris animãtibus innaſcũtur, deſtitutum, vt etiam ibidem docet S. Thom. ad 2. licèt tamen loco illorum omnium Deus homini præter rationem, manum quæ eſt inſtrumentum inſtrumẽtorum, prouidè indiderit. Porrò ſtaturam hominis erectam eſſe debere optimis rationibus demonſtrat S. Doctor prædicto art. 3. ad 3. Verũ de optima hominis fabrica, lege Lactantium lib. de opificio Dei cap. 2. & Greg. Nicen. lib. de opificio hominis cap. 7. 8. 9. 10. & præſertim 30. & ex prophanis Tullium lib. 2. de Natura Deorum, & præſertim Galenum libris de vſu partium. Huc etiam ſpectat quod ex D. Aug. lib. 6. ſuper Gen. ad literam cap. 14. docet Mag. Sent lib. 2. diſt. 17. primum hominem in

Obiectioni occurritur.

Cur erecta ſit hominis ſtatura.

Digitized by Google

virili & obfirmata iam ætate à Deo procreatum fuiſſe.

Quarta propoſitio. Deus corpus primi hominis non immediatè ex nihilo creauit, ſed ex prædicta 4. elementorum materia in inſtanti, aut etiam breuiſſimo tempore efformauit; licèt tamen ipſum dici poſſit creauiſſe, eo quod materiam ipſam humani corporis paucis antè diebus ex nihilo produxerat. Porrò eodem ipſo inſtanti quo omnes humani corporis partes, tùm homogeneas vt oſſa, carnem, cutem, cum heterogeneas vt caput, pectus, manus, pedes, &c. inſtruxit, ſimul vitæ ſpiraculũ in faciem eius inſpirauit, ſeu animam in ipſum infudit; & ſicut animam ipſam non priùs creauit quàm infunderet, ſed creando infudit & infundendo creauit, vt loquitur Mag. Sent. loco anteà citato, ita non priùs corpus efformauit quàm per animam informaret, ſed efformando informauit, & informando efformauit, vt conformiter communi ſanctorum Patrum ſententiæ docet S. Thom. hîc art. 4. ad 3. quo etiam articulo oſtendit humani corporis fabricam in ſacris literis, nempe 1. & 2. c. Gen. optimè deſcriptam eſſe. Porrò Scriptura ideò commemorat inſpirationem animæ in corpus poſt corporis efformationem, non quia corporis formatio inſpirationem animæ tempore præceſſerit, ſed vt clariùs modum illius formationis explicaret. Quemadmodum etſi tota hominis productio fuerit cap. 1. Gen. commemorata, non otioſè tamen reperitur c. 2. vt illius procreationis modus planiùs explicaretur.

Quarta propoſitio.

Corporis fabrica optimè deſcripta.

Digitized by Google

Quinta propoſitio. Corpus hominis ac proinde totus homo fuit productus 6. die, cumque cætera animalia ipſo manè producta eſſent, probabile eſt hominem circa meridiem fuiſſe procreatum, & quidem extra Paradiſum, vt cõſtat, cuius rei rationem reddit Mag. Sent. loco citato, tùm quia inquit non erat in eo permanſurus, tùm ne illud naturæ, ſed gratiæ aſſignaretur; & fortaſſis, vt docti plerique arbitrantur, in agro Damaſceno Iudææ, fortè etiam in ipſo monte qui poſtea Caluariæ dictus eſt, vbi ipſum ſepultum fuiſſe plerique exiſtimant, & vbi conſtat ſecundum Adamũ mortem ſubiiſſe, vt homines mortuos ad veram vitam reuocaret, ſimulque ad ſui imaginem ac ſimilitudinem reformaret.

Quinta propoſitio.

Ratio.

Quomodo corpus Euæ productum ſit.

QVÆSTIO II.

CIRCA propoſitam quæſtionem nonnullæ difficultates occurrũt breuiter explicãdæ.

Prima. An corpus primæ mulieris ſeu ipſa mulier ſtatim in ipſo rerum exordio produci debuerit. Cui reſpondetur ita eſſe ex D. Tho. hîc quæſt. 92. art. 1. tùm quia ita à Deo factum eſt, vt conſtat ex cap. 1. & 2. Geneſ. non eſt autem dubium id fieri debuiſſe quod Deus fieri voluit; tùm quia neceſſarium erat fœminam fieri in adiutorium viri, vt dicitur Gen. 2. non quidem ad aliquod laboris opus peragẽdum, cùm ad id commodiùs iuuari potuiſſet vir per alium

Prima difficultas.

Aſſertio tenenda probatur.

alium virum quam per mulierem, ſed ad opus generationis quo nempe aptè & conuenienter propagaretur genus humanum, vt docet D. Aug. lib. 9. ſuper Geneſ. ad literam cap. 3. 4. & 5. Vbi obiter nota ſuppoſitâ coniugali ſocietate, nonnulla eſſe neceſſaria familiæ opera quæ aptiùs per fœminam vt vxor eſt, quàm per virum fieri conſueuerunt, vt rectè monet hîc D. Th. art. 2. & Philoſophus 3. Oeconom. c. 3. Nota etiam corpus mulieris non ſimul cum corpore viri, ſeu mulierem non ſimul cum viro productam fuiſſe, vt inde colligas hominem ad longè nobilius quàm generationis opus deſtinatum eſſe, ſicut etiā quia animalia perfecta ad aliquod nobilius opus quàm generationis deſtinata ſunt, idcirco nō fuit neceſſe in ſingulis animalibus omnia ad generationem requiſita reperiri, ſed ſatis fuit potentiam actiuam in maſculis, paſſiuam verò in fœminis inſidere. At quia nullum vitæ opus in plantis præſtantius eſſe poteſt quàm generationis, idcircò omnis potentia ad generationem neceſſaria, actiua nempe, & paſſiua, in ſingulis reperiri debuit. Quo factum eſt vt nulla eſſet in eo genere viuentium propria ſexuum diſtinctio. Neque huic aſſertioni noſtræ obeſt quod Deus præuideret mulierem fore in occaſionem peccandi viro; non enim debuit bonum commune, nempe naturalis humanæ naturæ conſeruatio in ſpecie de medio tolli vt particulare malum vitaretur, præſertim cùm non eſſet neceſſarium illud euenire, ſitque adeò potens Deus Optimus Max.

Nota:

Cur mulier non ſimul cum viro procreata.

Obiectioni occurritur.

Digitized by Google

vt quodlibet malum poſſit in bonum ordinare. Porrò notandum eſt hîc Deum immediatè per ſeipſum efformaſſe corpus Euæ, & quidem in inſtanti, aut certè breuiſſimo tempore ob eaſdem rationes quibus ſuprà docuimus ipſum immediatè produxiſſe corpus primi hominis.

Secunda difficultas. Aſſertio tenenda probatur. Secunda difficultas eſt, An corpus mulieris ex corpore viri fieri debuerit. Reſpondetur ita eſſe ex D. Tho. hîc art. 2. tùm quia conſtat ita à Deo ſapientiſſimo rerum omnium opifice factum fuiſſe, ex Gen. 2. & Eccl. 17. *Creauit ex ipſo*, inquit Eccleſ. *adiutorium ſimile ſibi*; tùm quia multæ ſuppetunt rationes, quæ id congruum fuiſſe euincunt. *Ratio prima.* Primùm, quia id ſpectabat ad quandam primi hominis dignitatem, ac ſpecialem ipſius cum Deo ſimilitudinem, vt ſicut Deus ſolus eſt principium totius vniuerſi, ita ipſe vnicus eſſet principium totius ſuæ ſpeciei. Quò ſpectat illud Apoſtoli Act. 17. *Deus fecit ex vno omne genus hominum.* *Secunda.* Secundò, vt vel ex eo maior eſſet viri erga mulierem amor, cùm ipſam aliquid ſui eſſe intelligeret, vtpote de ipſo ſumptam, quæ ratio his verbis 2. cap. Gen. videtur innui: *De viro ſumpta eſt quamobrem relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori ſuæ.* *Tertia.* Tertiò, vt eò faciliùs ſubeſſet viro fœmina tanquam ſuo principio, & veluti capiti, quod in vita œconomica planè neceſſe eſt, ex 3. Oeconomicorũ c. 3. eſt enim vir caput mulieris, ſicut Chriſtus Caput eſt Eccleſiæ, vt loquitur Apoſt. ad Epheſ. 5. *Quarta.* Quartò denique, vt ea ratione præ-

Digitized by Google

ſignaretur myſterium Eccleſiæ quæ à Chriſto ſponſo vim omnem ac formam ſuam acceptura erat, quò ſpectat illud ad Epheſ. 5. *Sacramentum hoc magnum eſt. Ego autem dico in Chriſto & Eccleſia.*

Tertia difficultas eſt: An corpus primæ mulieris ex coſta viri formari debuerit. Cui reſpondetur ex D. Tho. hîc art. 3. ita eſſe, tùm quia ita à Deo ſapientiſſimè factum eſt, ex Gen. 2. *Ædificauit Dominus Deus coſtam quam tulerat de Adam in mulierem*; Tùm quia id congruum fuiſſe, rationes pleræque comprobant. Primùm enim hac ratione ſignificatur inter virum & mulierem ſocialem coniunctionem intereſſe debere, ita vt mulier neque ſuperioris, neque omninò inferioris & ſubiectæ & veluti ancillæ, ſed adiutricis & ſociæ potiùs loco à viro habeatur; deinde ſignificatur mulierem à viro ſicut coſtam à brachio protegendam eſſe: denique hoc ipſo myſterium inſigne præfigurabatur, nempe fore vt Eccleſia de Chriſti in cruce veluti dormientis latere formaretur, quatenus ex Chriſti ſanguine de ipſius latere defluente oriunda erat vis omnis diuinorum ſacramentorum per quę Eccleſia Chriſti inſtituenda, fouenda, ac perficienda erat.

Tertia difficultas. *Aſſertio.* *Ratio prima.* *Secunda.* *Tertia.*

Verùm obiicies, non videri probabile Euam verè ex coſta Adami procreatam, ſed id figuratè intelligendum eſſe, vt nonnulli minùs conſultè ſentiunt; vel enim coſta illa fuit ſupra numerum ordinarium coſtarum, & ſic cùm primùm Adam creatus eſt, fuiſſet mõſtruoſus,

Obiectio.

Digitized by Google

vel fuit vna de numero ordinariarum coſtarũ, & ſic poſtquàm detracta fuit ab Adamo coſta illa, corpus ipſius mutilum fuit, quod tamen

Solutio prima.

aſſerere videtur perabſurdum. Verùm ad id duobus modis reſponderi poteſt; primùm quidem coſtam illam fuiſſe extra numerum ordinarium coſtarum quæ in cæteris hominibus reperiuntur, nec tamen in primo homine fuiſſe ſuperfluam, cùm eſſet iuxta ordinem diuinæ prouidentiæ inſtituta ad corpus Euæ efformandum, ideoque Adamum etiam dùm coſtã illam haberet, non fuiſſe monſtruoſum.

Secunda.

Secundò & quidem adhuc probabilius reſpondetur, potuiſſe coſtã illam eſſe ex numero ordinariarum, nec tamen Adamum eâ detractâ fuiſſe mutilum, cùm veroſimile ſit Deum aliam coſtam ſimul cum carne & neruis reſtituiſſe; cùm enim dicitur Gen. 2. & repleuit carnem pro ea, per carnem non ſola caro, ſed etiã os ipſum intelligi poteſt, ſicut in eodem textu paulò ante per coſtam quam Deus dicitur tuliſſe de Adam, caro ſimul quæ coſtæ adiacet intelligenda eſt, vt ex ipſis Adami verbis colligitur. *Hoc nunc os ex oſsibus meis, & caro de carne mea.*

Obiectio.
Solutio.

Obiicies iterùm, non potuiſſe totum corpus Euæ ex tam exigua materia coagmentari. Sed reſpondetur cum D. Th. hîc art. 3. ad primum, tantùm materię ad illam coſtã additum fuiſſe à Deo per creationem, quantùm ſufficere potuit ad totius corporis integritatem, ſicut etiã & ad ſubſtantiam quinque panum, ex quibus in Euangelio legitur quinque hominum mil-

d by Google

lia ſatiata fuiſſe, tantũ materiæ appoſitum eſt quantùm ſufficere potuit ad ipſorũ ſaturitatẽ.

Quarta difficultas eſt. Quo loco & quo tẽpore formatum ſit corpus Euæ. Reſpondetur quod ſpectat ad locum, cõſtare quidem illud formatum fuiſſe in Paradiſo terreſtri, quanam autem parte Paradiſi non conſtat; Probabile tamen videri in loco Paradiſi aliquãtulũ diſſito ab Adamo, mulierem fuiſſe formatam, non verò iuxta ipſum Adamum. Quod ſignificare videtur ſacra Scriptura, cùm ait, *Deum ipſam adduxiſſe ad Adam.* *Quarta difficultas* *Aſſertio.*

Quod verò ſpectat ad tempus, nonnullis vt D. Chryſoſtomo, Origeni, & Eucherio in hũc locum Gen. 2. quibus fauere videtur S. Th. hîc q. 73. art. 1. ad 3. viſum eſt, Euam poſt ſextum diem conditam fuiſſe. At longè probabilius eſt quod alii communiter tenent, eodem die quo Adamum, nempe ſexto conditam fuiſſe. Quod vel ex ipſo textu 1. c. Gen. facillimè cõprobatur. Primùm enim Moyſes narrãs opus ſextæ diei, cùm dixiſſet Deum hominem in illo die ſexto creaſſe, continuò ſubiungit, *Maſculum & fœminam creauit eos.* Deinde Deum ambos eodem die ſexto alloquentem inducit, *Creſcite, & multiplicamini,* &c. Denique idem conſtat ex iis quæ tract. 3. huius partis, diſp. 3. q. 7. & 8. docuimus, nempe ſex illis primis diebus omnia à Deo eſſe condita, quæ ad vniuerſi integritatem & perfectionem pertinebant. Neque obſtat quod Moyſes c. 2. Gen. formationem mulieris commemorat; neque enim tantùm mulieris, ſed etiam viri forma- *Quinta difficultas* *Aſſertio.* *Probatur.* *Obiectioni occurritur.*

tionem repetit, ac præſertim primæ mulieris formationem accuratiùs deſcribit ob multa ac præclara myſteria quæ in ea formatione præfigurabantur. Porrò non eſt negandum aliquam morã interceſſiſſe inter productionem viri & mulieris, vt facilè ex ipſa Moyſis enarratione cap.1.& 2 Gen.colligitur, vbi legitur primò fuiſſe collocatum in Paradiſo, deinde adducta fuiſſe ad ipſum animalia vt ea nominaret, & quia inter illa non inueniebatur adiutorium ſimile ipſi, ideò fuiſſe mulierem conditam immiſſo ad hoc primo ſopore in Adam quem futuræ mortis Chriſti fuiſſe prognoſticum omnes communiter tenent: eum autem ſoporem idcircò immiſſum in Adam docet D. Aug.lib.9.ſuper Gen. ad literam cap.vltimo, *Vt mens ipſius per extaſim, diuinorum arcanorum particeps fieret.* Sicque vti aliàs inſinuauimus, nempe tertia par. Phyſ. tract. 3. diſp.3.quæſt. 4. de ſomno & vigilia, ſopor ille primo parenti immiſſus à Deo, reuera ſomnus fuit, non tamen in eo ſolus ſomnus, ſed etiam extaſis fuit, quatenus eo tempore mens Adami ad diuinorum myſteriorum contemplationem diuinitùs euecta eſt.

Nota.

Cur ſopor in Adamo immiſſus.

An homo in ſtatu innocentiæ fuiſſet immortalis, & quomodo.

QVÆSTIO III.

CONSTAT quidem, imò etiam fide certũ eſt, hominem in ſtatu innocentiæ immortalitate aliqua dotatum fuiſſe, nempe ea qua poterat non mori, quæ dici poteſt potentia quædam non moriendi, non verò (præſertim antequam in gratia confirmaretur) quâ non poſſet mori, quæ immortalitas erit propria corporum poſt generalem reſurrectionem, ſicque in ſtatu innocẽtiæ præſertim ante peccatum poterat homo non mori; in ſtatu verò culpæ ac naturæ corruptæ poſt primum illud peccatum non poteſt homo non mori, at in ſtatu reſurrectionis futuræ homo non poterit mori, vt ſcitè notat Mag. Sent. lib. 2. diſt. 19. Quamuis non ſit negãdum poſteriorem hãc immortalitatem potuiſſe etiam aliqua ratione competere homini, ſi in prædicto innocentię ſtatu perſeueraſſet, atque in eo confirmatus fuiſſet, vt valdè probabiliter ſentit D. Bonau. in 2. Sent. diſt. 19. art. 1. quęſt. 1.

Homo in ſtatu innocentia poterat non mori.

Quod igitur homo in ſtatu innocentiæ immortalis fuiſſet ſaltem priori genere immortalitatis, multis ſacrę Scripturæ authoritatibus probari poteſt, & apertiſſimè colligitur ex 2. & 3. Gen. & quidem Sap. 1. dicitur *Deus mortem non feciſſe, nec lætari in perditione viuorum.* Et 2. c. dicitur *Creauiſſe hominem inexterminabilem, inuidia autem diaboli mortem introiuiſſe in orbẽ*

Hominem futurum fuiſſe immortalem in ſtatu innocentiæ probatur.

terrarum. Et ad Rom. 5. *Sicut per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertranſiit in quo omnes peccauerunt.* Idipſum etiam ex ſacris literis probat D. Aug. lib. 1. de peccatorum meritis & remiſſione cap. 2. & c. 4.

Præcipua difficultatis nodus. Verùm tota difficultas eſt, Quanam ratione fieri potuiſſet, vt homo in illo innocentiæ ſtatu perſeuerans omnis corruptionis ac interitus immunis extitiſſet, cùm conſtet ipſam nō moriendi potentiam haudquaquàm ex ipſa hominis natura oriri potuiſſe, cùm nec corpus ipſum, vtpotè ex 4. elementis compactū natura ſua ſit indiſſolubile, nec anima ipſum poſſit vlla naturali virtute ab omni agentis corruptiui ſiue interni, ſiue externi inſultu ſartum tectumque tueri; & certè fatentur omnes nobilioris notæ Theologi, vt D. Aug. lib. 13. de ciuit. Dei c. 24. Mag. Sent. lib. 2. diſt. 19. & D. Th. hîc q. 97. art. 3. corpus Adami in eo ſtatu verè fuiſſe animale, ac proinde natura ſua mortale & paſſibile, licèt nondum mortuum ſeu nondum certò moriturum, quale eſt noſtrum in iſto corruptæ naturæ ſtatu, vel quale fuiſſet in puris naturalibus; Quod etiam facile colligere eſt ex verbis Apoſt. 1. ad Corinth. 15. *Factus eſt,* (inquit) *homo primus in animam viuentem, ſecundus in ſpiritum viuificantem, ſed non prius quod ſpirituale eſt, ſed quod animale, deinde quod ſpirituale.* Quare germana illius immortalitatis cauſa aliunde quàm ex ipſa hominis natura, ſeu naturalibus humanæ naturæ principiis petenda eſt.

Digitized by Google

Verùm vt ipſam faciliùs diſcernamus, prænotãdum eſt, mortem ſeu corruptionem homini duobus prę ſertim modis accidere poſſe, nempe vel intrinſecus ex iis quæ ſunt in homine, vel ab ipſomet homine in ſeipſo fieri poſſunt, vel extrinſecus ex iis quæ mortifera homini aliũde poſſunt accidere. Rurſus cauſæ mortis internæ, vel ſunt naturales & neceſſariæ, vt defectus caloris naturalis aut primigenii humoris, vel accidentales & ſpontaneæ, licèt non ſemper deliberatæ, vt inordinatus vſus cibi & potus, venerîſque intemperantia, itẽque nimius labor & corporis defatigatio. Cauſæ verò externæ dicuntur quę ab aliis quã ab ipſo homine inferri poſſunt, vt quę à Deo, ab Angelis, ab aliis hominibus, à cauſis naturalibus, præſertimque ab elementorum vt aëris intemperie cauſari poſſunt. Ex quibus colligitur triplex mortis cauſa, vna interna in ipſo homine, naturalis & inuoluntaria, altera coniuncta ab ipſo homine ſpontanea, denique tertia diſſita & omninò externa, quæ ab aliis ipſi infertur.

Prænotãdũ eſt mortem homini duobus modis accidere poſſe.

Cauſa mortis internæ duplices.

Triplex mortis cauſa in homine.

Itaque contra prædictas tres mortis cauſas Deus hominem in ſtatu innocentiæ tribus generalibus iiſque potentiſſimis remediis munierat; Etenim contra primam corruptionis cauſam, prouiſum erat homini in ſtatu innocentiæ non tantùm per maximam & prõptiſſimam alimentorum ſeu fructuum ſaluberrimorum copiam quæ nulli homini vnquam defuiſſet, ſed etiam ſpecialiter per arborem vitæ; cuius fructus præter id quod cũ

Contra tres mortis cauſas tribus remediis Deus hominẽ munierat in ſtatu innocentiæ.

aliarum arborum fructibus commune illi erat, nempe alere & nutrire hominem, duplicem habebat vim & vtramque profectò admirabilem, vt omnes cõmuniter tenent; Altera erat vis reparãdi humoris radicalis ſeu primigenii, ſeu ipſius in primigeniam puritatem reſtituendi; Altera erat vis quædam corroborandi caloris natiui, ac ipſius in priſtinũ vigorẽ reſtituendi, ſic vt nulla ex parte naturalium, vitalium aut animalium facultatum defectus aut languor vſquam contingeret. Contra ſecundã mortis cauſam, duplici præſertim præſidio homo in eo ſtatu erat munitus, nempe ſummâ quadam ſapientiâ & virtute ſingulari: nã qua erat rerum omnium perfectiſſimâ ſciẽtiâ præditus, probè nouerat quænã ſibi prodeſſe, quæ verò nocere poterant; Qua verò erat virtute & affectuum moderatione præditus facillimè ab iis omnibus abſtinuiſſet quæ ſibi aliquid nocumẽti afferre potuiſſent. Denique contra tertiã corruptionis cauſam, præter ſingularẽ ipſius hominis prouidẽtiam qua ipſe à pleriſque externis caſibus ſibi pernicioſis præcauere potuiſſet, aderat ipſi ſpecialis quædam Dei cura, & continua quædã protectio, qua Deus, tum per ſeipſum, cùm per Angelos præſertim cuſtodes, & etiam per cauſas alias, tũ humanas cũ naturales, ſingulis hominibus prouidiſſet, ne ab vlla externa cauſa ipſis vel minimum vitæ aut ſanitatis nocumentum accideret. Adde quod nullum homini in eo ſtatu malum accidiſſet, neque ex parte Dei cũ ipſi homo ſemper gratus fuiſſet; nõ

Digitized by Google

etiã ab Angelis cùm ipſius hominis curã ſpecialem habuiſſent, non etiã à dæmonibus, cũ illorũ impetũ Deus cohibuiſſet; non ab hominibus, cùm in nullo tunc voluntas nocendi alteri fuiſſet; non ab animalibus, cùm omnia tunc hominis imperio fuiſſent ſubdita; non denique ab aëris aut elementorum intemperie, cùm ipſam ab hominum habitatione Deus propulſaſſet.

Corollariũ. Ex quibus intelligere eſt, cùm per hæc diuinæ prouidentiæ præſidia abundè ſatis humanæ vitæ in perpetuum conſeruandæ prouiſum fuiſſet, non neceſſariam videri in eo ſtatu qualitatem illam ſupernaturalem quam in hominis anima admittit D. Tho. hìc quęſt. 97. art. 1. per quam anima potuiſſet ab humano corpore omne id quod corporis incolumitati officere poterat propulſare, ſicque ipſum corpus ab omni corruptione vendicare. Neque enim intelligi facilè poteſt, quomodo admiſſâ eiuſmodi qualitate non per formã fuiſſet homo in ſtatu innocentiæ ĩmortalis, ſicut & in ſtatu gloriæ. Quod tamẽ negat S. Th. ibid. Deinde non poteſt facilè intelligi quomodo illa animæ ſpiritualis qualitas potuiſſet naturalẽ agentium vim retundere. Denique ſi ea fuiſſet in Adamo, vel ſola illa ſatis fuiſſet ad tuendã ipſius immortalitatem, neque ad id opus fuiſſet vel arbore vitæ, vel temperatiſſimo ac ſaluberrimo Paradiſi domicilio.

Homo ante peccatũ erat ſimul mortalis & Ex quibus colligere eſt, primũ hominẽ ante peccatũ fuiſſe ſimul mortalẽ & immortalem diuerſa conſideratione: Mortalem quidem ex

immortalis diuerſa cō-ſideratione

cōditione naturę, immortalē verò priuilegio gratiæ ſeu ſpecialis erga ipsū Dei prouidentiæ qua homini prouiſū fuerat de quibuſdā vitę perpetuò conſeruandæ præſidiis, quæ ipſi ſecundùm ſuam naturam ſpectato minimè debebantur, inter quæ potiſſimum erat eſus ligni vitæ; etſi enim diutiſſimè potuiſſet homo aliorū arborū eſu vitā tueri, non tamē potuiſſet immortalē cōſeruare abſq; eſu ligni vitæ, cū abſque eo calor naturalis humidū radicale tandē absūpſiſſet, ſimulque calor ille natiuus debilitatus fuiſſet. Probabile autem eſt iniunctum fuiſſe homini, aut ſaltē naturali lumine pro eo ſtatu manifeſtatum fuiſſe vt de ipſius ligni fructu per aliqua temporum interualla comederet, quo vitæ ſuæ principia in integro tueretur, quod, quidem præceptum aut inſitum rectæ rationis dictamen infallibiliter obſeruaſſet homo, ſi in illo ſtatu confirmatus fuiſſet, & ſic nunquam mori potuiſſet, vt ſcitè notat Magiſt. Sentent. lib. 2. diſtinct. 19. ſicque fuiſſet in homine non tantùm potentia non moriendi, ſed impotentia quædam moriendi, non quidem ab interna quadam & formali cauſa vt continget poſt futuram reſurrectionem per dotes gloriæ tum animæ cùm corpori inſerendas, ſed ab externa quadam & efficiente cauſa, nempe à ligno vitæ & cæteris diuinæ prouidentiæ prēſidiis. Adde quod iſta moriendi impotentia in ſtatu innocentiæ eſſet tantùm hypothetica, nempe ex hypotheſi quod homo non poſſet non edere de ligno vitæ, vbi

Digitized by Google

neceſſarium foret, quia non poſſet in eo ſtatu Dei præceptum non obſeruare, illa verò poſt reſurrectionem generalem futura, erit abſoluta.

An homo in ſtatu innocentiæ fuiſſet impaſſibilis, & quomodo.

QVÆSTIO IV.

PRÆNOTANDVM eſt hoc loco ex D. Thom. quæſt. 97. art. 2. paſſionem dupliciter accipi: Vno modo generaliter ſecundùm quamcunque mutationem, etiamſi pertineat ad naturæ perfectionem, ſicut intelligere & ſentire dicuntur pati quoddam, vt docet Philoſophus in libris de anima; altero modo ſpecialiter & propriè ſecundùm mutationem duntaxat corruptiuam, quomodò illud pati propriè dicitur quod à ſua naturali diſpoſitione remouetur; paſſio enim propriè dicta eſt effectus actionis phyſicæ; actio autem phyſica propriè dicta ſolet eſſe inter agentia contraria quæ agunt & patiuntur inuicem, & quorum vnum remouet alterum à ſua naturali diſpoſitione. *Paſſionis duplex acceptio.*

Hoc poſito ad propoſitam quęſtionem reſpondemus cum D. Thoma loco citato, hominem in ſtatu innocentiæ futurum fuiſſe paſſibilem ſecundùm paſſionem priori modo ſumptam, tum ratione animæ, cùm ratione corporis, vt ſatis attentè conſideranti liquet; impaſſibilem verò ſecundùm paſſionem po- *Quæſtio propoſita explicatur.*

ſteriori modo ſumptam, tum ratione animæ, cùm ratione corporis. Quod quidẽ probatur primũ authoritate D. Aug. l. 14. de ciuit. Dei c. 26. qui de primo homine dum in Paradiſo degeret loquens. *Viuebat* (inquit) *ſine vlla egeſtate. Ita ſemper viuere habens in poteſtate, cibus aderat ne eſuriret, potus ne ſitiret, lignum vitæ ne illum ſenecta diſſolueret, nihil corruptionis in corpore vel ex corpore, vlla moleſtia eius ſenſibus ingerebat, nullus intrinſecus, morbus, nullus actus metuebatur extrinſecus ſumma in carne ſanitas, in animo tota tranquillitas, ſicut in Paradyſo nullus æſtus aut frigus, ſic in eius habitatore nulla ex cupiditate vel timore accedebat bonæ voluntatis offenſio.* Secundò ratione: conſtat enim ex præcedenti quæſt. hominem futurum fuiſſe immortalem in eo ſtatu, ita vt ſimpliciter poſſet non mori, & ex hypotheſi, quandiu ſcilicèt non peccaret, mori non poſſet: Ex quo ſequitur hominem quandiu erat in eo ſtatu, non potuiſſe pati aliquid à quo lædi poſſet. Nam quod lædi & labefactari poteſt, illud ipſum poteſt etiam aliquando interire, ſecluſo peculiarì miraculo, quale in propoſito ſtatu futurum fuiſſe nõ conſtat.

Probatur authoritate.

Ratione cõfirmatur

Si obiicias, hominem in eo ſtatu potuiſſe pati actionem corruptiuam caloris naturalis ipſum natiuum humorem paulatim depaſcentis. Reſpondetur, eam non propriè dici paſſionem corruptiuam totius ſuppoſiti per ſe, ſed tantùm per accidens, vt aliàs dictum eſt in Phyſicis, cùm ipſa ſit ab vna parte ſuppoſiti, & recipiatur in al-

Obiectio

Solutio.

Digitized by Google

pera. Adde quod exigua admodum contingere potuiſſet caloris natiui diminutio ante illud tempus quo Deus ſtatuerat hominem ex Paradiſo terreſtri in cœlum tranſportare. Præterea aderat præſens huic corruptiuæ paſſioni remedium abſque vllo miraculo, nempe eſus ligni vitæ, cui probabiliſſimum eſt naturale fuiſſe, vt tùm calorem, cùm humorem radicalem humani corporis in integrum reſtitueret. Nos autem hîc loquimur de paſſione corruptiua propriè dicta, quæ eſt ab alio agente per ſe, quæque vt plurimum eſt coniuncta cum dolore aut læſione aliqua perceptibili, cuiuſmodi non eſt naturalis iſta ab interno calore humidi radicalis imperceptibilis abſumptio.

Quomodo fuiſſet homo impaſſibilis in ſtatu innocentiæ.

Quod verò ſpectat ad modum quo fuiſſet homo impaſſibilis in eo ſtatu, arbitramur eundem planè eſſe ac eum quo diximus ipſum futurum fuiſſe in eodem ſtatu incorruptibilem ſeu immortalem, nempe non iſtud prouenire ex qualitate aliqua ſupernaturali in anima aut corpore formaliter inhærente, vt continget poſt reſurrectionem vniuerſalem qua corpus ipſum ad omnem agentis nociui actionem inſenſibile reddetur, corpus enim in eo ſtatu fuiſſet animale, ac proinde natura ſua ſicut corruptioni, ita læſioni ac dolori per ſe obnoxium. Verùm hoc procederet tum ex ipſa ſingulari hominis in eo ſtatu prudentia & ſagacitate, qua poſſet ſibi à multarum rerum læſione

ac dolore prçcauere, tum ex ſpeciali Dei prouidentia ſeu peculiari eius aſſiſtentia & protectione, vt etiam ex lôco paulò ante citato D. Aug. intelligi poteſt.

Hominem in ſtatu innocentiæ alimentis indiguiſſe probatur.

Porrò ex dictis facile eſt colligere hominẽ in prædicto ſtatu cibo aliquo & potu indiguiſſe, quod patet tum authoritate ſacræ Scripturæ Geneſ. 2. *Ex omni ligno quod eſt in Paradiſo comedetis*, tùm etiam ratione hac præclara D. Thomæ, qua oſtendit hîc quæſt. 97. art. 3. hominem in ſtatu innocentiæ habuiſſe vitam animalem cibis indigentem, poſt reſurrectionem verò vitam ſpiritualem cibis non indigentem: Anima rationalis, inquit, & anima eſt, & ſpiritus: dicitur anima ſecundùm illud quod eſt ſibi commune & aliis animabus, quod eſt vitam corpori date, iuxta illud Gen. 2. *Factus eſt homo in animam viuentem*, id eſt, vitam corpori largiẽtem; dicitur autem ſpiritus ſecundùm id quod eſt ſibi proprium & nõ aliis animabus, quod ſcilicèt habeat in ſe vitam intellectualẽ & immaterialem: In primo igitur ſtatu anima rationalis cõmunicat corpori id quod ei competit inquãtum eſt anima, & ideò corpus illud dicebatur animale inquantum habebat vitam ab anima, principium autem vitæ in iſtis inferioribus eſt anima vegetalis, cuius opera ſunt alimento vti, generare, & augeri, & idcircò hęc homini in primo ſtatu cõpetebant; in vltimo verò ſtatu cõmunicabit anima quodãmodo corpori ea quæ ſibi ſunt propria, immortalitatem quidem quantum ad omnes, impaſſibilitatem

bilitatem verò & cæteras gloriæ dotes quantũ ad bonos, quorum corpora propterea dicentur ſpiritualia, iuxta doctrinam Apoſtoli 1.ad Corinth.15. ideo tunc alimentis minimè indigebunt.

An verè, & vbinam fuerit, & vtrum iam extet Paradiſus.

QVÆSTIO V.

PAradiſus, quod vocabulum Græcum eſt, vel vt quidam probabiliter cẽſent, Perſicum, idẽ eſt atque hortus ſeu viridariũ quoddam delitioſiſſimum & amœniſſimum, quale fuit locus ille voluptatis in quo poſiti ſunt primi parentes; circa quem tres præcipuæ difficultates occurrunt explicandæ.

Prima difficultas.

Prima eſt, An verè extiterit ille Paradiſus, ſeu an fuerit verè locus corporeus qualis litteraliter deſcribitur Geneſ. 2. Nonnullis vt Philoni lib. vltimo de opificio mundi, & Origeni in Geneſim viſum eſt, Paradiſum non fuiſſe verum & corporeum locum, atque omnia quæ de ipſo dicuntur loco citato Gen. non vt litera ſonat, ſed ſpiritualiter accipiẽda eſſe. Verùm erronea eſt hæc opinio, ac meritò dãnata à Sexta Synodo Generali act.13. cũ apertiſſimo ſacræ Scripturæ textui, & communi orthodoxorum Patrum conſenſui repugnet.

Aſſertio tenenda.

Quare iuxta communem ſanctorum Patrum ac omnium Theologorum ſententiam tenendum eſt, Paradiſum fuiſſe verum & córpo-

reũ locũ, vt docet S. Thom. hîc q.101.art.1.ac proinde ſacræ Scripturæ textum literaliter & vt ſonat accipiendum eſſe, licèt ſuppoſito genuino & litterali iſto ſenſu poſſit quiſpiam myſticum & ſpecialem ſenſum admittere.

Secunda difficultas.

Secunda difficultas eſt, in quanam mundi parte Paradiſus ille extiterit; Qua de re variæ ſunt authorum ſententiæ. Quidam enim arbitrantur illum extare in quadam terræ parte ab hoc noſtro orbe cognito, longo Oceani maris tractu interfuſo longè diſſita, ita vt ad eam nobis acceſſus haud quaquam pateat; Alii locum quendã aëreum cœlo proximum prope ipſum Lunæ orbẽ imaginantur; Alii locũ quendã terræ editiſſimum ſupra nubes ac mediã aëris regionẽ cõminiſcũtur: quæ omnia parũ probabiliter dici nobis vidẽtur, vt in eis refutandis operam ponere ſuperfluũ videatur. Quare longè veroſimilior eſt eorum ſententia qui locum Paradiſi non orbis terræ ampliſſimam partem faciunt quam ab hac noſtra interfuſo mari Oceano ſeparent; nec locum terræ adeò editum vt mediam aëris regionem ſuperet; & multò minùs Lunæ orbem contingat. Verùm adhuc ſupereſt difficultas, in quanam mundi ſiue orbis terræ plaga extet, aut ſaltem extiterit. Quidam enim in medio plagæ torridæ ſub æquinoctiali circulo; Alii vltra plagam illam in alia Zona temperata huic noſtrę oppoſita collocant: Denique alii probabilius, vt mihi videtur, exiſtimant eum in hac noſtra Zona temperata verſus partes Orientales, nempe vel

Probabiliſſima ſent. de ſitu Paradiſi.

Digitized by Google

in ipſa Meſopotamia, vel inde non procul extitiſſe. Quod vel ex his (vt plura prætermittamus) facile eſt colligere; primum quod Moyſes tradat ad plagam orientalem regionis Heden, locatum fuiſſe Paradiſum: atqui terram illā Heden ex c. 37 Iſaię, & 27. Ezech. vel Meſopotamiæ partem, vel regionem ei propinquam fuiſſe non obſcurè colligitur; deinde idem ex eo colligitur quod duo flumina Paradiſi, nēpe Tygris & Euphrates, ex Armeniæ montibus oriunda ſint, ac deinde Meſopotamiam & Aſſyriam præterlabentes, tandē in ſinum Perſicum deuoluantur: quare & reliqua duo flumina non inde procul fluxiſſe, ac proinde Paradiſum circa iſtas regiones extitiſſe neceſſe eſt. Præterea cùm exploratum ſit Tygrim & Euphratem ex diuerſis fontibus oriri, quod Moyſes ait eos dimanare ex vno eo flumine quo rigabatur Paradiſus, non aliter videtur poſſe intelligi quàm vt per vnum illud flumen ſignificetur locus ille in quo Tygris & Euphrates mixtis aquis ſimul coeunt, & aliquantiſper vnius fluminis inſtar ſe habent, vſque dum poſtea facto aquarum diuortio rurſum in proprios ſinus ſeparantur. Vbi nota non ſolùm ipſos, ſed etiam duo alia flumina Phyſon nempe, & Gihon, indidem quoad ſuos ſinus deriuata fuiſſe, licèt aquis diluuii olim obruta nunc non extent: Quare ex his omnibus valde veroſimile fit circa locum illum quo Tygris & Euphrates confuſis aquis ſpecie vnius fluminis decurrunt, conſitum fuiſſe *Nota*

Paradiſum;Sicque veritati maximè conſentanea eſt eorum ſentẽtia, qui exiſtimant priſcos illos homines ante diluuium,& poſt diluuium Noe ac filios eius vicinas Paradiſi partes incoluiſſe, tum amore quodam naturalis illius veluti ſoli,tum propter eximiam terræ illius bonitatem, terram enim Paradiſo proximam,fertiliſſimam, ſaluberrimam ac amœniſſimam fuiſſe credendum eſt: Noë autem & filios eius ac ipſorum poſteros primùm tenuiſſe loca Armeniæ,ſupra cuius mõtes arca ſubſidentibus diluuii aquis reſedit, tùm Meſopotamiæ, Aſſyriæ, ac Babyloniæ regiones coluiſſe, indeque ad alias regiones ſegregatos & profectos fuiſſe, legenti 10. & 11.cap.Gen.ſatis manifeſtum eſt.

Tertia difficultas. Tertia ſupereſt difficultas; Num adhuc extet prædictus ille Paradiſus? Multorum præſertim veterum Patrum ſententia fuit, Paradiſum adhuc extare,licèt quibuſdam impedimentis,vt ait Diuus Thomas hîc loco citato ad ſecundum,vel montium,vel marium, vel æſtuoſæ cuiuſdam regionis, hominibus imperuium.Nobis tamẽ valdè arridet recentiorum,vt Pererii in Geneſ.cap.3.quæſt.5.ſententia,extare quidem locum Paradiſi quem paulò ante deſcripſimus, non tamen iſtum Paradiſum, eo quòd illius loci amœnitas & venuſtas,generali aquarum eluuione penitus ablata ſit, quæ ſanè ſententia nobis neceſſariò tenenda eſt, præſuppoſita noſtra præcedenti ſententia de loco & ſitu Paradiſi, vt attentè conſideranti patet. Ne-

Digitized by Google

que eſt quod nos deterreat oppoſita multorum veterum Patrum ſententia; Nam in iſtis quæ ad fidem minimè pertinent, & in quibus liberum eſt vnicuique ſentire quod voluerit, authorum multitudo veroſimiliori cuiuſpiam opinioni non præiudicat, iuxta illud ſcitè dictum Vincentii Lirinenſis: *Antiqua* (inquit) *ſanctorum Patrum conſenſio, non in omnibus diuinæ legis quæſtiunculis, ſed ſolùm in fidei regula magno nobis ſtudio & inueſtiganda eſt & ſequenda.* Non etiam huic noſtræ opinioni obeſt quod habetur Eccl. 44. *Henoch placuit Deo, & tranſlatus eſt in Paradiſum, vt det gentibus pœnitentiam.* Quo ex loco veteres collegerunt Enoch & Eliam in illo prædicto Paradiſo degere. Nam imprimis locus ille Eccleſ. Græcè (qua lingua liber ille primùm ab authore ipſius ſcriptus eſt) non habet vocem illam Paradiſus, ſed præciſè ſic habet, *Enoch placuit Deo, & translatus eſt vt det gentibus pœnitentiam.* Deinde licèt concedatur iuxta vulgatam editionem Enoch eſſe in Paradiſo, id eſt, in aliquo loco amœniſſimo, non ſequitur tamen eum eſſe in eo Paradiſo terreſtri qui Gen. 2. deſcribitur, de quo hîc agitur. Et certè tranſlatum fuiſſe Enoch in illum Paradiſum negat Rupertus lib. 3. de Trinit. & eius operibus, c. 33. Idemque de Elia ſentit D. Greg. hom. 29. in Euang. aiuntque illos (quod nobis magis placet) in quadam alia ſecreta mundi regione ſummâ tùm corporis cùm animi quiete vitam agere, quovſque ſub finem mundi iſthuc redeant,

Quonā in loco Enoch & Elias aſſeruentur.

& mortis debitum ſoluant. Verùm plura tùm de Paradiſo, cum de ſtatu primorum parentũ quoad corpus, lege apud ſanctos Patres in iis quos in Geneſim ediderũt commentariis, pręſertim D. Aug. libris ſuper Gen. ad litteram, & ex recentioribus Toſtatum & Pererium in Geneſim.

SECVNDA DISPVTATIO.

De iis quæ ad animam hominis in ſtatu innocentiæ pertinent.

QVONIAM quatuor veluti præcipuis animæ ornamentis, primus homo in illo fœlici innocentis vitæ ſtatu fuit inſignitus: primum quod ad imaginem & ſimilitudinem Dei creatus eſt, deinde omnium rerum ſcientia præditus. Præterea Deo per gratiam acceptiſſimus, denique originali iuſtitia dotatus; idcirco de iis ſigillatim in hac diſputatione dicendum eſt.

Quomodo homo ad imaginem & ſimilitudinem Dei factus dicatur.

QVÆSTIO I.

CIRCA propoſitam quęſtionem nonnullæ difficultates occurrunt explicandæ.

Prima difficultas explicatur. Prima eſt; An homo verè ad imaginem & ſimilitudinem Dei creatus ſit. Cui reſponde-

Digitized by Google

tur ita eſſe, fidem enim faciunt expreſſa Dei loquentis verba Geneſ.1. *Faciamus* (inquit) *hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram.* Quæ ſanè verba diuinis referta ſunt myſteriis. Nam vt notat Pariſienſis Epiſcop. lib.2. diſt.16. ex Beda ſuper Geneſ. in eo quod dicit, Faciamus: vna, trium perſonarum operatio oſtenditur; in hoc verò quod dicit, *Ad imaginem & ſimilitudinem noſtram*, vna & æqualis ſubſtantia earumdem perſonarum inſinuatur: ex perſona enim Patris hoc dicitur ad Filium & Spiritum ſanctum, non vero, vt quidam putant, ad Angelos, quia Dei & Angelorum non eadem eſt imago vel ſimilitudo.

Secunda difficultas eſt: Quænam imago & ſimilitudo Dei intelligatur, ad quam dicitur homo creatus, An videlicèt increata extra hominem, id eſt Trinitatis eſſentia ad quam factus eſt homo: an verò creata in homine in qua ipſe factus eſt: Poteſt enim alterutra, vel etiam vtraque ſimul intelligi; Increatam enim quæ Deus eſt, videtur intellexiſſe Beda ſuper Gen. cũ dicit non eſſe vnam imaginem Dei & Angelorum, ſed vnã eſſe trium perſonarum, & ideò ad perſonas diuinas non ad Angelos illic ſermonem haberi idipſum apertè tenet & explicat Rupert. l.2. de Trinit. ca.2. Impropriè tamen hoc dicitur, vt notat Mag. Sent. loco cit. Imago enim propriè dicta, relatiuè ad aliud dicitur, cuius ſimilitudinem gerit, & ad quod repræſentandum facta eſt, impropriè enim imago dicitur, id ad quod aliud fit, ſicut exemplũ

Secunda difficultas enodatur.

Imago Dei increata, quæ eſt ipſa diuinitas.

propriè dicitur, quod ſumitur ex aliquo, impropriè verò ex quo ſumitur aliquid quod potiùs exemplar dici debet; ſicque indiſcriminatim pro vtroque imago accipitur; ita tamen vt minùs propriè dicatur imago eſſentia Trinitatis, magis verò propriè expreſſa eius ſimilitudo in homine. Quia verò Filius propriè imago Patris dicitur, vti aliàs dictum eſt in tract. de Trinit. vbi de perſona Filii, non defuerunt qui dicerent per imaginem & ſimilitudinem hoc loco intelligendũ eſſe Dei filiũ, hominẽ verò nõ imaginẽ, ſed ad imaginem factũ dicerent, quod tamen facilè eſt refellere, ex Apoſt. 1. ad Corinth. 11. quo loco vir Imago & gloria Dei eſſe dicitur. Adde quod ſi per illam imaginem & ſimilitudinẽ, ſola perſona Filii & nõ ſimul Patris & Spiritus ſancti intelligeretur, quomodo Pater ipſe Filium alloquẽs (noſtram) diceret, & non potius tuam? fuerũt etiã nõnulli qui hæc ſubtiliùs diſcernentes, per imaginẽ Filium, & per ſimilitudinem Spiritũ ſanctum eſſe cenſuerũt Sicut enim Filius Patris imago, ita Spiritus ſanctus communis vtriuſque, Patris nempe & Filii ſimilitudo dici poteſt; Sicque illud (*noſtram*) ad ſimilitudinem duntaxat referendum eſſe, & cùm dicitur (*ad imaginem*) ſubintelligendum eſſe (*tuam*) tradiderunt.

Imago Dei increata eſt Verbũ ſeu filius Dei.

Similitudo Dei creata

Veruntamen licèt iſta expoſitio non ſit improbabilis omninò, quia tamen, vt loquitur Magiſt. Sentent. de medio montium, id eſt authoritatibus ſanctorũ non manat, cõgruẽtius in ipſo homine creata Dei imago & ſimilitu-

Digitized by Google

do quærẽda eſt & conſideranda, ita vt dicatur homo factus ad imaginem & ſimilitudinem Dei ſeu totius Trinitatis, quia ipſe eſt ſummi Dei ac diuinæ Trinitatis imago & ſimilitudo, ſeu potiùs quia ipſe in ſeipſo Dei ac Trinitatis imaginem & ſimilitudinem gerit: Et quidem ſequentes difficultates de imagine & ſimilitudine hominis ad Deum, iſto poſteriori ſenſu, idque iuxta doctrinam D. Thomæ hîc qu. 93. accipiendę ſunt. Tertia igitur difficultas eſt, quomodo hoc poſteriori ſenſu homo dici poſſit imago & ſimilitudo, ſeu factus ad imaginem & ſimilitudinem Dei. Ad cuius difficultatis explicationem nonnulla pręnotanda ſunt: Primùm quod docet D. Tho. hîc qu. 93. art. 1. idque ex D. Aug. libris 83. quęſt. q. 51. omnem imaginem eſſe ſimilitudinem, non verò è contrà, omnem ſimilitudinem eſſe imaginẽ, ſicque ſimilitudinem eſſe de ratione imaginis, & imaginem aliquid addere ad rationem ſimilitudinis, nempe eſſe ex alio expreſſam: quò fit vt quantumuis ouum alteri ouo ſimile ſit & æquale, non tamen ipſius imago dicatur, quia nempe ex ipſo non eſt expreſſum. Secundò: notandum ex eodem D. Thoma ibidem, æqualitatem non eſſe de ratione imaginis abſolutè loquendo, ſed tantùm de ratione imaginis perfectæ, in qua reperitur ſimilitudo ſecundùm æqualitatem, vtpotè in qua nihil deſit quod inſit illi de quo expreſſa eſt; at verò in imperfecta imagine non inuenitur æqualitas, quia ipſi ſemper aliquid deeſt quod in exemplari reperitur. Tertiò notandum eſt ex eo-

Cur propriè homo dicatur factus ad imaginem & ſimilitudinẽ Dei.

Tertia difficultas.

Notandũ primò.

Secundò.

Notandũ tertiò.

dem D. Thom. ibidem art. 2. non quamuis ſimilitudinem licèt ſit ab alio expreſſa, ſufficere ad rationem imaginis; neque enim ſimilitudo, ſecundum genus duntaxat, aut ſecundùm accidens commune, ſatis eſt ad rationem imaginis, quo fit vt vermes qui ex humano cadauere gignuntur, licèt ſint ipſi ſimiles ſecundum rationem genericam ſubſtantiæ corporeæ, non tamen dici poſſint ipſius imagines, & ſimiliter licèt aliquid fiat album ad inſtar alterius albi, ſicque ſit ipſi ſimile ſecundùm illud accidens commune, non tamen propterea dici poſſit ipſius imago. Itaque requiritur ad rationem imaginis quod ſimilis ſit ſecundùm rationem ſpeciei, aut ſecundum rationem accidentis proprij, ac præſertim ratione figuræ externæ in rebus corporeis: ſic filius propriè dicitur imago patris, & effigies cuiuſpiam adſtantis in ſpeculo relucens, ipſius adſtantis imago meritò nuncupatur. Quibus ita poſitis propoſitæ difficultati ſequentibus propoſitionibus ſatisfiet.

Quid requiratur ad rationē imaginis.

Prima propoſitio.

Prima propoſitio. Solæ creaturæ rationales, nempe Angeli & homines, dici poſſunt imago, aut ad imaginem Dei; quia illæ ſolæ aſſimilantur Deo ſecundùm rationem ſpeciei infimæ, ſeu ſecundum vltimam ſui differentiam, quod eſt intelligere ac ſapere, cùm aliæ creaturæ nonniſi ſecundum eſſe ac viuere Deo aſſimilentur, quæ non ſunt vltimæ ipſarum differentiæ.

Digitized by Google

Secunda propoſitio. Homo verè dici poteſt ſimul imago, & ad imaginem Dei. Imago quidem quatenus eſt ſimilitudo Dei ſecundùm ſpecialem ſui differentiam ab ipſo expreſſa. Ad imaginem verò propter ſimilitudinis imperfectionem. Neque enim in homine eſſe poteſt ſimilitudo ſecundùm æqualitatem, cùm ab ipſo ſuo exemplari infinitè diſtet, & hoc quidem accommodatè ad rem Scriptura ſignificat, cùm dicit hominem factum ad imaginem Dei, hæc enim particula præpoſitiua (*ad*) acceſſum quendam ſignificat quod nonniſi diſtanti competit, ſicque homo non tantùm imago Dei dicitur, ſed etiam ad imaginem Dei, quia nonniſi imperfecta Dei imago eſt. At verò æternus Dei filius dicitur tantùm imago Dei Patris, non verò ad imaginem, quia eſt imago Dei perfecta, vtpotè perfectè implens illud cuius eſt imago. Et quia Dei perfecta ſimilitudo non poteſt eſſe niſi in identitate naturæ, idcirco imago Dei eſt in filio ſuo primogenito, ſicut imago Regis in filio ſuo ſibi connaturali, in homine verò ſicut imago regis in nummo argenteo, quod eſt alterius naturæ ab eò cuius imaginem refert, vt notat ex D. Aug. lib. de 10. cordis Pſalt. c. 8. D. Thom. hîc quæſt. 39. art. 1. ad 2.

Secunda propoſitio.

Cur homo non tantū imago, ſed etiam ad imaginem Dei dicatur.

Tertia propoſitio. Eſſe imaginem aut ad imaginem Dei, competit homini ratione animæ quatenus eſt ſpiritualis & intellectualis, non verò ratione animę quatenus eſt ve-

Tertia propoſitio.

getandi aut ſentiendi principium, & multò minus ratione corporis, niſi valdè impropriè. Probatur primùm authoritate Apoſtoli ad Epheſ. 4. *Renouamini ſpiritu mentis veſtræ, & induite nouum hominem.* Et ad Colloſſ. 3. *Induentes nouum hominem qui renouatur in agnitionem Dei ſecundùm imaginem eius qui creauit eum.* Ex quibus locis colligere eſt, imaginem Dei ad quam noui hominis reformatio nos ducit, nonniſi ad animum ſeu ſpiritum pertinere. Secundò, ratione D. Tho. hîc art. 6. probatur; quia cùm in omnibus creaturis ſit aliqualis Dei ſimilitudo, in ſola creatura rationali inuenitur ſimilitudo Dei per modum imaginis, vt ſuprà dictum eſt, in aliis autem creaturis per modum veſtigij; id autem in quo creatura rationalis excedit alias creaturas, eſt mens ſeu intellectus & ratio: quare concludendum eſt in rationali creatura imaginem Dei non reperiri niſi ſecundùm eam ſui partem quæ eſt ſpiritualis & intellectualis. Nam ſecundùm alias partes quas habet rationalis creatura, nonniſi ſimilitudo veſtigij reperitur, ſicut & in aliis rebus quibus ſecundùm illas partes aſſimilatur rationalis creatura. Quod adhuc manifeſtiùs fiet, ſi diſcernatur modus quo imago repræſentat, ab eo quo veſtigium repræſentat; imago enim repræſentat ſecundùm ſimilitudinem ſpeciei, vt dictum eſt; veſtigium verò repræſentat per modum effectus, quia hîc repræſentat ſuam cauſam vt ad ſimilitudinem ſpeciei non pertingat. Quod quidem diſcrimen agnoſci poteſt inter creaturas rationales,

Probatur primò authoritate.

Ratione confirmatur.

Imago reperitur in rationali creatura ſecundùm partem ſpiritualem, ſimilitudo verò veſtigij ſecundũ alias ſui partes.

Digitized by Google

& alias creaturas quoad repræſentationem ſimilitudinis, tùm naturæ diuinæ, cùm Trinitatis increatæ. Nam quantùm ad ſimilitudinem naturæ diuinæ pertinet, creaturæ rationales videntur quodammodo ad repræſentationem ſpeciei pertingere inquantùm imitãtur Deũ, non ſolùm in hoc quod eſt, & viuit; ſed etiam in hoc quod intelligit, vt dictum eſt. Aliæ verò creaturæ non intelligunt, ſed apparet in eis quoddam veſtigium diuini intellectus à quo productæ ſunt, ſi ipſarum diſpoſitio conſideretur. Quod verò ſpectat ad ſimilitudinem Trinitatis increatæ, cùm increata Trinitas diſtinguatur ſecundùm proceſſionem Verbi à dicente, & amoris ab vtroque, vt aliàs dictum eſt; in creatura autem rationali inueniatur proceſſio verbi ſecũdùm intellectum, & proceſſio amoris ſecundùm voluntatem, poteſt dici imago Trinitatis increatæ per quandam repræſentationem ſpeciei. In aliis autem creaturis non inuenitur principium verbi, neque verbum, aut amor, ſed apparet in eis quoddã veſtigium quod hæc inueniantur in cauſa ipſas producente: Nam hoc ipſo quod creatura habet ſubſtantiam modificatam & finitam, demonſtrat quod ſit à quodam principio, ſpecies verò eius demonſtrat verbum facientis, ſicut forma omnis conceptum artificis denotat; denique ordo qui in ipſa reperitur, demõſtrat amorem producentis, quo effectus ordinantur ad bonum, ſicut vſus ædificii artificis voluntatem demonſtrat: Sic igitur in homine inuenitur Dei ſimilitudo per modum imagi-

Trinitatis Imago in homine, veſtigium vero in reliquis creaturis.

Digitized by Google

nis ſecundũ mentem: At verò ſecundùm alias eius partes, vt ſecundùm corpus, per modum veſtigii.

Corollariũ.

Ex hoc autem colligere eſt, cùm ſecundum mentem ſeu intellectum non ſit ſexuum diſtinctio, quod eſſe imaginem aut ad imaginẽ Dei tam viro, quàm fœminæ competit. Quod Scriptura inſinuat Gen. 1. vbi poſt hæc verba, *Ad imaginem Dei creauit illum*, continuò ſubdit, *Maſculum & fœminam creauit eos.* Vnde etiam Apoſt. ad Colloſſ. 3. poſtquam dixerat ſecundùm imaginem eius qui creauit illum, illicò addit: *vbi non eſt maſculus & fœmina.*

Eſſe ad imaginem Dei, tam viro quam fœminæ competit.

Quarta difficultas.

Quarta difficultas eſt: In quibuſnam conſiſtat imago & ſimilitudo Dei in homine. Reſpondetur aliter exprimi imaginém Dei ſecundùm vnitatem eſſentiæ, aliter verò ſecundùm Trinitatem perſonarum, vt ex vltima propoſitione pręcedentis difficultatis colligere eſt: imago enim & ſimilitudo Dei vt vnius elucet in homine primariò quidem, in eo quod ſicut Deus ſapit & intelligit, ita quoque homo ſapit & intelligit, vt dictum eſt: Secundariò verò in multis aliis quæ ex eo conſequuntur, v. g. quod ſicut Deus ſpiritualis eſt & immortalis, æternus, ac ſummè potens; ita homo ſecundùm mentem ſit ſpiritualis, immortalis, ac proinde æternus à parte poſt. & ſummè potens in ſuis actibus, quatenus liber eſt. Pręterea ſicut omnia ſunt in Deo eminenter & virtualiter ſeu cauſaliter; ita ſunt in homine quodammodo omnia, tùm per participationem, habet enim communem cum re-

Rationes cur imago Dei vt vnius, eluceat in homine.

Homo dicitur omnia continere tùm

bus inanimatis exiſtentiam, cum ſtirpibus vitam, cum animalibus ſenſum & motum, cum Deo & Angelis mentem atque intelligentiam; tùm etiam per intellectionem, ſiquidem intelligendo omnia, fit quodammodo omnia. Deinde ſicut Deus reuera poteſt omnia facere, ſic homo poteſt quodammodo facere omnia, vel arte imitando naturam, vel imaginatione fingendo. Poſthæc ſicut Deus finis eſt omnium rerum, ita videtur homo quodammodo finis omnium rerum corporearum quæ in ſeruitium & miniſterium hominis conditæ ſunt. Denique ſicut Deus toti huic mundo præeſt, ipſumque ita replet vt ſit totus in toto, & totus in qualibet parte; ſic animus preeſt ac præſidet toti corpori, ipſumque totum obtinet totus in toto & totus in qualibet parte. Quod verò ſpectat ad imaginem & ſimilitudinem Dei vt trini, ea vario modo in variis locis D. Aug. exprimitur: Sic enim 11. de Ciuit. cap. 26. ait nos eſſe factos ad imaginem Dei *inquantum ſumus, & nos eſſe nouimus, & noſtrum eſſe ad ipſum dirigimus.* Quorum primum ad Patrem, ſecundum ad Filium, vltimum ad Spiritum Sanctum refertur: & 9. de Trinit. cap. 4. ponit imaginem Trinitatis in homine ſecundùm hęc tria, nempe mentem, notitiam, & amorem, & in 10. de Trinit. cap. 3. tria in mente ſiue ſuperiori animæ parte diſtinguit, nempe memoriam, intelligentiam, & voluntatem, quia tribus perſonis certa quadam ratione correſpondent. Denique idem 14. de Trinit,

per participationem cùm per intellectionem.

Quomodo ſit imago Dei vt trini in homine.

cap. 8. quandam Trinitatis imaginem in homine elucere docet, quatenus meminit ſui, intelligit ſe, & diligit ſe, quamuis tamen hæc Trinitatis imago magis attendenda ſit, quatenus homo meminit Dei, Deum intelligit, ac ipſum diligit; ſic enim idem vtriuſque eſt obiectum. Iterum de imagine ac ſimilitudine animæ cum Deo præclarè multa diſſerit præter D. Aug. locis citatis, B. noſter Bernardus ſerm. 80. in Cant. Repeti poſſunt nonnulla quæ dicta ſunt in Tract.2.huius Summæ,diſp. 4.quæſt.4.

Poſtrema difficultas. Poſtrema difficultas eſt: An ſimilitudo cõuenienter ab imagine diſtinguatur in homine.Cui reſpondetur,licèt indiſcriminatim Sacrę litterę vtrumque vocabulum in eodem ſenſu paſſim vſurpent, & ex antedictis conſtet omnem imaginem dici poſſe ſimilitudinem;nihilominus tamen plerique veteres Patres ac Theologi vnum ab altero non abs re diſtinxerunt. Aiunt enim hominem factum eſſe ad imaginem Dei ſecundùm dona naturalia,mentem dico, voluntatem, memoriam, ac liberum arbitrium, & hanc eſſe imaginem Dei naturalem in cunctis hominibus expreſſam qua beſtiis præcellimus, quæque nullo peccato deleri poteſt, quia ex ſolo Deo pendet in ſui conſeruatione, at verò eundem hominem factum eſſe ad ſimilitudinem Dei ſecundùm dona gratuita & ſupernaturalia, vti ſunt iuſtitia,ſanctitas,innocentia; & hæc quidem ſimilitudo poteſt dici imago cæleſtis hominis,de qua loquitur Apoſt.1.ad Corinth.15.

pendetque

Digitized by Google

pendetque non ex ſolo Deo in ſui conſeruatione, ſed noſtrum ſimul ſtudium, conatum, & culturam exigit; hac boni viri differunt ac præſtant improbis, poteſtque peccato infuſcari ac deleri. Sicque animaduertere eſt, vt monet D. Thom. hîc art. 9. iuxta hunc ſanctorum Patrum ſenſum, ſimilitudinem contrario modo ſe habere ad imaginem quàm ſuprà dictum eſt: hoc enim poſteriori modo accepta, eſt aliquid additum ad rationem imaginis quam præſupponit. Priori verò modo ſumpta præſupponitur ad rationem imaginis quæ ipſi aliquid addit. Verùm ſupradictam diſtinctionem imaginis ac ſimilitudinis lege apud Orig. 3. περὶ ἀρχῶν ſeu de principiis cap. 6. D. Baſil. hom. 10. in Gen. D. Ambroſ. lib. 6. Hexam. cap. 7. Rupert. lib. 2. de Trinit. ac eius operibus cap. 3. & 5. Mag. Sent. lib. 2. diſt. 6. & Scholaſticos in eum locum, ac præſertim B. Thom. hîc quæſt. 93. art. 9. Poſſent aliæ quoque differentiæ inter imaginem ac ſimilitudinem hîc in medium adduci quas breuitatis cauſa prætermittimus.

Quænam fuerit primi hominis ſcientia in ſtatu innocentiæ.

QVÆSTIO II.

CONSTANS omnium Theologorum ſententia eſt, primum hominem ab ipſo quo creatus eſt inſtanti eximiis ſciẽtiæ ac ſapientiæ dotibus exornatum fuiſſe, vt docet Scholæ Princeps Lombard. lib. 2. diſt. *Communis Theolog. ſententia.*

Digitized by Google

23.& Scholaſtici ibidem,ac præſertim D.Bonau.in eum locum art.2.quæſt. 1. & 2.item D. Thom.hîc quæſt.94.art.3.& alij.Ratione verò hac eiuſdem D.Thomæ confirmatur:Naturali enim ordine perfectum antecedit imperfectum, ſicut & actus potentiam, quia ea quæ ſunt in potentia non reducuntur ad actum niſi per aliquod quod ſit actu, & quia res primitùs à Deo inſtitutæ ſunt non ſolùm vt in ſeipſis eſſent,ſed etiam vt eſſent aliorum principia: homo autem poteſt eſſe principium alterius hominis, non ſolùm per generationem corporalem, ſed etiam per inſtructionem & gubernationem. Ideò ſicut primus homo inſtitutus eſt in ſtatu perfecto quantum ad corpus, vt ſtatim poſſet generare, ita etiam inſtitutus eſt in ſtatu perfecto quantùm ad animam, vt ſtatim poſſet alios inſtruere & gubernare: non poteſt autem aliquis inſtruere & gubernare, niſi habeat ſcientiam, ideoque primus homo ſic inſtitutus eſt, vt haberet omnium ſcientiam in quibus homo natus eſt inſtrui, & hæc ſunt omnia illa quæ virtualiter exiſtunt in primis principiis per ſe notis, quæque naturaliter homines noſſe poſſunt. Ad gubernationem verò vitæ, tùm propriæ, cùm aliorum, non ſolùm requiritur cognitio eorum quæ naturaliter cognoſci poſſunt, ſed etiam eorum quæ naturalem excedunt cognitionem, eo quòd vita hominis ordinetur ad finem ſupernaturalem. Vnde tantam cognitionem rerum ſupernaturalium accepit homo,

Ratione confirmatur.

quanta erat neceſſaria ad gubernationem vitę humanæ ſecundùm illum innocentię ſtatum. Alia verò quæ nec naturali hominum ſtudio agnoſci poſſunt, nec ad vitæ humanæ gubernationem ſunt neceſſaria, primus homo non cognouit.

Ex quibus intelligere eſt: Adamum non qualicunque, ſed præſtantiſſima rerum, non tantùm naturalium omnium, ſed etiam quarundam rerum ſupernaturalium cognitione præditum fuiſſe, ſicque intellectum ipſius vtroque habituali dono, tùm ſcientiæ, cùm fidei, ab inſtanti ſuæ creationis inſtructum fuiſſe, itavt ſicuti Deum vt authorem naturæ & proprias quaſque rerum creatarum affectiones per infuſum ſcientiæ habitum potuit perfectiſſimè noſſe, ſic etiam per habitum fidei ac ſpeciale lumen diuinæ reuelationis potuerit perfectiſſimè quantùm præſens viæ ſtatus patitur, noſſe Deum vt authorem gratię & remuneratorem, ſeu futuræ glorię munificentiſſimum largitorem, & præterea nonnulla fidei noſtræ circa Chriſtum myſteria præſciuiſſe, præſertimque iſta duo, nempe futuram ipſius incarnationem, arctiſſimamque ipſius cum Eccleſia coniunctionem.

Et quidem Adamum cognouiſſe myſteriũ incarnationis affirmat S. Doct. in 2.2.q.2.ar.7. non quidem vt fuit inſtitutum ad liberandum humanum genus à peccato, ſed vt ordinatum erat ad beatificandos homines ſeu ipſos ad claram Dei viſionem perducendos, quam ipſi propriis viribus nec mereri, nec aſſequi vnquã

Adamus cognouit myſterium Incarnationis.

potuiſſent: non enim præſciuit Adam ſuum futurum peccatum ad quod genus humanum redemptione indigeret, vt communiter tenent Theologi, præſertim D. Tho. loco citato, & alii Scholaſtici in 2. Sent. diſt. 23. idque poſt Diu. Auguſt. lib. 11. ſuper Geneſ. ad litteram cap. 18.

Adamus cognouit Chriſti cũ Eccleſia coniunctionem.

Eundem etiam cognouiſſe futuram eiuſdem Chriſti cum Eccleſia ſponſa coniunctionem, affirmat idem D. Auguſt. lib. 9. ſuper Geneſ. ad litter. cap. vlt. colligitque ex illis Adæ verbis Geneſ. 2. *Hoc nunc os ex oſsibus meis, & caro de carne mea.* In quibus ſcribit Apoſt. ad Epheſ. 5. Chriſti & Eccleſiæ ſacramentum contineri, & fortaſſis etiam, vt loquitur Proſper lib. de Promiſſionibus & prædictionibus cap. 1. *Ex latere Chriſti in Cruce pendentis formandam (quod factum eſt) prauidit Eccleſiam*: Sicque etiam Dominicæ paſſionis myſterium præſcire potuiſſet, non vt peccati remedium, ſed vt medium gloriæ conſummandæ à Deo præordinatum.

Sunt etiam qui probabile ducant Adamum etiam cognouiſſe bonorum Angelorum meritum & beatitudinem, ſimulque malorum caſum & damnationem, tùm ad conſolationem cùm intelligeret nonnullos homines ex ipſo oriundos in eorum locum aſciſcendos eſſe, cùm etiam ad propriam cautelam. Cætera verò quæ neque ex principiis naturalibus ſciri poſſunt, nec ad homines rectè gubernandos in ordine ad finem ſupernaturalem pertinent, rectè à D. Thom. ſuprà,

Digitized by Google

Adamum latuiſſe dicuntur.

Verùm hîc quæri ſolet, vtrùm Adamus fuerit omnium hominum ſapientiſſimus; ex qua tamen comparatione Chriſtum Dominum excipimus, quem etiam qua homo fuit, quẽadmodum aliis perfectionibus, ita ſcientiæ ac ſapientiæ quoque dignitate, cunctis mortalibus præcelluiſſe certum eſt. Ad quæſtionem igitur propoſitam reſpondemus, vocabulum ſapientiæ quatuor modis accipi poſſe. Sicque de propoſita quęſtione iuxta diuerſas acceptiones diuerſo modo ſentiendum eſſe. Primo igitur modo accipitur ſapientia pro vno & ſeptem donis Spiritus Sancti, & hac ratione tanta eſt in vnoquoque homine ſapientia quanta eſt in ipſo charitas & gratia: Quia igitur in beatiſſima Virgine & Apoſtolis probabile eſt maiorem fuiſſe gratiam quàm in Adamo, idcircò maiorem quoque fuiſſe in illis ſapientiam hoc modo ſumptam exiſtimandum eſt. Secundo modo ſapientia accipitur pro ſcientia rerum diuinarum ac expreſſa myſteriorum fidei notitia, quomodo etiam probabiliùs eſt fuiſſe in Apoſtolis, & etiam aliis nonnullis Eccleſiæ doctoribus quàm in Adamo ſapientiam, præſertim cùm myſteria fidei ac rerum diuinarum arcana, poſt aduentum Chriſti longè vberiùs ac diſtinctiùs quàm antea percepta & cognita ſint. Tertio modo ſapientia accipitur pro ſcientia rerum moralium & ciuilium, ac pro ipſa prudentia politica ſeu ſcientia benè regendi alios, quam in Salomone excellen-

Quæritur vtrùm Adamus fuerit omnium hominum ſapientiſſimus.

Reſpondetur.

Sapientia quadrupliciter ſumitur.

Primò.

Secundò.

Tertiò.

tiſſimam fuiſſe arbitramur, vtpotè ipſi apprimè neceſſariam, quam proinde ipſe à Deo petiit, & cumulatiſſimè obtinuit 3. Reg. 3. cap. & ſanè hoc genere ſapientiæ intelligenda ſunt hæc Domini ad ipſum verba ibidem: *Dedi tibi cor ſapiens, & intelligens, non tantùm vt nullus ante te ſimilis tui fuerit, ſed nec poſt te ſurrecturus ſit.* Quarto denique modo, tùm apud Philoſophos cùm Theologos, accipitur pro perfecta & conſummata rerum omnium ſcientia, quæ cùm alias doctrinas complectitur, tùm maximè Metaphyſicam, cui præter cæteras diſciplinas ſapientiæ titulum competere docet Philoſophus lib. 1. Metaph. 9. Hoc igitur ſapientiæ genere Adamum cæteris mortalibus præcelluiſſe probabiliſſimè arbitramur, tùm quia amplior fuit in ipſo eiuſmodi ſapientia ſeu ſcientia quàm in cæteris, cùm ipſi diuinitùs infuſa fuerit rerum omnium naturalium ſcientia, quod nulli adhuc mortalium contigit, tùm quia præſtantior fuit in ipſo ſciendi modus quàm in aliis; cùm enim alij homines plæraque probabili duntaxat ratione & non ex cauſis, ſed ex effectibus, & quibuſdam veluti veſtigiis, neque adhuc ſemper oſtenſiua demonſtrâtione, ſed plerunque ductu ad incommodum teneant, ipſe exquiſitam & quę per proprias rerum cauſas procederet ſcientiam diuinitùs accepit, tùm quia firmiùs diuinitùs accepta hæc ſcientia in ipſo inhęrebat quàm in cæteris mortalibus quouis

Quartò.

Hoc 4. genere ſapientiæ Adamus cæteris mortalibus præcelluit.

Digitized by Google

ſtudio & labore parta ſcientia, quę variis ex cauſis interdùm obliterari poteſt, ac penitus aboleri. At verò prædicta illa prioris hominis ſcientia durante ipſo innocentiæ ſtatu nunquam amitti potuiſſet.

An primus homo in gratia conditus fuerit.

QVÆSTIO III.

AD propoſitæ quęſtionis intelligentiam, notandum eſt primò, gratiam hoc loco dupliciter accipi poſſe, nempe vel generaliter pro quolibet ſupernaturali dono quo homo ad bene beatéque viuendum ordinari poteſt, quomodo per gratiam tam gratia gratum faciens, quàm iuſtitia originalis intelligi poteſt, quomodo etiam nomen gratiæ vſurpauit D. Thomas hîc quæſt. 95. art. 1. Vbi rectè probat S. Doctor, hominem in ſtatu gratiæ, id eſt, non puræ naturæ, ſed cum aliquo ſupernaturali dono creatum fuiſſe, cuius beneficio non tantùm mens ſeu ratio Deo omnimodè ſubdebatur, verùm etiam rationi vires animæ inferiores, & ipſi animæ corpus. Cùm enim conſtet omnimodam illam ſubiectionem inferiorum virium reſpectu rationis, & corporis reſpectu animæ, non fuiſſe naturalem, cùm non remanſerit poſt peccatum, eaque oriunda eſſet ab illa prima totali ſubiectione rationis erga Deum, nec cauſa deterioris conditionis *Notandũ primò.*

ſit quàm effectus ; inde neceſſariò ſequitur primam illam ſubiectionem non fuiſſe ſolùm ſecundùm naturam , ſed ſecundùm ſupernaturale donum gratiæ : Vel accipi poteſt gratia ſpecialiter pro ſola gratia gratum faciente , prout nempe diſtinguitur ab originali iuſtitia , quomodo hîc gratiam accipimus , cùm quærimus vtrùm homo in gratia conditus fuerit. Nam de gratia generaliter ſumpta nulla fermè eſt

Notandũ ſecundo. controuerſia apud Theologos. Secundò notandum eſt inſigne diſcrimen inter gratiam hoc poſteriori modo ſumptam,& iuſtitiam originalem quam ex propriis ipſarum effectibus facile eſt intelligi : Gra-

Gratia in ſtatu innocent a 3. effectus ſortiebatur. tia enim tres præcipuos effectus in ſtatu innocentiæ ſortiebatur : primò enim reddebat hominem ita gratum & acceptum Deo , vt tanquam adoptiuus Dei filius ad ſupernaturalem beatitudinem hereditario

1. veluti iure deſtinaretur. Secundò præſtabat

2. homini facultatem ſeruandi quælibet etiam ſupernaturalia Dei præcepta. Tertiò red-

3. debat omnia hominis opera ſupernaturalis finis meritoria , itavt etiam per ipſam potuiſſet homo in melius proficere in ordine ad eiuſmodi ſupernaturalem beatitudinem.

Iuſtitia originalis tres alios effectus. At verò iuſtitia originalis tres alios effectus ad quandam humanæ naturæ integritatem pertinentes ſortiebatur. Primo

1. enim ſuperiorem animæ partem , id eſt, rationem ac mentem, ita Deo ſubiiciebat , vt ipſius beneficio poſſet homo ſeruare

omnia Dei præcepta naturalia, ſicque eatenus rectè ſe haberet erga Deum vt naturæ authorem. Secundo inferiorem animę partem, nẽpe ſenſitiuam, parti ſuperiori penitus ſubiiciebat, vt nunquam niſi ex rationis pręſcripto moueretur. 2. Tertio ſubiiciebat etiam corpus animæ, ſic vt neque animam vllo modo aggraueret, neq̃ue vllo modo contra naturalem animæ propenſionem immutari poſſet, vt nunc plerunque euenit per mortem, morbos, & alia id genus noxia. 3. Sicque vt vides Gratia hominem ad Deũ ordinabat vt ad finẽ ſupernaturalem & vt ad authorem gratiæ & gloriæ, iuſtitia verò originalis vt ad finem naturalem, & vt ad authorem naturæ. Gratia erat ſupernaturalis, non tantũ quia homini in puris naturalibus minimè debebatur, ſed etiam maximè quia hominem ad ſtatum ſupernaturalis beatitudinis ordinabat, ac ipſum in eſſe quodam ſupernaturali etiam tunc conſtituebat. At verò iuſtitia originalis eatenus erat ſupernaturalis, quòd à Deo ipſi homini gratis & ſupernaturaliter tanquam ipſius naturæ minimè debita infundebatur.

Adamus in iuſtitia originali conditus fuit.

Conſentiunt igitur omnes Theologi hominem in iuſtitia originali conditum fuiſſe, id eſt cum quadam rectitudine in ordine ad Deum ac ſeipſum, quæ partim naturalis partim ſupernaturalis dici poteſt, vt ex dictis facilè poteſt intelligi. Verùm præcipua difficultas eſt, vtrùm conditus fuerit in gratia gratum faciente. Nonnulli enim etiam graues Theologi id negant, vt Alexan. Alenſis 2. parte ſuæ

Dubitatur vtrùm in gratia gratũ faciente

Summę q.96.mem.1.D.Bonauent.in ſecundũ Sent.diſt.29.art.2.quæſt.2.Scotus in eandem diſt.quæſt.vnica.

Probabilior opinio. Probabilior tamen eſt contraria, eaque communis aliorum Theologorum, eaque planè videtur eſſe ſententia D.Thomæ hîc loco citato, vt apertè colligi poteſt ex ipſius reſponſis ad argumenta, nempe hominem non tantùm in ſtatu iuſtitiæ originalis, ſed etiam in ſtatu gratiæ gratum facientis creatum fuiſſe.

Probatur authoritate. Probatur primùm authoritate ſacræ Scripturæ Gen.1. *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram.* vbi imaginem naturæ, ſimilitudinem gratiæ, tribuunt ſancti Patres, vti iam ſuprà dictũ eſt quæſt.1.huius diſput. Item Eccleſ.7.abſolutè Deus dicitur ab initio feciſſe hominem rectum, nomine autem rectitudinis in ſacris literis ſolet ſignificari perfectio gratiæ, vt Iob.1. *Erat vir ille ſimplex & rectus.* & Pſal.7. *Qui ſaluos facit rectos corde.* Pſalm. 5. *Spiritum rectum innoua in viſceribus meis.* Prætereà Eccleſiaſtici c.17.ita prædicatur dignitas lorum primorum Parentum in ipſa prima ſui conditione, vt appareat eam minimè abſque dono gratiæ extitiſſe. *Cor* (inquit) *dedit illis excogitandi, & diſciplina intellectus repleuit illos.* Accedit conſenſus ſanctorum Patrum, qui vt paulò ante innuimus, ad gratiam referunt illam Dei ſimilitudinẽ, ad quam homo creatus eſt. Ita Origen. lib. 3. Periarchon cap. 6. vbi ſcitè addit *Similitudinem illam perficiendam eſſe in gloria.* Ita Diuus Baſilius hom.10.Hexam.& D.Auguſt.

paſſim apertè ſatis docet hominem in gratia iuſtificante fuiſſe conditum, præſertim lib. 14. de ciuit. Dei cap. 11. & 27. & in Enchiridio, ca. 24. Præterea probatur ratione, quia cùm Deus omnia condiderit aptiſſimè ordinata ad ſuos fines, ideoque perfecta dicantur ipſius opera, congruum fuit maximè vt homo nobiliſſima omnium viſibilium creaturarum, optimę ad ſuum finem ordinatus, crearetur: Atqui homo non potuit aptiùs ordinari ad ſuum finem qui erat ſupernaturalis, niſi per gratiam gratum facientem, cùm iuſtitia originalis nonniſi in ordine ad finem naturalem ipſum ordinaret, ad quem tamen non erat abſolutè loquendo à Deo deſtinatus: Ergo debuit in ſtatu gratiæ gratum facientis à Deo procreari, non ſecus ac Angeli, quos ſimiliter in gratia conditos fuiſſe ſuprà tract. 4. præcedenti dictum eſt. *Ratione probatur.*

Si obiicias, eſſe naturale præcedere ipſum eſſe gratiæ, ideoque hominem priùs creatum fuiſſe cum perfectione naturali ac dono iuſtitię originalis, per quod conſtabat integritas naturæ, quàm gratiā conſequeretur ad quam debuit ſe per aliquos præcedentes actus diſponere. Reſpondetur ſatis eſſe quod homo priùs natura, licet non priùs tempore, crearetur, cum naturali perfectione, quàm cum gratia gratum faciente; neque adhuc neceſſe fuiſſe vt per aliquem actum ſe ſe ad gratiam diſponeret quam Deus ipſi gratis voluit infundere, ſicuti ętiam ſuprà de Angelis docuimus, quamuis *Obiectio* *Solutio.*

Digitized by Google

dici etiam poſſet iuxta ſententiam D. Thom. hîc eodem inſtanti ſe ſe ad gratiam præparare potuiſſe quo ipſam recepit.

An iuſtitia originalis à gratia reipſa diſtinguatur, & in qua animæ parte reſideret.

QVÆSTIO IV.

CONSTAT ex iis quæ in ipſo præcedentis quæſt. limine adnotauimus, quid ſit iuſtitia originalis, nempe hîc iuſtitiam appellari non illa quę eſt vna & princeps virtutum cardinalium, quæque ſuam in voluntate ſedem habet, nec illam qua remiſſis peccatis iuſtificamur, ac ipſi Deo reconciliamur, ſed eſſe perfectionem quandam totius hominis ſecundùm naturæ ſuæ integritatem, optimamque omnium animæ potentiarum, tùm inter ſe, cùm in ordine ad ſuos actus diſpoſitionem: appellatur autem originalis, tùm quod eam à prima ſui origine cōgenitam haberet homo, tùm quia per originalem viam ex ipſo in eius poſteros transfundenda erat. Conſtat etiam ex prædictis ibidem, quinam ſint præcipui eius effectus. Vbi obiter nota alia quædam externa priuilegia homini in ſtatu originalis iuſtitiæ obtigiſſe, quæ non ab ipſa iuſtitia originali, ſed ex ſingulari Dei prouidentia, & ſpeciali circa ipſum hominem cura proceſſiſſent, vt non poſſe

Iuſtitia originalis quid ſit.

Nota.

Digitized by Google

decipi, nec labi in peccatum veniale, itemque etiam mori non poſſe. Denique ex iis facilè intelligitur iuſtitiam originalem formali ſaltem ratione & conceptu, à gratia ſanctificante diſtingui. Superſunt duæ difficultates hoc loco de ipſa explicandæ. *Duæ difficultate hic explicand.*

Prior eſt, vtrùm iuſtitia originalis ſit idem realiter cum gratia . ita vt idem donum ſupernaturale penes varios effectus varias quoque rationes ſicut & varios conceptus ac nomina ſortiatur, an verò ſint verè diſtincta dona. Equidem ſanctus Doctor hîc quæſt. 95. artic. 1. de vtraque tanquam de vno dono reipſa plane loqui videtur. Et nonnulli eorum qui primum hominem non ſolùm cum originali iuſtitia , ſed etiam cum gratia ſanctificante conditum fuiſſe cenſent, quæ ſanè opinio probabilitate non caret: Nihilominus tamen probabilior videtur eorum ſententia, vt ſancti Bonauent. in lib. 2. Sentent. diſtinct. 29. Scoti ibidem diſtinct. 34. & Toſtati in tertium cap. Geneſ. quæſt. 6. & 7. qui iuſtitiam originalem à gratia gratum faciente reipſa diſtingui ſentiunt; in qua ſententia ſunt imprimis omnes qui hominem cum ſola originali iuſtitia, non verò cum gratia gratum faciente creatum eſſe arbitrantur, vt, Halenſis, Diu. Bonauent. &, alii & plerique etiam qui ipſum ſimul cum gratia conditum eſſe putant, vt Caiet. & in eam ſententiam. videtur propendere Magiſt. Sententiar. lib. 2. diſtinct. 29. *Prior difficultas. De propoſita difficultate probabilior ſententia.*

Ratione verò confirmatur tum quia tanta *Ratione cõfirmatur*

aut aliqua ſuperioris ipſius partis facultate reſideat neceſſe eſt. Vtrùm verò iuſtitia originalis in ipſa animæ eſſentia, an verò in aliqua aut pluribus eius potentiis formaliter reſideat controuertitur. Diuus Thomas in prima ſecundæ quæſt. 83. art. 2. exiſtimat reſidere in ipſa animę eſſentia. Scotus verò in ſecundum Sentent. diſtinct. 29. quæſt. vnica, in ſola voluntate. Verùm probabiliſſimè alii exiſtimant iuſtitiam originalem non in ipſa animæ eſſentia, nec in vnica eius facultate, ſed in pluribus ſimul reſidere, nempe in intellectu & voluntate, ac etiam ſi lubet in ipſis inferioribus animæ potentiis. Probatur hæc aſſertio, quia cùm probabiliſſimum ſit iuſtitiam originalem non eſſe vnum ſimplicem habitum, ſed vniuerſalem quandam totius hominis ſecundùm omnes animæ potentias eucraſiam ſeu optimam veluti temperiem; neceſſe eſt vt in ſingulis animæ potentiis ſecundùm diuerſos habitus ineſſe concipiatur, per quos eiuſmodi habitus eiuſmodi ſingulę potentiæ ſeu facultates concipiantur optimè diſpoſitę, tum in ordine ad ſe inuicem, cùm in ordine ad ſuos actus & obiecta. Neque abſurdum videri debet, ſi præter eos habitus iuſtitiæ originalis quos in ſuperiori animæ parte, intellectu nempe & voluntate collocamus, alios quoſdam ipſis ſubordinatos in inferiori eiuſdem animæ parte aſſignemus, vt ſicut per illos ſuperior

Controuertitur de ſede iuſtitiæ originalis.

Probabilior ſent.

Probatur ratione.

Obiectioni occurritur

animę pars rectè imperat, ita per iſtos inferior animæ pars ad nutum ſuperiori obſequatur.

Notādum. Porrò notandum eſt quod docet D. Th. hîc art. 2. nihil obſtitiſſe iuſtitiam originalem quominùs homo in illo innocentiæ ſtatu nõnullas paſſiones moderatas ſenſitiuæ partis experiretur ex iis quæ verſantur circa bonum ſiue præſens, ſiue futurum ſuo tempore habendum; caruiſſe tamen iis quæ malum reſpiciunt, cùm nullum malum timere aut incurrere in illo ſtatu potuiſſet. Cũ autẽ in ſtatu illo fuerit omnimoda animæ rectitudo ſecundũ omnes ipſius vires, tũ ſuperiores cũ inferiores, vt ex dictis patet; virtutes autẽ nihil aliud ſint quàm perfectiones quædam quibus ratio recta ordinatur in Deũ, & inferiores vires ſecundùm rationis regulam optimè diſponũtur; inde ſequitur quod ſtatus ille omnium virtutum aggregationem exigebat.

Status innocẽtiæ omniũ virtutũ aggregationem exigebat.

Vbi notandum eſt ex D. Th. hîc a. 3. non eodẽ modo virtutes omnes in primo homine extitiſſe. Illæ enim quæ nullã imperfectionem important, vt charitas, iuſtitia & in ipſo extitere, tum ſecundùm habitũ, tum ſecundùm actũ: quæ verò imperfectionem important, ſiue ex parte actus, ſiue ex parte materiæ, non omnes ſecundùm actum in illo ſtatu eſſe potuerunt: ſi enim imperfectio illa non repugnet perfectioni primi ſtatus, nihil obſtat quominus virtutes illæ in eodẽ ſtatu eſſe potuerint, tum ſecundùm habitum, cùm ſecundùm actum, vt ſunt fides & ſpes. Si verò imperfectio quã important repugnet perfectioni illius ſtatus,

Nõ idẽ omniũ virtutũ modus in primo homine.

tunc

tunc exiſtere potuerunt ſecundùm habitum duntaxat, non verò ſecundùm actum; ſic virtus pœnitentiæ & miſericordiæ, & aliæ id genus in primo homine eſſe potuerunt ſecundùm habitum; quia homo ſic erat diſpoſitus vt ſi peccaret, ſtatim dolere; ac ſi proximus aliqua afficeretur miſeriâ, ſtatim compati miſericorditer potuiſſet. Probabile etiã eſt quod quidam aiunt, nonnullas virtutes formaliter in primo homine extitiſſe, nempe tres Theologicas, præterea omnes intellectuales & morales quæ circa paſſiones minimè verſantur; eas verò quæ ad paſſiones moderandas ordinantur in ipſo eminenter, non verò formaliter extitiſſe.

Dictũ probabile circa diſcrimẽ virtutũ in ſtatu innocentiæ.

TERTIA DISPVTATIO.

De iis quæ ſpectant ad propagationem humanæ naturæ in ſtatu innocentiæ.

LOCVS hic poſtulat non tantùm vt de modo quo humana natura in prædicto ſtatu innocentiæ propagari potuiſſet, ſed etiam vt de conditione futuræ prolis ipſius, ſi in eodem ſtatu perſeueraſſet, nonnihil diſſeramus.

Digitized by Google

An per veram generationem propagata fuiſſet humana natura in ſtatu innocentiæ.

QVÆSTIO I.

QVORVNDAM Patrum ſententia fuit, homines in ſtatu innocẽtiæ non per veram generationem, ſed per creationem ad inſtar Angelorum multiplicandos fuiſſe. At verò probabilior eſt, imò pro certo habita communis Theologorum ſententia, vt Diui Aug. l. 14. de ciuit. Dei cap. 22. & ſequentibus: & lib. 9. ſupra Gen. præſertim cap. 10. Magiſt. Sentent. lib. 2. diſt. 20. & Diui Thomæ hîc quæſt. 98. art. 1. & 2. nempe futuram fuiſſe in ſtatu innocentiæ generationem ad humanæ naturæ propagationem. Probatur primùm authoritate Gen. 1 *Creſcite*, inquit Dominus ad primos parentes, *& multiplicamini, & replete terram.* huiuſmodi autem multiplicatio abſque generatione fieri non potuiſſet, cùm duo tãtũ fuerint primitus procreati. Adde quod ibi dicitur & etiã c. 2. *maſculum & fœminam creauit eos.* At fruſtrà videretur eſſe ſexuum diſtinctio in humano genere niſi in ordine ad generationẽ. Denique Gen. 2. dicitur mulier facta in adiutorium viri, nempe ad hoc vt ſimul cum ipſa homo generare poſſet: Nam ad quodlibet aliud opus, melius vir à quolibet homine quàm à fœmina iuuaretur, vt aliàs innui-

Communis Theolog. ſententia.

Probatur primo authoritate.

mus. Præterea ratione probatur veram generationem debuiſſe homini eſſe naturalem in illo ſtatu: illud enim cenſeri debet naturale, cuius finis eſt de intentione naturæ; ſed finis generationis humanæ qui non tantùm eſt ſpeciei conſeruatio, ſed etiam indiuiduorum multiplicatio erat de intentione naturę etiam in illo ſtatu: Ergo generatio ſeu liberorum procreatio in illo ſtatu fuiſſet naturalis. *Secundò ratione probatur.*

Quod autem non tantùm conſeruatio ſpeciei humanæ, ſed etiam indiuiduorum ipſius multiplicatio, ſit de intentione naturæ; Probatur ex eo quod homo ſit partim corruptibilis, partim & incorruptibilis, ac proinde mediæ cuiuſdam conditionis inter creaturas corruptibiles incorruptibiles. Cùm igitur id videatur maximè ad intentionem naturæ pertinere, quod fixum eſt ac perpetuum; hinc fit vt in rebus omnino corruptibilibus bonum ſpeciei duntaxat, non verò ipſa indiuidua quæ ſubinde oriuntur & occidunt, ſit de principali intentione naturæ, in rebus verò prorſus incorruptibilibus, non tantùm ſpecies, ſed etiam indiuidua vt pote perpetua, ſint de principali naturæ intentione: vnde colligitur quod cùm homo corpore cōſtet ſecundùm ſe corruptibili, & anima immortali, ipſi ex vtraque parte ſecundũ naturã competit generatio. Ex parte quidẽ corporis quod corruptibile eſt ad conſeruationem ſpeciei, quę cōſeruatio perſe à natura intẽditur in *Non tantũ ad conſeruationem ſpeciei, ſed etiã multiplicationẽ indiuiduorũ inſtituta eſt a natura generatio.*

Digitized by Google

rebus corruptibilibus: ex parte verò animæ quæ eſt immortalis ad multiplicationem indiuiduorum, quorum multitudo in rebus incorruptibilibus eſt per ſe intenta à natura, vel potiùs ab authore naturæ qui ſolus animarum creator eſt, ideoque ipſe maximè ad multiplicationem humani generis in ipſo innocẽtiæ ſtatu generationem inſtituit.

Dubitationi ſatisfit. Si quæras, vtrùm etiam in eo ſtatu, generatio ad ſpeciei conſeruationem eſſet inſtituta. Reſpondetur, non quidem abſolutè loquendo, cùm potuiſſet ſpecies conſeruari in duobus primis parentibus ſi in ſtatu innocentiæ perſeueraſſent; aliqua tamen ratione & ex hypotheſi dici poſſe neceſſariam fuiſſe in eo ſtatu generationem, vt ſpecies humanæ naturæ hîc in terris conſeruaretur, poſito quod Deus poſt aliquot ſæcula primos parentes, ac deinde ipſorum poſteros in cœlos eſſet tranſlaturus.

Obiectio Verùm aduerſus hanc ſententiam obiicies, generationem naturalem qualem nos admittimus abſque concubitu fieri non potuiſſe, concubitum autem non ſine aliqua concupiſcentiæ libidine peragi, quæ illum integerrimę ac puriſſimæ vitæ ſtatum minimè decuiſſet.

Solutio. Reſpondetur cum D. Thom. hîc art. 2. neceſſariam quidem fuiſſe in eo ſtatu viri ac fœminæ coniunctionem, non tamen futuram fuiſſe vllam immoderatæ concupiſcentiæ commotionem, cùm inferiores vires omninò rationi ſubditæ fuiſſent, vt ex prædictis conſtat. Itaque emiſſi è Paradiſo poſt peccatum primi

parentes coierunt & genuerunt, cùm tamen potuiſſent eſſe etiam in Paradiſo, (vt loquitur D. Augu. loco citato) nuptiæ ipſis honorabiles & thorus immaculatus, tum ſine libidine, cùm abſque pariendi labore; ideo autem (inquit idem D. Aug. loco citato c. 4.) primi parentes in Paradiſo non coierunt, tum quia formata muliere mox ob tranſgreſſionem è Paradiſo expulſi ſunt, tum quia fortaſſis diuina expectabatur authoritas ad determinandum tempus ad quam vniuerſale mandatum acceperant.

Qualiſnam fuiſſet in ſtatu innocentiæ conditio prolis quoad corpus.

QVÆSTIO II.

NON eſt dubium quin primorum parentum poſteri iiſdem priuilegiis incorruptionis & immortalitatis ac perpetuę ſecuritatis quibus ipſi donati fuiſſent; At verò difficultas eſt, quęnam futura fuiſſet ipſorum conditio ab ipſo primo ortu; an videlicèt ſicut ipſi primi parentes ſecundùm naturam corporis & vſum membrorum perfecti mox cõditi ſunt, ita etiam & eorum filii in ipſo natiuitatis exordio perfecti extitiſſent. Cui reſpõdetur ex D. Thom. hîc quęſt. 99. art. 1. idque iuxta doctrinam D. Aug. lib. 1. de peccatorum meritis, & remiſſione cap. 37. & Magiſt. lib. 2. diſt. 20. eos qui nati fuiſſent in eo ſtatu paruulos naſci oportuiſſe, idque pręſertim pro- *Difficultas circa conditionem prolis futura.*

pter materni vteri neceſſitatem, deinde adhuc infirmis artubus, ita vt progreſſu ætatis creſcerent & roborarentur: idque optimè probat D. Thom. loco citato; ex eo quod incrementum iſtud corporis & roboris, qui eſt progreſſus ab imperfecto ad perfectum, naturale ſit hominibus qui generantur: Namque ob magnitudinem & humiditatem cerebri ex quo nerui ad motum obeundum neceſſarii deriuantur, accidit homini, vt ab initio natura ſua non ſit ita validus ad motum ſicut alia animalia prædita ſicciori ac minori cerebro reſpectu ſui corporis, quæ idcircò poſſunt ſtatim ab ortu ſuo ambulare; quæ autem ſunt naturalia, etiam in ſtatu innocentiæ homini conueniſſent. Et ſanè ad decentiam illius ſtatus ſatis fuiſſet quod in quacunque ętate habuiſſet homo ſufficiens robur ad motus ætati conuenientes. Quare ſcitè concludit ſanctus Doctor loco citato, quod pueri mox nati non habuiſſent ſufficientem virtutem vtendi membris ad quoſlibet actus, ſed ad actus pueritię conuenientes, vt ad facilè ſugendum vbera, &c. Vbi nota ex eodem Diuo Thoma ibidem ad quartum, quod quia homo in ſtatu innocentiæ generatus fuiſſet, ſed non fuiſſet corruptus; idcircò in ſtatu illo potuerunt eſſe aliqui defectus pueriles qui generationem conſequuntur, non autem defectus ſeniles qui ad corruptionem ordinantur.

Reſolutio prædicta difficultatis.

Nota quod in illo ſtatu defectus pueriles non ſeniles reperiri potuiſſent.

Dubitatio. Solet autem hîc quæri à nonnullis, vtrùm

ſi ſtatu innocentiæ, non tantùm mares, ſed etiam fœminæ natæ fuiſſent; cum fœminæ procreatio videatur eſſe præter intentionem agentis, ideoque fœmina mas occaſionatus dicatur à Philoſopho libro ſecundo de generatione animalium cap. 3. Verum reſpondetur cum Diu. Thom. hic quæſt. 99. art. 2. fœminas in eo ſtatu naſcituras; quod quidem colligitur ex Geneſ. 2. *Propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori ſuæ.* Quod nonniſi de poſteris Adæ in quocunque ſtatu futuri eſſent dictum eſt; & ratione comprobatur: Nihil enim eorum quę ad complementum humanæ naturæ pertinent in ſtatu innocentiæ defuiſſet; Sicut autem ad perfectionem vniuerſi pertinent diuerſi gradus rerum, ita etiam ad perfectionem ſpeciei in animalibus diuerſitas ſexuum: Atqui in ſtatu innocentię fuiſſent homines procreati modo conuenienti perfectioni ſpecificę, ac proinde non tantùm mares, ſed etiam fœminæ per generationem procreatę fuiſſent; Et quidem, vt notat S. Thom. ibidem ad tertium, Tot fuiſſent generatę fœminæ quot mares, ita vt vnuſquiſque habuiſſet ſuam vxorem, & vnaquęque virum ſuum; Tunc enim, vt inquit ſanctus Doctor, omnes generaſſent, cùm illud generandi officium nihil turpitudinis admixtum habuiſſet. Ad illud autem dictum Philoſophi, Reſpondetur, intentionem quidem generantis eſſe producere effectũ planè ſibi ſimilem, ac proinde maſculum, ſicque fœ-

Solutio.

In illo ſtatu tot natæ fuiſſent fœminæ quot mares.

Occurritur obiectioni.

Digitized by

minam eſſe quidem præter intentionem agentis ſeu naturę particularis, non verò prę-ter intentionem naturæ vniuerſalis, vt ſci:è docet D. Thom. ibidem ad primum.

Qualiſnam fuiſſet conditio poſterorum Adami in prædicto ſtatu quoad animam.

QVÆSTIO III.

Quatuor quæ ad animā primi hominis in primo ſtatu pertinebant.

QVATVOR maximè ad animam primi hominis in ſtatu innocentiæ pertinuiſſe ſupra in præfatione præcedentis diſputationis probauimus, quorum primum eſt imago, ſeu ſimilitudo Dei in ipſo impreſſa; alterū eſt eidem congenita rerum omnium notitia; tertiū dici poteſt iuſtitia originalis; & quartum gratia gratum faciens ſeu ſanctificans. Quomodo igitur ſe ad iſta habuiſſent Adami poſteri, ſequentibus propoſitionibus explicabimus.

Prima propoſitio.

Prima propoſitio, quæ eſt omnium Theologorum. Poſteri omnes Adami vel ab ipſo natiuitatis exordio dici potuiſſent ad imaginem & ſimilitudinem Dei; eo quòd omnes donati fuiſſent ratione, libertate, immortalitate, cæteriſque naturalibus perfectionibus in quibus Dei Creatoris imago ac ſimilitudo elucet, præſertim cùm nullius peccati ſorde maculati fuiſſent, ac inſuper iuſtitiæ originalis ac gratię ſanctificantis dotibus fuiſſent exornati, vt poſteà probabitur.

Ratio.

Digitized by Google

Secunda propoſitio, quæ eſt D. Thomæ hîc qu.10.art.1. Poſteri Adæ non erant naſcituri cum infuſa rerum ſcientia. Probatur, quia de his quæ ſupra naturam ſunt nihil affirmandũ eſt quod diuina authoritate, aut Theologica ratione valde probabili ſuffultum non ſit: Atqui nulla authoritas ſuppetit qua conſtet poſteros Adæ cum infuſa ſcientia naſcituros in eo ſtatu; & ratio contrarium potiùs ſuadet; ſiquidem naturale homini eſt ſcientiam paulatim acquirere per ſenſus & experimenta, idcircò enim anima rationalis cum iſto corpore omnium ſenſuum tam externorum quàm internorum inſtrumentis ac præſidiis inſtructo copulata eſt, vt eorum adminiculo doctrinas quarum ipſa per ſe expers eſt, ſibi comparare poſſet. Adde quod rationi congruum maximè eſt, vt ſicut poſteri Adæ non fuiſſent nati perfecta ętate, nec obfirmato viribus corpore, vt ſuprà oſtenſum eſt; ita nec perfecto animo & ratione, hoc eſt cum perfecta rerum notitia naſcerentur. Verùm obiicies, ignorantiam homini ex culpa accidiſſe, homines autem in illo ſtatu naſcituros abſque culpa: ergo & ſine ignorantia, ac proinde cum ſcientia. Reſpondetur iuxta doctrinam D. Tho. hîc qu.101. art. 1. ad 2. duplicem eſſe ignorantiam: Alteram puræ negationis, nec per ſe laudabilem, nec vituperabilem, quæ potiùs neſcientia quàm ignorantia appellatur, eſtque earum rerum quas quis nec tenetur, nec ſecundùm naturæ ſuæ conditionem noſſe poteſt, qualem D. Dion. cap. 7. de cœl. Hierarc. etiam in ſanctis

Secunda propoſitio. Probatur primò.

Secundò.

Obiectio.

Solutio. Ignorantia duplex, negationis & priuationis

Angelis reſpectu quarundam rerum quę ipſis non reuelantur admittere non dubitauit : Alteram priuationis debitę ſcientiæ culpabilem,aut certè probroſam, quæ eſt earum rerum quas quis tenetur,aut certè poteſt ſecundùm naturæ ſuæ conditionem cognoſcere.Priorem illam non ex culpa , ſed ex conditione naturæ creatę,quæ non poteſt omnia noſſe;hanc verò poſteriorem ex culpa procedere aſſerimus,illamque non hanc Adami poſteris tribuendam eſſe arbitramur ; cognouiſſent enim illi ea quæ pro eorum ætate ipſis noſſe competebant.

Aliqua obiectio. Obiicies iterùm. Conſtat ex prædictis Adamum rerum omnium notitiam ab inſtāti ſuę creationis habuiſſe, cur non igitur & ipſius poſteri ? cùm ipſi primo parenti ſimiles generari debuiſſent. *Solutio.* Reſpondetur ex D. Th.hîc ad 1.multa fuiſſe in Adamo propria & peculiaria,ſecundùm quæ non potuiſſent eius poſteri ipſi ſimiles generari, vt quod perfecta ętate,robuſto corpore , & apta ad generandū facultate procreatus fuerit , & ſimiliter quod omnium rerum ſcientia donatus fuerit inquātùm ipſe pater , & inſtructor totius humani generis à Deo inſtitutus erat.Porrò,etſi poſteri Adami *Corollariū* infuſam rerum ſcientiam nequaquam habuiſſent,eam tamen cùm ad ætatem doctrinæ idoneam & capacem perueniſſent, breui,facilè,perfectéque,vel addiſcendo , vel inueniendo , ſibi comparaſſent, vtpotè qui ad id pleriſque optimis præſidiis iuuarentur , vt ſingulari ingenii acumine , ac memoriæ fir-

mitate, ſenſuumque omnium integritate, corporis optima & nunquam interrupta valetudine, vitæ longitudine ac ſecuritate, ſummaque animi morumque tranquillitate.

Tertia propoſitio, quæ eſt D. Tho. hîc q. 101. art. 2. pueri mox nati in illo ſtatu perfectum rationis vſum minimè habuiſſent; dependet enim rationis vſus in homine ex vſu virium ſenſitiuarum, ac proinde ex optima eorum in quibus reſident organorum diſpoſitione; atqui in pueris illis non fuiſſent ſatis aptè diſpoſita ſenſitiuarum virium organa ad vſum, tùm ſenſuum, cùm rationis, vt ex dictis conſtat, propter nimiam cerebri humiditatem; quare pueri in ſtatu innocentiæ non habuiſſent perfectum vſum rationis ſicut habituri fuiſſent in perfecta ætate; perfectiorem tamen quàm nunc habuiſſent, ſicut etiam perfectiorem membrorum & organorum vſum. *Tertia propoſitio.* *Ratio.*

Quarta propoſitio, quæ eſt etiam Diui Thomæ, hîc quæſtione 100. art. 1. Poſteri omnes Adami in ſtatu innocentiæ cum iuſtitia originali fuiſſent procreati. Probatur authoritate Concilii Tridentini ſeſſ. 5. vbi definitum eſt Adamum peccando ſanctitatem & iuſtitiam non ſibi tantùm, ſed omnibus etiam poſteris ſuis perdidiſſe. Vbi obiter ponderanda ſunt Concilii verba; namque vocabulo *ſanctitatis* gratiam gratum facientẽ, nomine verò *iuſtitiæ*, iuſtitiã ipſam originalẽ indicat. Deinde ratione probatur. Naturale enim eſt homini vt generet ſibi ſimile quan- *Quarta propoſitio.* *Authoritate probatur.* *Ratione confirmatur: prima.*

tùm fieri poteſt ſecundùm ſpeciem; vnde neceſſe eſt filios parentibus in iis omnibus aſſimilari quæ naturam ſpeciei conſequuntur, niſi fortè contingat error in operatione naturæ, qui in ſtatu innocentiæ non fuiſſet; in accidentibus autem indiuiduantibus non eſt neceſſe filios parentibus aſſimilari: Atqui iuſtitia originalis in qua primus homo conditus fuit, erat accidens totius naturæ, non indiuidui; non quidem quod ex principiis naturæ cauſatum eſſet, ſed quod diuinitùs eſſet toti naturæ donatum; quod vel ex eo liquet, quod peccatum originale, ipſi originali iuſtitiæ oppoſitum, naturæ peccatum eſſe dicatur, vnde à parentibus in poſteros traducitur: concludendum igitur eſt in eo ſtatu futurum iri, vt filii parentibus quoad originalem iuſtitiam aſſimilarentur. Adde quod generati fuiſſent Adæ

Secundo. poſteri cum dono immortalitatis ac impaſſibilitatis, atque aliis illius ſtatus prærogatiuis quæ ad corpus pertinent, vt omnes fatentur: At hæc neceſſariò erant connexa cum iuſtitia

Nota. originali; cum hac igitur nati illi fuiſſent. Vbi nota quod licèt illud donum ſupernaturale primus parens per generationem non produxiſſet, dici tamen poterat illud transfundere, quatenus produxiſſet vltimam diſpoſitionem ad animam rationalem quæ illo dono fuiſſet prædita.

Quinta propoſitio, quæ eſt D. Thomæ hìc

Quinta propoſitio. qu. 100. art. 2. ad 2. Poſteri Adæ in illo ſtatu nati fuiſſent cum gratia gratum faciente. Probatur primùm allata ſuperiùs authoritate ſacri

Digitized by Google

Concilii Trident. quo loco non tantùm iuſtitiæ, ſed etiam ſanctitatis quæ eſt à gratia ſanctificante fit mentio; deinde ratione probatur; quia ex præcedenti propoſitione poſteri Adæ generati fuiſſent cum iuſtitia originali: ergo etiam cum gratia. Probatur conſequutio; quia iuſtitia illa originalis erat neceſſariò annexa in eo ſtatu gratiæ gratum facienti, ita vt ſine ipſa non poſſet in homine remanere: Quo factum eſt vt ſtatim atque primus homo per peccatum gratiam perdidit, ſimul etiã iuſtitiam originalem amiſerit. Obiicies forſan, ſi poſteri Adæ ſimul cum gratia nati fuiſſent, ita vt ab illo primo parente in ipſis tranſfuſa fuiſſet, potitique gratia illa fuiſſent, homini naturalis eſſet; atque hoc repugnat, cùm gratia ſit ex genere & ordine rerum ſupernaturalium. Reſpondetur, licèt ex hypotheſi quod gratia ſimul cum natura & anima rationali homini fuiſſet indita, dici poſſet quodammodo naturalis, eo quòd ab origine naturæ affuiſſet homini; ſimpliciter tamen & abſolutè fuiſſet ſupernaturalis, tùm quia non fuiſſet homini inſerenda per vim & potentiam naturæ, ſed per abſolutam Dei poteſtatem quæ illam concreaſſet in anima, tùm quia non fuiſſet aliquid naturaliter debitum homini, tum quia non fuiſſet aliquid pertinens ad naturalẽ integritatem & perfectionem naturæ.

Ratione probatur.

Obiectio.

Solutio.

Gratia ſanctificãs non fuiſſet abſolute naturalis in illo ſtatu.

Sexta propoſitio, quæ eſt D. Th. hîc qu. 100. art. 2. Poſteri Adę non fuiſſent ab inſtanti ſuæ productionis confirmati in iuſtitia aut gratia. Probatur primùm auth. D. Aug. qui lib. 1. Re-

Sexta propoſitio.

Authoritas

tract. cap. 23. & 14. de Ciuit. Dei cap. 10. ſatis apertè indicat, etiamſi Adam in gratia & iuſtitia perſeueraſſet, quemlibet tamen ex ipſius
Ratio. poſteris peccare potuiſſe. Deinde ratione confirmatur; non enim probabile eſt poſteros Adæ maiorem accepturos fuiſſe gratiam quam primus eorum parens initio accepiſſet: atqui ipſe primus parens non erat confirmatus in gratia, cùm in ea ita eſſet creatus, vt ipſam amittere potuiſſet, ſicut & de facto amiſit: neque eſt quod dicas perſeuerantiam Adami potuiſſe eſſe cauſam meritoriam cur poſteri eius naſcerentur in gratia confirmati; neque enim gratiam aut gratiæ augmentum & multo minùs gratiæ confirmationem poterat aliis de condigno promereri, id enim ſolius Chriſti proprium eſſe, alibi Deo dante docebitur:
Obiectioni occurritur. neque eſt etiam quod alius forſan dicat confirmationem illam in gratia poſteris Adæ conceſſum iri, non quidem propter meritum Adæ, ſed propter conditionem illius ſtatus; ſi enim gratiæ confirmatio ad eum ſtatum pertinuiſſet, nequaquam ipſi omnium primo parenti in eodem ſtatu fuiſſet denegata. Quòd ſi dicas id euenturum propter pactum aliquod quo Deus Adamo promiſerat ſi ipſe perſeueraſſet, ſe omnes eius poſteros in gratia confirmaturum: Occurro, id gratis dici, & ſine vlla ſacrarum litterarum aut ſanctorum Patrum authoritate, ac proinde reiiciendum eſſe.

Dubitatio. Si quæras, vtrùm etiam, tùm ipſe Adam, cùm eius poſteri; ſi tentationi reſtitiſſent,

Digitized by Google

fuiſſent in gratia confirmati. Reſpondetur id quidem non ſine aliqua probabilitate à quibuſdam vt à Scoto in 2. Sent. diſt. 20. qu. 1. aſſeri, nempe Adamum ante ſtatum gloriæ futurum fuiſſe in iuſtitia confirmatum, ſi viciſſet primam illam tentationem qua fuit inductus ad comedendum ex ligno vetito, & ſimiliter eius poſteros fuiſſe in iuſtitia confirmandos ſtatim atque primam quiſque tentationem qua ad peccandum induceretur ſuperaſſet. Verùm quia illud non ſatis firma authoritate nec ſufficienti ratione fulcitur, imò potiùs aduerſari videatur ipſis Domini verbis. *In quacunque die comederis, ex eo morte morieris*: & etiam rationi, cùm id ſtatui viatorum, qualis erat ſtatus innocentiæ, repugnare videatur, præſertim ſi omnibus indiſcriminatim eſſet conceſſum: idcircò ſtandum videtur in ſententia D. Thomæ hîc quæſt. 100. art. 2. nempe futurum non iri, vt omnes hoc modo in gratia confirmarentur; licèt fortaſſè ipſe primus parens ſi tentationi reſtitiſſet, & nonnulli ex eius poſteris hoc ſpeciali priuilegio donari potuiſſent, ſicut etiam & in hoc ſtatu beatam Virginem & ſanctos Apoſtolos eodem priuilegio potitos fuiſſe credimus.

Solutio probabilis

Reiicitur prædicta ſolutio.

Alia probabilior ſolutio.

Digitized by Google

re Deo iuuante, & glorioſius ſit tentationi non conſentire quàm tentari non poſſe. Ideo verò mali occaſionem exhibere primis parentibus permiſit Deus, quia quid boni de malis eorum eſſet facturus præuidit: Sic enim eos fecit, vt eis relinqueret vnde aliquid pro libito facerent, & ſi culpabiliter aliquid facerent, illum de ſe laudabiliter operantem inuenirēt; atque adeò homo à ſeipſo habebat voluntatem malam, à Deo verò naturam bonam & pœnam iuſtam. Non eſt igitur quod dicas, nō debuiſſet Deus creare quos præſciebat malos futuros: ſciebat enim iſtos malos bonis profuturos, & iuſtè pro mala voluntate puniendos. Verùm inſtabis forſan, ſaltem Deum debuiſſe talem hominem facere qui nollet vnquam tentationi conſentire, ac proinde nec peccare vnquam vellet. Concedimus quidem meliorem naturam eſſe quæ nollet omninò peccare, aſſerimus tamen non eſſe malam quæ talis eſt, vt poſſet non peccare ſi vellet, & iuſtè punitam quæ voluntate non neceſſitate peccauit. Cùm ergo hæc bona ſit, illa melior; cur non vtramque Deus faceret vt vberius de vtraque laudaretur? illa enim de ſanctis Angelis, hæc de hominibus eſt. Potuiſſet quidem Deus facere vt homines ſemper boni eſſent, ſed melius voluit vt quod vellent eſſent: & boni quidem non infructuoſe, mali verò non impunitè. Si dicas, Deum potuiſſe facere vt ſemper bonum eſſet quod vellent, & ſic ſimul eſſent quod vellent, & ſēper boni eſſent. Equidem potuiſſet; Verùm cur non fe-

Glorioſius eſt non cōſentire tētationi quā tentari nō poſſe.

Occurritur obiectioni.

Alia obiectio.

Solutio.

Obiectio.

Solutio.

Digitized by Google

cit? quia noluit. Cur noluit? ipſe nouit. Vlterius enim inquirere præſumptuoſæ temeritatis eſt, non fructuoſæ veritatis.

An conueniens fuerit hominem ab alio, & quidem à dæmone tentari.

QVÆSTIO II.

Cur decuit primum hominem nonniſi ab alio tentari.

QVONIAM vix fieri poterat, vt homo tot acceptis à Deo beneficiis recens ornatus, ac ſummâ eorum omnium & pro ipſis debitæ à ſe erga Deum gratitudinis intelligentiâ præditus, propria ſponte in offenſam Dei prorumperet; Idcirco congruum fuit vt ab alio quàm à ſeipſo ad peccandum incitaretur, nec tantùm ad id ſola ſuggeſtione, ſed ingentibus promiſſis, ac ſpe longe melioris conditionis impelleretur. Cumque omnis corruptiua actio quæ in aliquo recipitur, ſit à proportione maioris actiuitatis, id eſt ab agente natura ſua fortiori, non decuit naturā humanam niſi ab aliqua ſuperiori & fortiori natura, cuiuſmodi eſt Angelica, corruptionem ſubire; & quoniam inter Angelos nonniſi mali ſpiritus qui dicuntur dæmones ad malū impellunt, idcirco nonniſi à dæmone primi parentes tentari, ſeu ad peccatum incitari potuerunt, ac fortaſſis non ſine myſterio Deus ſatanæ permiſit vt ad hominem in Paradiſo tentandum accederet, quem à ſecundo Adamo in deſerto primùm, tandemque in crucis ligno fœliciter ſuperandum præ-

Cur non decuit hominem tētari niſi à dæmone.

uidebat. At verò ipſe dæmon odii ac inuidiæ facibus inflammatus ad tentandum acceſſit; quippe qui per ſuperbiam de cœlo deturbatus vbi in terris hominem iuſtum ſimul ac fœlicem offendit, illicò ipſius ſanctitati aduerſari, ſimul & fœlicitati inuidere cœpit; atque vt homines ſuæ miſeriæ ſocios haberet, ipſos de beato illo ſtatu innocentiæ deturbare aggreſſus eſt: Et quia per vim nocere non poterat, ad fraudem ſe conuertit, vt dolo hominem ſupplantaret quem aperta vi ſubuertere nequiret: Vnde & mulierem aggreſſus eſt, in qua minùs quã in viro rationem vigere nouerat, eius enim malitia ad oppugnandam tantam quanta erat in primis parentibus virtutem timida, humanam naturam ex parte qua debilior videbatur oppugnare cœpit; vt ſi fortè illic aliquatenus præualeret, poſt modum fiducialiùs ad alteram quæ robuſtior erat, pulſandam, vel potiùs ſubuertendam accederet; Ne autem fraus illa manifeſtaretur, alienam formam induit, de qua hac ſequenti quæſt. dicendum eſt.

Cur dæmõ ſponte ad hominẽ tẽtandũ acceſſerit.

Cur fraude vſus fuit dæmõ.

Qualis fuerit ſerpens qui Euam decepit.

QVÆSTIO III.

CIRCA propoſitam quæſtionem, diſſentiunt authores. Quid autem probabilius in tanta opinionum varietate tenẽdũ ſit,

Digitized by Google

ſequentibus propoſitionibus aperiemus.

Prima propoſitio. Sit igitur prima propoſitio. Tentator ille non fuit ille verus ſerpens qui vel ad tempus intelligentia ac loquendi facultate præditus fuerit; *Probatur primò.* tum quia facultas ſermocinandi, id eſt cum ratione loquendi, ſolius eſt hominis propria, vt docet Philoſoph. 4. de hiſtoria animalium cap. 9. tum quia eiuſmodi tum intelli- *Secundò.* gendi cum loquendi facultas etiam ad tempus ſerpens vti non potuiſſet, niſi ſaltem per illud tempus idoneis ad id organis inſtructus fuiſſet, quod abſque noua corporis conformatione fieri non potuit, ſicque verè ſerpens non fuiſſet; tum quia æquè repugnat ſerpenti ad tempus eſſe intelligentem, ac eſſe ad tempus hominem.

Secunda propoſitio. Secunda propoſitio. Tentator ille non fuit ſolus dæmon cum aliqua ſerpentis effigie duntaxat; tum quia ſi fuiſſet ſpe- *Probatur primo.* cies duntaxat quædam aſſumpta à dæmone peracta tentatione ipſa ex oculis euanuiſſet, quod tamen haud euenit, vt patet *Secundò.* ex ipſo textu cap. 3. Geneſ. tum quia pœna ineptè ſimulato duntaxat ſerpenti inflicta fuiſſe videretur; tum quia hæc Moyſis verba nonniſi de vero ſerpente intelligi *Tertio.* poſſunt: *Serpens erat callidior cunctis animantibus terra.*

Tertia propoſitio. Tertia propoſitio. Nomine ſerpentis, non eſt intelligendus ſolus dæmon, qui quòd callidiſſimus & homini nocendi cupidiſſimus *Probatur primo.* ſit, metaphoricè ſerpens appelletur; tum quia id communi ſanctorum Patrum do-

ctrinæ aduerſatur; tũ quia hiſtoriæ Moſaicæ fidem confringit, dum totam hanc narrationem figuratam facit & metaphoricam, tum quia non eſt ratio cur potius iſta quæ 3. cap. Geneſ. continentur quàm ea quę duobus præcedentibus cap. tradita ſunt, metaphoricè dicta cenſeantur. *Secundo.* *Tertio.*

Quarta propoſitio, quæ eſt communis ſanctorum Patrum, vt Diui Baſilii, Chryſoſtomi, Theodoreti, Ruperti, Bedæ &c. Item Magiſt. Sentent. lib. 2. diſtinct. 21. & Scholaſticorum ibidem, ac præſertim Diu. Auguſt. libris de ciuitate Dei, & de Geneſ ad litt. paſſim, fuit in ea tentatione verus & naturalis ſerpens in quem diabolus ſe inſinuauit, & per quem quaſi per organum humanas voces efformauit, ſicque ſermonem cum Eua miſcens ipſam callida & malitioſa tentatione decepit. Probatur hæc propoſitio, tum quia cæteris quæ de iſto ſerpente cogitari poterant per præmiſſas propoſitiones reiectis, hoc vnum ſupereſt rationi cõgruenter tenẽdum, tum quia hac ratione ſeruatur integra ſacræ hiſtoriæ fides, tum quia iuxta hanc ſententiam, licèt omnia quę Moyſes de ſerpente narrat, commodè iuxta litteralem ſenſum de vero ſerpente interpretari. Quod autem præter ſerpentem inibi dæmon affuerit, manifeſtè oſtendit & humanus ſermo & diſputatio ſeu ratiocinatio cum Eua, quæ duæ res omnium animalium vim & facultatem longè ſuperant, nec effici poſſunt niſi à natura intelligente, quæ cùm non potuerit eſſe Deus, vel *Quarta propoſitio.* *Probatur primo.* *Secundo.* *Tertio,*

homo,vel Angelus bonus, ſupereſt vt fuerit dæmon,cuius licèt mentionem expreſſè non fecerit hoc 3.cap.Moyſes,id tamen alibi ſatis apertè ſacra Scriptura teſtatur,vt cùm Sap. 2. dicitur *Inuidia diaboli mors intrauit in mundum.* & 2.ad Corinth. 11. *Timeo ne ſicut ſerpens Euam ſeduxit aſtutia ſua &c.* quo loco nomine ſerpẽtis Apoſt. dæmonem exprimit, vt patet ex ipſo textu.

Quomodo ſerpens dicatur cunctis animãtibus callidior.

Ex iis intelligere eſt, hoc quod dicitur hoc ipſo cap.3.Gen. ſerpentem fuiſſe callidiorem cunctis animantibus terræ, intelligendum eſſe litteraliter,non de ipſo dæmone, ſed de vero ſerpente, quem cæteris beſtiis callidiorem dixit Moyſes, non vt ſignificaret per aſtutiam naturalem ſerpentis deceptam fuiſſe Euam, ſed vt oſtenderet non temerè nec ſine magna ratione diuinæ prouidentiæ factum, vt diabolus ad decipiendum hominem ſe ſe in ſerpentem potiùs quàm in aliud quoduis animal inſinuaret, videlicet vt intelligeretur quàm congruens aſtutiæ dæmonis ad fallendum hominem adhibitum fuerit inſtrumentũ, & vt ex aſtutia ſerpentis & naturali inimicitia quę eſt inter eum & homines,coniiceretur multiplex diaboli aduerſus hominem aſtutia & odium implacabile.

Nota.

Vbi obiter nota, quod quamuis quædam ex aliis animalibus non minùs callida ſint & aſtuta in pleriſque quàm ſerpens, ad occultè tamen nocendum homini ſine vllo ſuo commodo, non aliud ſerpente animal callidius & inſidioſius inuenitur.

De qua re lege Diu. Bonauent. in ſecundum ſentent. diſt. 21. & Hugonem lib. 3. de beſtiarum proprietatibus c. 53.

Cæterum hinc intelligitur, Cur diabolus ſub ſpecie ſerpentis potiùs quàm aliterius animalis apparuit? Quibus illud áddi poteſt quod ſcite docet Scholæ Princeps libro ſecundo Sentent. diſtinct. 21. Ne fraus dæmonis (inquit) nimis eſſet manifeſta, in ſua ſpecie ille non venit, ne apertè cognitus ſtatim repelleretur. Verùm ne nimis occulta eius fraus non facilè caueri poſſet, non in alia forma venire permiſſus eſt, quàm ſerpentis, quæ nimirum eius detegendæ malitiæ admodum congruebat, vt per illud quod foris erat, aſtutiam tentantis facilè poſſet fœmina animaduertere: voluiſſet quidem dæmon vtique in ſpecie columbæ venire, hæc enim, vt animal innoxium & ſimplex, ad mulierem decipiendam conuenientiſſimum diabolo fuiſſet inſtrumentum: ſed non erat conſentaneum, vt per immundum & malignum ſpiritum redderetur homini columba inuiſa & exoſa, in cuius poſtea ſpecie Spiritus ſanctus hominibus erat apparitutus. Itaque putandum non eſt quod Diabolus Serpentem per quem tentatet elegerit, ſed cùm decipere cuperet, non potuit niſi per quod animal poſſe permiſſus eſt: nocendi enim voluntas ineſt cuique à ſe, ſed poteſtas à Deo.

Dubitationi ſatisfit.

Verùm hîc quæri ſolet: Quare mulier ſerpentis aſpectũ & congreſſum nõ horruit. Cui

Digitized by Google

Dubitationi ſatisfit. reſpondemus cum Diu. Chryſoſt. hom.16. in Geneſ. eo quod in eo ſtatu innocentię, in quo tunc erāt primi parentes, omnia animalia placidè atque obedienter homini eſſent ſubiecta, & ſicut nihil ipſa mali poterant inferre, ita nec timorē aut horrorem vllum incutere. Adde quod valde probabile ſit eum fuiſſe ſerpentem quem rerum naturalium curioſi ſcriptores Scytalen vocant, quod eſt animal formoſum & pulchrum tanta præfulgens tergi varietate, inquit Solinus cap.30. ſuæ hiſtoriæ, vt notatum gratia videntes retardet, & quoniam reptando pigrior eſt, quos aſſequi nequit, miraculo ſui capiat ſtupentes. Quod verò illum virgineo vultu fuiſſe nonnulli ferunt, ſicut & pictores referunt, fabuloſum planè & commentitium eſſe videtur.

Dubitatio. Quorundā ſolutio. Quæres adhuc. Num ſaltem Eua ſerpentem ſecum loquentem & diſputantem non obſtupuerit? Reſponderi poſſet primùm cum Diu. Thom. & Diu. Bonauent. in 2. Sentent. diſt. 21. fortaſſe Euā exiſtimaſſe bonū fuiſſe ſpiritum qui per ſerpentem loqueretur, idque illi fuiſſe poſſibile. Verùm hæc reſponſio non planè ſatisfacit, quomodo enim bonum Angelum exiſtimaſſet quem contra Dei mandatum loqui animaduerteret, & quomodo ſe à bono Angelo deceptam fuiſſe cauſaretur? *Probatur ſolutio.* Quare aliter reſpondendum eſt iuxta Magiſt. Sentent. lib. 2. diſtinct. 21. Cùm Eua noſſet ſerpentem à Deo creatum eſſe, ipſam quoque exiſtimaſſe officium loquendi à Deo

accepiſſe, idque Euæ potuiſſe contingere, tùm propter nouitatem rerum recens creatarum, cùm propter ipſius inexperientiam. Neque enim exiſtimandum eſt Euam pari cum Adamo rerum omnium notitiâ à primo ortu præditam fuiſſe, ſed tantùm aliqua, quæ qualis fuerit ignoratur. Quæret etiam hic forſan aliquis; cùm ex prædictis conſtet non ſolùm ſerpentem, ſed potiùs diabolum per ſerpentem Euam ſeduxiſſe, cur Moyſes nullam diaboli mentionem fecerit? Reſpondetur Moyſem rei geſtæ ſcriptorem, non interpretem eſſe: & idcirco qualis res viſa eſt, talem ab ipſo eſſe deſcriptam, non verò ab ipſomet explicatum fuiſſe quomodo re vera ſe haberet, quod interpretis munus eſt: Eua enim ſolum ſerpentem vidit, ipſum colloquentem audiuit, non verò dæmonem intùs latentem. Quod igitur ab Eua viſum & auditum fuerat Moyſes enarrauit, non verò quod occultum erat explicauit.

Dubitatio.

Solutio.

Quis modus ac proceſſus tentationis primorum parentum fuerit.

QVÆSTIO IV.

EXPLICANDVM hìc breuiter eſt qua ratione peracta fuerit vtriuſque primi parentis tentatio: quarum altera eſt qua dæmon per ſerpentem Euam ſeduxit, ſicque ad peccandum induxit: Altera verò qua ipſe per Euã Adamo ſimiliter vt peccaret perſuaſit. Quare

Digitized by Google

vtraque tentatio ordine explicanda eſt.

Prima tẽtatio Euæ quomodo peracta.

Quod igitur ſpectat ad priorem hac ratione peracta traditur. Stans coram fœmina fortaſſe vetitæ arboris trunco (vti pingi ſolet) implicatus ſerpens, vel potiùs ibi adſtans in ſerpente diabolus, non auſus eſt primùm in verba perſuaſionis erumpere, metuens deprehendi; ſed ſub interrogatione eã aggreditur, vt ex reſponſione intelligeret, qua ratione malum quod intendebat ipſi perſuaderet. *Cur*, inquit, *præcepit vobis Deus vt non comederetis de omni ligno Paradiſi?* Quod poteſt duplici ſenſu accipi: primo quidem iſto; quare Deus prohibuit ne comederetis de omni planè ligno Paradiſi, cùm vobis prohibuit ne comederetis de iſto ſcientiæ boni & mali ligno? & ſic nihil falſi continet iſta interrogatio: Vel poteſt accipi iſto alio ſenſu, quare Deus vobis præcepit ne comederetis ex vllo ligno Paradiſi? & ſic aliquid falſi continet, cùm potius oppoſitum Deus iuſſerit. *Ex omni ligno paradiſi* (inquit Adamum alloquens) *comedes*, vnum tantùm prohibens *de ligno vero ſcientię boni & mali*, inquit, *ne comedas*: vterque ſenſus probabilis eſt. Priorem tamen huic poſteriori prætulimus. Iſti igitur interrogationi reſpondet mulier, *De fructibus lignorum quæ ſunt in Paradiſo veſcimur; de fructu verò ligni quod eſt in medio Paradiſi pręcepit nobis Deus ne comederemus, & ne tangeremus illud, ne fortè moriamur.* Ex quibus verbis non omninò veris colligere eſt,

Digitized by Google

diabolum iam tunc in animum mulieris irrepſiſſe quæ ex vna parte in falſam diuini præcepti exaggerationem eruperit; neque enim Deus prohibuerat ne arborem ſcientię tangeret, & ex alia parte in pernicioſam diuinæ comminationis dubitationem præceps ierit, quæ ſanè dubitatio maiorem tentandi opportunitatem diabolo dedit, vnde mox ipſe ad mulierem: *Nequaquam moriemini, ſcit enim Deus quod in quacunque die comederetis ex eo, aperientur oculi veſtri, & eritis ſicut dii ſcientes bonum & malum.*

Duo hic attendenda. primũ.

Vbi duo attendenda ſunt. Primum attendendus eſt ordo & progreſſus humanæ perditionis, vt rectè monet Mag. Sent. loco ſupra citato. Primo Deus dixerat. *Quacunque die comederetis, morte moriemini*: deinde mulier dixit, *ne forte moriamur.* Nouiſſimè ſerpens dixit: *nequaquam moriemini.* Vnde rectè ait D. Bernar. ſer. de quadruplici debito: *Deus affirmat, mulier dubitat, Satan negat, ac tandem neganti ſatanæ aſſentitur fœmina, non minùs carnalis delectationis quàm proprię gloriæ ſupra modum cupida. Vidit igitur mulier*, inquit Scriptura, *quod bonum eſſet lignum ad veſcendum, & pulchrum oculis aſpectuque delectabile, & tulit de fructu illius, & comedit, deditque viro ſuo qui comedit.* Et hac ratione conſummatum fuit Euæ peccatum, & ad exitum ducta tentatio. Secundò attendenda eſt diaboli aſtutia in eo maximè quod ad perſuaſionẽ pleniùs ſuffulciendam, & malũ quod mulier timebat

Secundũ.

negando remouit, & repromiſſionem quam ſperaret addidit, atque vt ipſa perſuaſio citiùs reciperetur promiſſionem duplicauit, vt inquit Mag. Sent. loco cit. Vnde comeſtionem ſuadens, duo in proœmio promiſit, nempe ſimilitudinem Dei, & boni malique ſcientiam.

Tribus modis tentatur homo.

Vbi tribus modis hominem tentauit; ſcilicet gula ſeu carnis delectatione in cibi perſuaſione; inani gloria ſeu ſuperbia in promiſſione deitatis; auaritia ſeu nimia cupiditate in promiſſione ſcientiæ; eſt enim auaritia immoderata habendi cupiditas quæ non tantùm pecuniæ, ſed etiam ſcientiæ dici poteſt, cùm ſupra modum ambitur; Et ſanè hæ ſunt tres malorum illecebræ quibus ad ſe mundus homines allicit. & 1. Ioan. 2. *Omne quod eſt in mundo* &c. Nec adhuc ſine myſterio, triplici hac tentatione oppugnata eſt ac infœliciter expugnata natura humana, futurum enim erat vt eadem triplici tentatione oppugnaretur quidem, non tamen expugnaretur eadem natura in perſona Chriſti in deſerto, vt conſtat ex ipſo textu Euangelico Matth. 4.

Cur triplici tentatione oppugnata fuit humana natura.

Secundæ tentationis progreſſus.

Quod verò ad poſteriorem tentationem ſpectat, licèt nihil aliud ex ſacro contextu traditum habeamus, niſi quod Eua decerptum ex ligno vetito fructum viro dederit, nihilominus tamen probabile eſt quod ipſa virum pluribus verbis ſollicitauerit, fortaſſe etiam vt id faceret à dæmone perſuaſa, ita vt verè dici poſſit dæmon ipſum etiam Adamum tentaſſe, & muliere ad id vſum fuiſſe. Itaque credibile eſt Euam ſollicitaſſe partim blanditiis,

partim importunis precibus ipſum Adamum, quibus ſignificabat ſe niſi in eo ſibi gratificaretur, præ triſtitia & mœrore nunquam tranquillo & hilari animo futuram.

An plura, & qualia peccata primi parentes commiſerint.

QVÆSTIO V.

SVPPONENDVM eſt hîc imprimis primos parentes nullum peccatum ante tentationem commiſiſſe. Quod ſatis confirmat Patrũ ſententia qui illud diſcrimen inter peccatum primi hominis & peccatum primi Angeli cõſtituunt; quod illud ex ſuggeſtione alterius admiſſum eſt, ideoque venia dignum fuit; hoc verò propriâ malitiâ nullius conſilio aut ſuaſu patratum eſt, quamobrem irremiſſibile fuit: neque enim exiſtimandum eſt, quod nõnulli putant, Deum Euæ tentationem immiſiſſe ob vllum præcedens ipſius delictum; ſed quia ſtatui viatoris conueniens eſt tentatio ad exercitationem liberi arbitrij, ad probationẽ virtutis, ad occaſionem & materiam vberioris meriti, maioriſque præmii. Adde quod eiuſmodi tentatio ſtatui innocentiæ non repugnabat, cùm non eſſet interior affligens animam, ſed exterior duntaxat abſque vlla hominis moleſtia, quæ proinde facilè ſuperari poterat: nam vt ait Mag. 2. Sent. diſt. 21. tentatio carnis interior difficiliùs vincitur, quia interiùs oppugnans de noſtra contra nos ro-

Cur primis parentibus immiſſa fuerit tentatio.

Digitized by Google

boratur: Quare (inquit) homo qui ſola exte-
riori tentatione pulſatus cecidit, tantò grauiùs
plectendus erat, quantò leuiori impulſu fue-
rat proſtratus; & tamen quia aliquam licèt
modicam cadendi occaſionem habuit; idcir-
cò per gratiam iuuari potuit ad veniam, vt
qui per alium ceciderat, per alium erigete-
tur.

Tentatio primorum parentum externa fuit.

Hoc poſito aſſerimus plura fuiſſe vtriuſque
primi parentis peccata, quod ex ſequenti ip-
ſorum inductione patebit.

Quaenam fuerint peccata Euae. Primum ſuperbia.

Et quidem quod ſpectat ad peccata Euæ,
primum illius peccatum fuit ſuperbia: Pro-
babiliſſimum enim eſt ſtatim vt ſerpens dixit
Euæ: *Cur precepit vobis Deus &c.* ac fortaſſis
nonnulla alia protulit quæ Moyſes reticuit,
quendam elationis motum in anima Euæ
extitiſſe, indignè ferentis aſtrictam ſe tene-
ri ea lege, cupientiſque arbitratu ſuo nulli
ſubiectam liberè viuere, quaſi ſibi ad bene
beatèque viuendum ſufficientem, quod eſt
ſuperbiæ genus, vt patet. Idem confirmari
poteſt ex diuinis ſcripturis, quæ Eccleſ. 10.
& Tobiæ 4. initium omnis peccati ac per-
ditionis faciunt ſuperbiam. Secundum pec-
catum Euæ fuit acedia quædam ſpiritua-
lis, quæ auditis ſerpentis verbis ſtatim ei præ-
ceptum diuinum quo prohibebatur ab eſu
arboris cœpit diſplicere, ac tœdio eſſe. Ter-
tium peccatum fuit mendacii, cùm dixit
Deum interdixiſſe tactum arboris qui ſo-
lum èſum interdixerat. Quartum fuit pec-
catum infidelitatis, cùm de diuinæ commi-

Secundũ acedia ſpiritualis.

Tertium mendacij.

Quartum infidelitatis.

nationis veritate dubitauit, maluitque credere ſerpenti quàm Deo. Quintum fuit peccatum ambitioſæ cupiditatis, quod ſuperbiæ genus quoddam eſt; audito enim ſerpentis promiſſo, *Eritis ſicut dii ſcientes bonum & malum*, inflammata eſt cupiditate tam excellentis poteſtatis & ſcientiæ. Sextum fuit gulæ, vitiata enim parte ſuperiore per ſuperbiam, continuò corrupta eſt pars inferior, vetitum ſibi fructum vehementer expetendo. Septimum fuit inobedientiæ, violatâ nimirum Dei lege qua eſus illius arboris prohibebatur. octauum fuit dati ſcandali, cùm nempe ſuo exemplo atque importunis precibus Adamum ad idem peccatum pellexit. Denique nonum, fuit ſtulta & impudens admiſſi ſceleris excuſatio.

Quintum ambitioſa cupiditatis *Sextum gula.* *Septimum inobedientia.* *Octauum dati ſcandali.* *Nonum ſtultæ excuſationis.*

Quod ſpectat ad peccata Adami. Primum eius peccatum ſaltem naturę ordine fuit ſuperbia, natum ex verbis Euę, quibus idem viro pollicebatur quod ipſi ſerpens erat pollicitus; hinc enim animus illius inflatus eſt ſpiritu ſuperbiæ, elatuſque cupiditate illius excellentiæ (ſaltem poſita conditione quod haberi poſſet) conſequendæ. Quod etiam confirmatur ex citatis locis Eccleſ. & Tobiæ. Nam Eccleſiaſt. 10. dicitur: *Initium omnis peccati ſuperbia.* Et Tobiæ 4. dicitur. *In ipſa enim initium ſumpſit hominis perditio.* Eaque eſt communis Patrum ſententia, ac præſertim D. Aug. lib. 14. de Ciuit. Dei cap. 13. & 15. & lib. 11. de Gen. ad lit. cap. 3. B. patris noſtri Bernardi ſerm. 1. de Aduentu. Item Magiſt. Sent. lib. 2. diſt. 22. & ſcholaſticorum ibidem,

Quænam fuerint peccata Adami. *Primum ſuperbia.*

denique D.Th.in 2.2.quæſt.163. vbi etiam ar. 1.ratione oſtendit non aliud eſſe potuiſſe primum peccatum primorum parentum, eo quod non potuit appetitus hominis in eo ſtatu ferri inordinatè niſi circa bonum quoddã ſpirituale;appetitus enim inferior cuius proprium eſt ferri in bonum ſenſibile,erat omnimodè ſubiectus rationi, ſicque non potuit inordinatè ferri circa ſuum obiectum niſi præſuppoſita aliqua inordinatione rationis ac ſuperioris appetitus : cùm autem homo in eo ſtatu eſſet nobiliſſimus, idcirco facilius in exceſſu circa bonum ſpirituale peccauit quàm in defectu : atqui appetere bonum aliquod ſpirituale ſupra menſuram ſibi debitam peccatum eſt ſuperbiæ.

Secũdũ inordinati affectus.

Secũdum peccatum Adami fuit inordinatus quidam amoris, non ſenſibilis,ſed ſocialis affectus erga vxorem,quippe qui ne illam contriſtaret,præceptum Dei paruipendit.

Tertium curioſitatis

Tertium, improba quædam auiditas & curioſitas experiendi quidnam lateret in eo fructu quem Deus tantoperè interdixerat.

Quartum infidelitatis.

Quartum potuit eſſe peccatum cuiuſdam implicitæ infidelitatis, cùm enim vidiſſet Euã percepto fructu non eſſe mortuam, dubitare potuit de vera intelligentia huius diuinę comminationis. *In quacunque die comederis, morte morieris.*

Quintum gulæ.

Quintum fuit gulæ, cernens enim pulchritudinem pomi,& audiens ex vxore ſuauiſſimi eſſe ſaporis, cœpit illius eſum flagrantiſſimè appetere.

Sextum inobedientiæ.

Sextum fuit inobedientiæ, quod fuit veluti præcedentium conſummatio,ſiquidem comedendo fructum ſibi à Deo interdictum

interdictum, ipſimet Deo inobediens fuit. Septimum fuit ſcelerata & impia excuſatio peccati à ſe commiſſi, qua viſus eſt culpam non tantùm in mulierem, ſed in ipſum Deum tranſtuliſſe. *Mulier*, inquit, *quam dediſti mihi ſociam, dedit mihi, & comedi.* *Septimum impia excuſationis.*

Ex iis intelligere eſt duo fuiſſe pręcipua vtriuſque primi parentis peccata: alterum ſuperbiæ, alterum inobedientiæ: illud quidem primum & magis formaliter volitum, vt oſtẽdit D. Thom. loco ſuprà citato, hoc verò ſacris literis magis expreſſum, vt patet ex 3. cap. Gen. & c. 15. epiſt. ad Rom. *Sicut per inobedientiam vnius hominis &c.* Ita vt quantùm ad animum & affectum, principale & formale peccatum vtriuſque fuerit ſuperbia, ſiquidem ad peccandum vterque ex proprio ſuperbiæ obiecto, quæ eſt propria excellentia, ſupra modum motus eſt: Attamen quantum ad offenſam Dei & damnum quod ex eiuſmodi peccato accidit omnibus primorum parentum poſteris, principale peccatum fuit inobedientia, ſiquidem Deus ipſe ex eo maximè ſe offenſum fuiſſe quod Adam præceptum ſuum non obſeruaſſet, his verbis ſatis apertè teſtatus eſt Gen. 3. *Quia comediſti de ligno de quo præceperam tibi ne comederes.* Pręterea ex dictis intelligere eſt, prędicta tùm Euæ cùm Adami peccata non fuiſſe omnia re diuerſa, ſed vel diſtincta fuiſſe peccata, vel ſaltem diuerſas circunſtantias & inordinatos motus animi ad vnum & idem peccatum tendentis; quo fit vt peccatum primorum parentum tanquam *Duo fuerunt præcipua vtriuſque primi parentis peccata, ſuperbia & inobedientia.* *Nota. Peccatum primorum parentum dici poteſt vnum ſimul ac multiplex.*

Digitized by Google

vnum exprimatur, ſiue per illud vnum intelligatur aliquod ex prædictis principale, vt peccatum ſuperbiæ, vel inobedientiæ, vel plura ſimul quatenus ad vnum peccatum operis, nempe eſum vetiti fructus tendebant.

Porrò quod ſpectat ad grauitatem illorum peccatorum, conſtat quidem grauia admodum fuiſſe peccata primorum parentum, non tamen adeò grauia quin grauiora eſſe potuiſſent, cuiuſmodi ſunt peccata blaſphemiæ, ac odii in Deum &c.

Hic quaritur, quodnam fuerit grauius peccatum Adami, an Eua.

Quomodo peccatum Ada grauius ſit.

At verò difficultas eſt maximè quodnam fuerit grauius peccatum, Adami, an Euæ? Reſpondetur diuerſa conſideratione, Adamum grauiùs peccaſſe quàm Euam, & Euam quàm Adamum. Adamus quidem ea ratione grauiùs peccauit, quod & ſapientior erat ad diſcernendum bonum à malo, fraudemque diaboli detegendam, & fortior ad ſuperandas tentationes, pluribuſque ac maioribus Deo beneficiis obligatus: adde quod pernicioſius ſeu nocentius fuit peccatum Adæ quàm Euæ; illud enim ſecum totius naturæ corruptelam traxit, non iſtud. Vnde ad Rom. 5. *Per vnum hominem peccatum introiuit in mundum, & per peccatum mors.* Neque obeſt quod habetur Eccleſ. 25. *Propter mulierem omnes homines mori*; hoc enim intelligendum eſt occaſionaliter, non cauſaliter; id eſt, quod mulier occaſionem Adamo peccandi præbuit, ex cuius Adami peccato mors accidit. At verò alia ratione Eua grauiùs peccauit quàm Adam, primùm, quia expreſſa

Qua ratione peccatũ Eua grauius videatur.

quadam infidelitate peccauit, credens ſerpenti falſa & impia de Deo loquenti, quin etiam mendacii ac inuidiæ Deum inſimulanti; non item Adamus qui nihil iſtorum vnquam credidit; vt docet Magiſt. Senten. lib. 2. diſt. 22. ac Diuus Thomas in 2. 2. qu. 163. art. 4. & ratio ſuadet; Quomodo enim credere potuiſſet vera eſſe quæ diabolus ſuggerebat, cùm infuſæ diuinitùs in ipſius mente rerum omnium veritati apertiſſimè repugnarent? Deinde plus peccaſſe videtur mulier, quæ diuinitatis quandam æqualitatem voluit vſurpare, ac ſtulta præſumptione elata, ita futurum eſſe ſperauit: quod de Adamo dici non poteſt, qui eiuſmodi æqualitatem planè impoſſibilem eſſe agnoſcebat. Denique plus peccauit, quia cùm ipſa prior Dei mandatum violaſſet, Adamum ad idem peccatum ſuo exemplo & ſuaſione induxit: vnde abſolutè concluditur cum Mag. Sent. ac D. Thom. locis citatis grauius fuiſſe peccatum Euæ quàm Adami, ſi ſpecialem peccati rationem conſideres.

Vtrùm verè deceptus fuerit Adã quæritur.

Quæri ſolet hoc loco, vtrùm verè deceptus ſeu ſeductus fuerit Adam? Cui dubitationi nonniſi pluribus reſponſis ſatisfieri poteſt. Itaque primò reſpondetur potuiſſe Adamum falli quoad iudicium practicum circa res in particulari appetendas, aut agendas; verbi gratia, potuit falsò exiſtimare ſeu practicè iudicare, hoc vel illud ſibi eſſe conueniens, ac proinde hîc, & nunc expetendum, quod tamen verè non erat tale à parte rei, neque

Reſpondetur: primò.

id abſurdum videri debet, cùm iſtud genus erroris ac deceptionis etiam in Angelis admittendum eſſe ſuo loco dictum ſit. Secundò reſpondetur, Adamum non fuiſſe ita ſeductum, vt crederet vera eſſe quæ diabolus vxori ſuggeſſerat, vt docent Mag. Sent. ac D.Tho. locis citatis, ſed quia ex iis quæ ipſi Eua retulit, ipſe in animum induxit illud appetere tanquam ſibi conueniens, quod tamen ipſi non expediebat. Tertiò reſpondetur, etſi aliqua ratione Adamus ab vxore deceptus fuerit; quia ipſâ ſuadente aliquid falſum, licèt non illud ipſum quod mulier, credidit; poteſt tamen dici non fuiſſe ſeductus formaliter loquendo, eo quod non videtur Eua ipſum formaliter ſeduxiſſe, ſed tantùm materialiter: Ad hoc enim vt aliquis propriè dicatur & formaliter aliũ ſeducere, neceſſe eſt vt falſum eſſe putet quod alteri ſuadere nititur: atqui Eua verum eſſe putabat ac bonum quod viro perſuadere nitebatur; ſicque Adam non fuit formaliter loquendo ſeductus à muliere, & hoc modo accipi poteſt quod dicitur 1. ad Timoth. 2. *Adam non eſt ſeductus, muliere autem ſeductâ in præuaricatione fuit*, niſi dicas etiam hoc ſenſu poſſe intelligi Adamum non fuiſſe ſeductum, ſupple à ſerpente proximè & immediatè, ſicut Euam. Quartò reſpondetur quòd abſolutè loquendo dicitur Adam ſeductus, tùm à muliere, cùm à diabolo per mulierem, ita enim loquuntur ſancti Patres, vt Ignatius ad Trallianos, dia-

Secundò. *Tertiò.* *Quartò.*

Digitized by Google

bolus per Euam ſeduxit Adam patrem generis noſtri. Auguſt. in Pſalm. 68. exponens illud, *quę non rapui tunc exoluebam. Quis rapuit? Adam. Quis primùm rapuit? Ille ipſe qui ſeduxit Adam, ſcilicet diabolus.* Idemque docet lib. 14. de Ciuit. Dei cap. 17. & lib. 11. de Geneſ. ad litter. cap. 34. Mitto hîc alios patres, vt Hilarium, Epiphanium, Leonem, Cyrillum Alexand. Ambroſium &c.

Dubitationi ſatisfit.

Si quæras, vtrùm Adam diuinam ſimilitudinem appetierit ſicut & Eua. Reſpondetur cum D. Thoma loco citato art. 2. duplicem eſſe ſimilitudinem, vnam omnimodæ æquiparantiæ, alteram imitationis ſecundùm aliquam rei participationem: Et quidem hanc, non illam Adamum appetiiſſe, nempe ſimilitudinem cum Deo ſecundùm participationem diuinæ ſapientiæ maiorem quàm ipſi conueniebat, ſicque illam ſimilitudinem inordinatè appetiiſſe, nempe fortaſſis vt per ſeipſum præcognoſceret quid ſibi boni & mali futurum eſſet.

Similitudo duplex.

An conuenienter pœna ſerpenti fuerit iniuncta.

QVÆSTIO VI.

Nodus difficultatis.

PRÆCIPVA circa propoſitam quęſtionem difficultas eſt, vtrùm maledictio ac pœna à Deo ſerpenti inflicta, ſoli vero ſerpenti, an ſoli diabolo, an verò vtrique ſimul competat. Quidam enim exiſtimarunt ſoli ſerpen-

Prima circa propoſitam difficultatem ſententia.

Digitized by Google

ti inflictam fuiſſe, ſed minùs probabiliter, cùm enim non tam ſerpens quàm diabolus fuerit cauſa præuaricationis, non tam ipſi quàm dæmoni pœna infligenda videbatur.

Secunda ſententia. Alii è contra arbitrati ſunt nullo modo ad verum ſerpentem, ſed ſub illius vocabulo ad diabolum prædictam maledictionem pertinere; ſed nec iſtud ſatis probabile eſt, cùm enim hæc Moyſis narratio non minùs quàm ſuperiores hiſtorica ſit, non eſt ratio cur ſecundùm propriam verborum ſignificationem non accipienda ſit.

Tertia probabilior. Itaque probabiliſſimum videtur narrationem hanc de pœna ſerpenti inflicta ſecundùm vtrumque ſenſum, nempe hiſtoricum ac myſticum accipiendam eſſe; & quidem ſecundùm ſenſum hiſtoricum ad verum ſerpentem ſpectare, ſecundùm autem ſenſum myſticum hîc à Deo principaliter intentum, pertinere ad diabolum, & ſanè hæc videtur eſſe D. Tho. ſententia in 2.2. quæſt. 165. art. 2. ad 4. Quod autem (inquit) ſerpenti dicitur, ad eum qui per ſerpentem operatus eſt refertur. Vbi ait hæc de vero ſerpente dici, & tamen ſimul ad dæmonem referri, idque, vt facilè colligi poteſt, ex principali Dei loquentis intentione.

Duplex hic difficultas explicanda. Duo igitur hîc explicanda ſunt. Primùm quomodo prædicta maledictio ac pœna ſecundùm hiſtoricum ſeu literalem ſenſum vero ſerpenti competat; alterum quomodo ſecundùm myſticum ſeu ſpiritualem ſenſum diabolo competat.

Prior difficultas explicatur. Quod igitur ſpectat ad priorem difficultatem; licet vltrò concedamus

mus omnia illa in ſerpentem coniecta maledicta fuiſſe ipſi ſimpliciter & abſolutè loquendo naturalia, aſſerimus tamen ea ipſa poſt primorum parentum præuaricationem ipſi verſa fuiſſe in pœnam & ſupplicium, non quidem ipſi ſecundùm ſe ſpectato, quippe qui nullam ex ipſis pœnam ſenſit, ſed in ordine ad hominem conſiderato: nam quæ anteà fuerant ſerpenti naturalia, vt repere, alimentum è terra capere, homini aduerſari, &c. eidem fuere apud homines poſt ſcelus commiſſum, ad magnum dedecus, odium, & execrationem; verbi gratia, naturalis eſt inter hominem & ſerpentem vehemens quædam antipathia, quæ tamen in ſtatu innocentiæ ſingulari Dei prouidentia cohibebatur ne in actum erumperet, ſicque ſerpens non erat tunc actu homini exoſus & execrabilis: at verò poſt peccatum amiſsâ originali iuſtitiâ ſtatim in actum prodiit illa naturalis antipathia; quo factum eſt vt & naturaliter homo ſerpentem pluſquam cætera animalia exhorreat, & ipſe ſerpens hominem oderit, ac ipſi inſidietur. Neque eſt quod abſurdum ducas quidpiam naturale in pœnam verti poſſe; nam & mors ipſa naturalis erat homini etiam ante peccatum in ſtatu innocentię, licèt ſingulari Dei beneficio ipſa ab homine propulſaretur, ita vt ſi nunquam peccaſſet homo, nunquam mortuus fuiſſet; nihilominus tamē quia propter peccatū homo iuſtitia originali ſpoliatus, & illa ſingulari Dei pro- *Obiectioni occurritur.*

Digitized by Google

ctione deſtitutus,ſuę permiſſus naturę mortem incurrit;hinc factum eſt vt licèt mors naturalis ſit homini, propter peccatum tamen pro pœna & ſupplicio homini inflicto in ſacris literis habeatur.

Poſterior difficultas explicatur. Quod ſpectat ad poſteriorem difficultatem, poſſunt ſupradicta maledicta ſecundùm myſticum ſenſum etiam de ipſo dæmone accipi in hunc modum, non quidem quod tunc primùm fuerint ipſi inflicta, ſed veluti confirmata. Dicitur enim imprimis: *Maledictus inter beſtias terræ*, quia damnatus eſt æternis pœnis, ſicque ſuo naturali fine æternùm orbatus; in quo etiam ipſis brutis animantibus deterior eſt. Adde quod quidquid in beſtiis turpitudinis, fraudis, & feritatis, corporaliter eſt, id multò magis in dæmone ſpiritualiter reperitur. Dicitur verò ſuper pectus & ventrem progredi, quia duabus maximè viis hominem aggredi ſolet, nempe ſuperbiâ, quæ pectore figuratur, & libidine quæ adumbratur ventre, vel quia in pectore eſt iraſcibilis appetitus, & in ventre concupiſcibilis, quos appetitus commouet dæmon vt hominem ad grauiſſima quæque flagitia compellat. Prçterea dicitur terram comedere cunctis diebus; quia animalibus & terrenis cupiditatibus affixos homines, veluti ſibi optatiſſimam eſcam auidiſſimè captat. Porrò inimicitię inter ſerpentem & mulierem, ſemen ſerpentis & ſemen illius, ſignificāt perpetuum diſſidium, non tātùm inter ipſam Euam & diabolum, ſed etiam inter ipſos Euæ poſteros, præſertimque viros

Primum maledictū.

Secundum

Tertium.

Quartum.

pios ac probos, & minores dæmones, ſeu etiam viros malos & impios quaſi diaboli filios ac ipſius miniſtros. Significatur etiam diabolus calcaneo hominis, quæ extrema illius pars eſt inſidiari; tum quia cupit hominem à bono fine quod eſt vltimum in cuiuſque operis exequutione dimouere, hoc eſt eius intẽtionem peruertere; tum quia eum nititur à Deo, qui eſt rerũ omnium vltimus finis, auertere: tum quia licèt homini per totam vitam inſidietur, tum maximè cùm ipſe in extremis eſt poſitus. Denique quod ſubditur, ipſum, ſcilicèt ſemen, *conteret caput tuum*, ſignificat futurum vt Chriſtus qui ſecundùm carnem eſt ſemen Euæ, dæmonem debellaturus eſſet. Quòd ſi vt alii legunt dicitur *ipſa conteret caput tuum*, poterit commodiſſimè de Beatiſſima Virgine intelligi, qua vt nemo (excepto Chriſto) gratior & amicitior Deo, ita nemo inimicitior & infenſior dęmoni extitit: *ipſa enim procul dubio* (vt melliflui doctoris verbis vtar) *caput contriuit venenatum quę omnimodam maligni ſerpentis ſuggeſtionem non tam de carnis illecebra quàm de mentis ſuperbia deduxit ad nihilum.* Haud abſimilem ab iſta huius maledictionis expoſitionem myſticam, lege apud D. Tho. in ſecũda ſecundæ q.165. art.2. ad quartum: idque maximè ex D. Aug. lib. 2. de Geneſ. contra Manich. c.17.

Cur diabolus hominis calcaneo inſidietur.

D. Bernar. hom 2. ſuper Miſſus eſt.

An conuenienter pœna primis parentibus iniuncta ſit.

QVÆSTIO VII.

VARIA quidem & multiplex pœna tum Euæ cum Adamo inflicta legitur Gen. 3. quam conuenienter determinatam eſſe, & fides docet, qua Deum credimus omnia facere in *numero, pondere & menſura*, vt habetur cap. 11. Sapientiæ, & ratio ſuadet; nam vt optimè ratiocinatur Diuus Thom. in ſecunda ſecundæ quæſt. 164. art. 2. primi parentes ob diuini mandati trãſgreſſionem, omnia illa diuina beneficia quibus humanæ naturæ integritas ſeruabatur amiſerunt, v. g. originalem iuſtitiam, ſingularem Dei erga ipſos aſſiſtentiam & protectionem, & ex horum ſubſtractione in plurimos defectus penales, quas penalitates vocant, inciderunt: hinc orta in genere duplex primorum parentum punitio; Altera per ſubſtractionem eorum quę integritati ac incolumitati perpetuæ naturæ humanæ competebant: Altera per impoſitionem eorum quæ ſiue animo ſiue corpori dolorem inferebant. Et quidem ad primum genus punitionis pertinet eiectio primorum parentum ex Paradiſo terreſtri, quod ſignificatur Gen. 3. cùm dicitur *Et emiſit eum Deus de Paradiſo voluptatis*: Ac ſimul conuenienter addita ſunt impedimenta quibus ab illius ingreſſu prohiberetur, quod ibidem ſignificatur cùm dicitur

In genere Duplex primorum parentum punitio.

Quænam ad primum genus punitionis pertinent.

Collocauit Deus ante paradiſum voluptatis Cherubim, & flammeum gladium, atque verſatilem ad cuſtodiendam viam ligni. Ad alterum verò genus punitionis pertinent reliquę illæ penæ quæ ibidem deſcribuntur: quorum aliæ ad corpus, aliæ ad animam pertinent. Et quoniam penes corpus fit ſexuum diſtinctio, hinc fit vt pœnarum corporalium aliæ mulieri, aliæ viro ſint impoſitę. Quoniam verò duo ſunt maximè propter quæ mulier viro coniungitur, nempe generatio prolis, & communicatio operum ad domeſticam conuerſationem pertinentium: Idcircò ſecundùm hæc duo mulier punita eſt, & quidem quantùm ad generationem prolis punita eſt dupliciter, primò quidem quoad tædia quibus afficitur quandiù fętum in vtero geſtat, & hoc ſignificatur cùm dicitur: *Multiplicabo ærumnas tuas, & conceptus tuos*: Secundo verò quoad dolorem, quem patitur in pariendo: quare additur, *In dolore paries.* Quantùm verò ſpectat ad domeſticam conuerſationem, punita fuit quatenus veluti in poteſtatem viri adeò redacta eſt, vt ipſi etiam inuita obſequi cogeretur: Sicut autem ad mulierem pertinet, vt ſubdatur viro in his quæ ad domeſticam conuerſationem pertinent; ita etiam in hac eadem domeſtica conuerſatione ad virum maximè ſpectat, vt neceſſaria vitę procuret, & quantũ ad hoc vir punitur tripliciter. Primò quidem per terrę ſterilitatẽ, cùm dicitur, *Maledicta terra in*

opere tuo. Secundò per laboris anxietatem, ſine quo fructus terræ non percipit, vnde dicitur *In laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuę.* & paulò poſt. *In ſudore vultus tui veſceris pane tuo.* Tertiò per impedimẽta quæ terram colẽtibus proueniunt, vnde dicitur, *Spinas & tribulos germinabit tibi.* Et hæ ſunt peculiares pœnę primis parentibus inflictæ quæ ad corpus pertinent, ita vt vniuſcuiuſque pœna corporalis propria triplex deſcribatur. Similiter etiã ex parte animæ triplex eorum cõmunis pœna deſcribitur; Primò quidem puniti ſunt primi parẽtes quãtum ad confuſionem quam paſſi ſunt ex repentina carnis aduerſus ſpiritum rebellione, vnde dicitur *Aperti ſunt oculi amborum, & cognouerunt ſe eſſe nudos.* ſecundò quantùm ad increpationem admiſſæ culpæ per hoc quod dicitur: *Ecce Adam factus eſt quaſi vnus ex nobis.* Tertiò quantum ad comminationem futuræ mortis ſecundùm quod homini dictum eſt: *Puluis es, & in puluerem reuerteris.* Ad quod etiam pertinet quod Deus ipſis tunicas fecit pelliceas in ſignum mortalitatis ipſorum.

Triplex pœna tã corporalis quã ſpiritualis primis parentibus inflicta.

Verùm, quoniã pleræque difficultates ſuboriri poſſunt circa ſingularium iſtarum pœnarum expoſitionem, præcipuas ex illis in ſequentium obiectionum ſolutione breuiter ęnodabimus. Imprimis obiici poteſt multa ex illis etiam ſine peccato fuiſſe ventura, cùm ſint naturalia, vt dolor mulieris in pariendo, conceptuum multiplicatio, eiuſdem mulieris ad virum ſubiectio, itemque ſpinarum germinatio, ac oculorum apertio. Reſpondetur

Multis obiectionibus occurritur.

Prima obiectio.

Solutio.

ea & ſimilia, aut nullo, aut non eodem modo quo ante peccatum futura fuiſſent, euenire; & primùm quidem non futurum fuiſſe vllum dolorem mulierum in pariendo, tũc enim, inquit D. Auguſt. 41. de ciuit. cap. 15. *Non doloris gemitus, ſed maturitatis impulſus fœminea viſcera relaxaſſet.* Secundò multiplicatus quidem fuiſſet mulierum conceptus, ſed abſque vllo fœtus in vtero recluſi grauamine. Tertio, mulier in ſtatu innocentiæ viro fuiſſet ſubiecta quantùm ad regimen, quia ſemper vir ipſius caput & gubernator extitiſſet, non verò quã-tum ad inuitam parendi viro neceſſitatem. Quartò ſpinas & tribulos terra in eo ſtatu germinaſſet in cibum animalium, non in hominis ſupplicium. Denique aperti dicuntur primorum parẽtum oculi, non quod antea clauſis eſſent oculis; ſed quod aperti fuerint ad aliquid intuendum & cogitandum, quod anteà non aduerterant, ſcilicèt ad inuicem concupiſcendum.

Secundò obiici poteſt: pœna primorum parentum ad omnes poſteros deriuari debuit, ſed non omnium mulierum multiplicantur conceptus, nec omnes viri in ſudore vultus ſui veſcuntur. Reſpondetur, non neceſſe eſſe vt omnes illæ ſpeciales pœnæ in ſingulos planè homines cadant, ſed ſatis eſſe quod omni tempore pluribus competant, aut quod earum loco alias pœnas experiantur, vt quod loco multiplicis fœtus fœminæ quædam ſterilitatem experiantur; & viri qui terram manibus non colunt, non minoribus quàm agri-

Secunda obiectio.

Solutio

colæ animi anxietatibus & ſollicitudinibus cruciētur. Tertio obiicies, Locus paradiſi nō niſi propter hominem factus erat: ergo non videtur rationi conſentaneum quod homo ſtatim in pœnam admiſſi peccati ab eo expelleretur. Reſpondetur, etſi probabiliſſimum ſit hominem non valde diu immoratum fuiſſe in illo terreſtri Paradiſo, cùm eodem ipſo die quo peccauit exinde eiectus fuerit, qui dies iuxta probabiliorem doctorum opinionem ad ſummum fuit octauus à ſui creatione, ita vt ad ſummum per octo dies morati ſint primi parentes in Paradiſo: non tamen fruſtra conditus fuit ille voluptatis locus. Quamuis enim (inquit ſanctus Doct. loco ſupra citato ad quartum) locus ille non diu ſeruierit homini ad vſum, ipſi tamen inſeruire potuit ad documentum, dum nempe agnouit ſe propter peccatum è tam amœno loco eliminari meruiſſe, dumque ex iis quæ corporaliter in eo loco vidit, potuit aliqua ratione de iis quę ad Paradiſum cœleſtem pertinent inſtrui.

Tertia obiectio.

Solutio.

Quarta obiectio.

Quartò obiicies, veſtitus ad neceſſitatem hominis non minùs quàm cibus videtur pertinere, ex 1. ad Timoth. vltimo, *habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti ſumus.* Ergo ſicut cibus ante peccatum homini competebat, ita & veſtitus. Reſpondetur duabus de cauſis maximè veſtitum homini neceſſarium eſſe ſecundùm pręſentis miſeriæ ſtatum; primo quidem ad propulſandas aëris iniurias, vt frigus, pluuiam, &c. Secundò ad tegendam carnis ignominiam: at neutrum horum erat in pri-

Solutio.

mo ſtatu, non primum, quia corpus hominis ab extrinſeco lædi non poterat; nec etiam ſecundum, quia nulla erat in hominis corpore turpitudo quæ ad confuſionem induceret; vt enim animę, ita etiam corporis ſpectabilis quædam venuſtas apparebat.

Verùm, hæc de primo hominis ſtatu ac eius lapſu dicta ſufficiant; nam de peccato originali, fomite peccati, ac ſenſualitate, aliiſque huius primi peccati effectibus, ex inſtituto Deo dante diſſeremus in vltimo ſequentis partis tractatu, qui erit de peccatis. Sicque primæ huius Theologicę Summę parti ſit finis impoſitus ad maiorem Dei Optimi Maximi gloriam. Amen. *Epilogus huius partis.*

FINIS.

A
A

A

A

A
A
A
A

A

INDEX

ALPHABETICVS

PRÆCIPVARVM MATERIArum in hac Summæ Theologicæ prima parte contentarum, vbi numerus paginam indicat.

A.

ACCIDENTIA nulla in Deo. 6
Acedia ſpiritualis. 2
Actio Dei tranſiens quid ſit. 496
Actio cauſæ vniuerſalis attingit totum effectum ſimul cum actione cauſæ particularis. ibidem.
Actio Dei circa creationem dupliciter ſpectatur. 541
Actio Dei in prima rerum omnium productione dupliciter conſiderari poteſt. ibid.
Actus hierarchici in genere duo præcipui, in ſpecie ſex & qui. 603
Actiones vitales Deus non poſſit per ſe ſolum exercere. 559
Actio vitalis quæ. 622
Adam. Vide homo primus.
Adam extra paradiſum factus, & quare. 768
Adam non tantum rerum naturalium, ſed & ſupernaturalium quarumdam cognitione præditus fuit. 801.
Adam myſterium Incarnationis cognouit. ibid.

Digitized by Google

Adam Chriſti cum Eccleſia coniunctionem cognouit. 802

Adam vtrum omnium hominum fuerit ſapientiſſimus. 803. & 804

Adam in iuſtitia originali conditus fuit. 807

Adam in gratia gratum faciente conditus. 808

Adæ poſteri in ſtatu Innocentiæ non erant naſcituri cum infuſa rerum ſcientia. 823

Adæ poſteri. Vide Filij.

Adæ peccata quænam fuerint. 847

Adam cognouit beatitudinem & damnationem Angelorum. 802

Æqualitas in diuinis perſonis. 471

Æqualitas Chriſti cum patre probatur. 471. & ſeq.

Æqualitas potentiæ in perſonis diuinis. 474

Æqualitas coæternitatis. 476

Æternitas quid. 104. & 179

Æternitas differt ab æuo & tempore. 105

Æternitas fine & principio caret 107

Æternitas participata quid. 109

Æternitas in Deo formaliter. 111

Æternitas non eſt menſura eſſe diuini. 102

Æternitas quomodo noſtro tempori coexiſtat. 111

Æternus eſt Deus. ibid.

Aër 2. die fuit conditus. 530

Æuum eſt medium inter æternitatem & tempus. 106.

in Affirmatione omni diuerſitas reperitur & vnitas. 160

Agens artificiale, naturale & ſupernaturale quomodo inter ſe differant. 503

Agere propter finem quid ſit. 500

Agunt Angeli in res corporeas. 620

quomodo Agere poſſint Angeli in hominis. 628. & ſeq.

Agere poſſunt Angeli in hominis voluntatem, & quomodo. 629

Actio Angelorum in homines. 628

Actiones Angelorum in potentias hominis tum exteriores cum interiores quæ ſint. ibid.

Agentium tria genera. 706
Allegoricus ſcripturæ ſenſus quis ſit. 36
Amor eſt præcipuus actus voluntatis. 235
Amor eſt in Deo. ibid.
Amor Dei & amor noſter quomodo differunt. 236.
Amor Dei eſt cauſa omnis bonitatis. ibid.
Amor ſeu inordinatus affectus erga vxorem ſecundum Adæ peccatum. 848
Amor in Angelis & hominibus quadrupliciter conſideratur. 708
Amor naturalis & ſupernaturalis in Angelis. ibid.
Amor neceſſarius & liber ſeu electiuus. ibid.
Amor amicitiæ & concupiſcentiæ. 709
Amor bonus & malus. ibid.
Amor ſecundùm Platonem duplex, verus & adulterinus. ibid.
Amore naturali plus Deum diligit Angelus quàm ſeipſum. 713
Amore naturali plus ſeipſum diligit Angelus, quam alium Angelum. 714
quo Amoris genere Angelus ſeipſum, Deum, & alios Angelos diligat. 710. & ſeq.
non Amore æquali Angelus alium Angelum diligit, ſed amore amicitiæ. 715
Amare quippiam eſt ipſi velle bonum. 235
Amare magis vel minus dupliciter dicitur 236
Amat omnia Deus quatenus ſunt entia & bona. 235.
non Amat Deus omnia æqualiter. 236
Amat Deus meliora. 237
Angeli ſunt inferiores æternitate, ſed tempore ſuperiores. 106
Angeli creati fuerunt ſimul cum cœlo Empyreo. 529. & 611.
Angelorum ſubſtantia dupliciter conſiderari poteſt. 581.
Angelus nuncius interpretatur. 583
Angeli quare vocentur intelligentiæ ab Ariſt. 584
Angeli ſunt de genere ſubſtantiæ corporeæ. 586

Digitized by Google

Angeli materiæ & formæ ſunt expertes. 587
Angeli aliqua compoſitione conſtant, & quæ. 588
Angeli comparatione Dei ſunt actus compoſiti. ibid.
Angeli prorſus incorporei. ibid.
Angeli non indigent ope phantaſmatum aut ſenſuum, vt rerum imagines à rebus obiectis hauriant. 590
Angeli ſpecies rerum omnium ab initio ſuæ creationis congenitas habent. 591
Angeli prorſus incorruptibiles. 592
Angelis data eſt gratia ſecundum perfectionem naturalis perfectionis. 595
Angeli ex infimo ordine ad hominum cuſtodiam deputati. 599
Angelorum numerus excedit numerum rerum corporearum. ibid.
Angeli diuinas illuminationes percipiunt intelligibili puritate. 601
Angeli non eodem modo gubernantur à Deo. 602.
Angeli quomodo purgentur & illuminentur. 603
Angeli 3. hierarchiæ hierarchiam Eccleſiaſticam gubernant ac dirigunt. 604
Angeli & Archangeli cur ſic dicti. 608
Angelus infimi ordinis per participationem Seraphin appellatus. 609
in Angelorum eodem ordine diuerſi gradus. 609
de Angelorum differentia pauca nobis comperta. ibid.
Angeli per creationem ex nihilo à Deo producti. 610.
Angelorum creationem quare reticuit Moſes. ibid.
Angeli non ab æterno, ſed in tempore producti. 610.
Angeli in cœlo Empyreo creati. 612
Angeli aliquando aſſumunt corpora. 614
Angeli quomodo aſſumant corpora. ibid.
Angeli ſubſtantiæ perfectæ, & per ſe ſubſiſtentes,

614. & 615.
Angeli aſſumunt corpora ea ſibi vniendo per inexiſtentiam. 616
Angelorum nomine intelliguntur ſubſtantiæ ſpirituales. 584
Angeli quo ſunt ſuperiores, eo vniuerſaliores ſpecies habent. 665
Angeli ſecundum triplicem ſtatum poſſunt conſiderari. 684
Angelus quomodo ſeipſum, Deum & alium Angelum diligit. 710.& ſeq.
Angeli omnes cum omni perfectione naturali fuerunt conditi, 716
Angeli in beatitudine ſupernaturali non fuerunt creati. ibid.
Angeli omnes fuerunt creati in gratia. 717
de Angelorum numero communis Theologorum ſententia. 597
Angeli aliquod miniſterium in primi hominis efformatione exhibuiſſe Deo potuerunt. 765
Angelorum beatitudinem & damnationem Adam cognouit. 802
Anima eſt quodammodo omnia. 166
Anima humana vnde proueniat quòd corpori vniatur. 590
Anima hominis prorſus ſpiritualis & immortalis. 537.
Animæ rationales à corporibus ſeparatæ numero tantum inter ſe diſtinguuntur. 594
Anima Indiget organis corporeis ad obeunda vitæ munia. 588
Anima rationalis, expers omnis materiæ. 590
Anima rationalis ſeipſam cognoſcit abſque vlla ſui ſpecie. 671
Animalia quædam quinta die procreata. 535
Animalium tria genera. ibid.
Animalia terreſtria ex qua ſubſtântia procreata. 537.
Animalia terreſtria ſexta die procreata. ibidem.

Animalia rationis expertia primum à Deo creata fuerunt. ibid.
Animalia reptilia, quæ ſint. 538
Animalia aquatilia & volatilia cur prius procreata, quam terreſtria. 536
Apparitiones Angelorum ſunt veræ & reales. 614
Apparitiones Dei in veteri teſtamento Angelorum miniſterio fuerunt. 617
Apparitio in columbæ ſpecie, & linguarum ignearum fuit potius Angeli quam Sp. ſancti. 617
Apparitiones Angelorum an ſemper veræ ſint. 618
Apparitiones bonorum Angelorum à malis quibus indiciis diſcernantur. 618
Appetitus Dei omnis appetitionis regula. 123
Appetitus intellectiuus Angeli non eſt iraſcibilis & concupiſcibilis. 705
Appropriatio quid ſit. 455
de Aquis ſuperioribus variæ ſententiæ. 528
Aquæ ex quibus piſces & aues fuerunt productæ non erant veræ aquæ. 537
Arbor vitæ duplicem habebat vim. 778
Argumentum ab authoritate diuina eſt firmiſſimum. 31
Arbitrij libertas quid ſit. 231
Arbitrium liberum à voluntate non differt. ibid.
Arbitrium liberum non prædeterminat Deus ad ſuos actus. 233
Arbitrium liberum dici poteſt à Deo præparatum non determinatum. 254
Arbitrium liberum dici poteſt conditio ſine qua Deus non prædeſtinat, non tamen cauſa propter quam. 279
Arbitrio libero præditi ſunt Angeli. 706
Arbitrium liberum in ſuperioribus Angelis nobiliori modo ineſt quam in inferioribus. 707
ad Arbitrij liberi exercitationem, &c. tentatio conueniens eſt. 845
Aſſertiones fidei ſunt principia Theologiæ. 29
in Aſſumptione corporum tres conditiones requiruntur. 616

nunquam Aſſumpſit Deus corpora. ibid.
Aſſumi corpus à dæmone quid ſit. 621
in Aſſumptione corporum Angeli varias operationes exercent. 622
in Aſſumptione corporum Angeli non exercent opera vitæ. ibidem.
Aſtra quare dicantur in firmamento poſita. 533
Aſtra ex qua ſubſtantia procreata. 534
Attributa in Deo inſtar proprietatum ſunt. 17
Attributa diuina ratione tantum diſtinguntur. 68
Attributorum diuinorum diſtinctio eſt rationis ratiocinatæ & non raticionantis. ibid.
Attributa diuina quomodo ab eſſentia diſtinguũtur. 71.
Auaritia quid ſit. 844

B

Beati dicuntur habere ſcientiam de non neceſſariis propter participationem ſcientiæ diuinæ. 13.
Beati eſſentiam Dei vident. 121
Beati quomodo vident Deum. 124
Beati non ſunt pares in beatitudine. 131
Beati vident omnia quæ in Deo ſunt. 135. & ſeq.
Beati vident omne quid hîc credimus. 144
Beati cognoſcunt contingentia ad illorum ſtatum pertinentia. 145
Beatitudo eſſentialis eſt præmium proportionatum charitati. 132
in Beatitudine ſupernaturali non fuerant Angeli creati. 716
Beatitudinem omnes Angeli aſſequi potuerant. 718
ad Beatitudinem conſequendam gratiæ auxilium Angelis fuit neceſſarium. ibid.
Beatitudine ſupernaturali non omnes Angeli potiti fuerunt. 719
Beatitudinem ſuam Angeli meruerunt, ſeu proprio merito conſequuti ſunt. 720
Beatitudinem ſuam non potuerunt eodem inſtanti

Angeli mereri, eaque potiri. 721
Beatitudinem ſuam non meruerunt Angeli in eodem inſtanti quo creati ſunt. ibid.
inter Beatitudinem & creationem Angelorum quædam mora fuit. 722
Beatitudinem ſuam quomodo Angeli adepti ſint. 721. & ſeq.
Beatitudinem ſuam adepti ſunt Angeli pro quantitate ſuorum naturalium. 726
in Beatitudine eſſentiali Angeli non poſſunt proficere. 730
Benedictio Dei circa creaturas eſt ipſis benefacere. 542.
Bonitas Dei omnis bonitatis creatæ menſura. 82
Bonitas Dei mouet voluntatem ſuam. 214
Bonitas Dei eſt finis ſeu cauſa finalis rerum omnium. 499
Bonitas Dei maxime in ordine & recto totius vniuerſi ſtatu eluceſcit. 546
Bonitas Dei finis ſeparatus rerum omnium. 547
Bonus eſt Deus, & ſumme bonus. 83
Bona omnia ſunt à Deo. ibid.
ratio Boni in quo poſita ſit, ex Auguſt. 83
Bonum per eſſentiam quatuor modis dicitur. 84
Bonum creatum ad increatum ſic ſe habet ſicut punctus ad lineam. 87
Bonum & perfectio totius vniuerſi quædam ſummi boni participatio. 547
Bona creata quomodo terminent voluntatem Dei. 214.

C

Cauſa finalis rerum omnium Deus. 498
Cauſa efficiens prima eſt Deus. 54
Cauſa idealis & exemplaris rerum omnium Deus. 497.
Cauſa inſtrumentalis quæ ſit. 611.
Cauſa ſuiipſius nihil eſſe poteſt. 54
Chriſtus primus recuperandæ ſalutis author. 5
Chriſti merita miſſionem Sp. ſancti præceſſerunt ac

Digitized by Google

impetrarunt. 488
Chriſtum tentauit Lucifer. 758
Chriſtus ſemel tantum miſſus. 488
Chriſtus ſub vna tantum forma nunquam ab ipſo ſeparanda miſſus fuit. 489
Chriſtus veram humanitatem aſſumpſit. ibid.
Chriſtus viſibiliter apparens accepit formam viſibilem in vnionem ſuppoſiti. ibid.
Chriſti diuinitas ex eo quod cordis cogitationes cognoſcebat comprobatur. 682
Chriſtus Angelum cuſtodem non habuit. 634
Cherubin cur ſic appellati. 637.
Cœli quando creati fuerint. 521. & 523
Cœli nomine quid intelligat diuus Auguſt. 522.
Cœli omnes primo mobili inferiores ſecunda die fuerunt conditi. 530
Cœli ab intelligentiis ſecundũ Ariſt. mouentur. 267
Cœleſtia corpora longe excedunt corpora elementaria. 598
Cognitio Dei perfectiùs per negationem quàm per affirmationem habetur. 56
Cognitio duplex in Angelis. 139. & præcipue. 699 & ſeq.
Cognitio Dei naturalis & ſupernaturalis. 147
Cognoſcendi Deum in hac vita triplex via. 148
Cognitio Angelorum fit per ſpecies infuſas. 661
Cognitio rerum ſpiritualiũ inſita eſt in Angelis. 669
Cognitio matutina & veſpertina in Angelis quid. 700
Cognitio Angelorum tripliciter diſtinguitur. 602
circa Cognitionem Angelorum quinque conſiderantur. 652
Cognoſcendi potentiam nullam habent Angeli præter intellectum. 653
Cognoſcit Angelus alium Angelum per ſpeciem intelligibilem. 672
Cognoſcibilia tria rerum genera. 128
Compoſitio ſubſtantialis multiplex. 57
Compoſitio omnis eſt cum imperfectione. 58
Cõpoſitio ex natura & ſubſiſtẽtia non eſt in Deo. 61

Compoſitio ex eſſentia & exiſtentia in Deo nulla. 63.
Compoſitione omni Deus caret. 62
Compoſitionis expers nulla eſt creatura. 72
Compræhenſio tripliciter dicitur. 134
non Compræhenditur Deus ab intellectu creato ſecundum quod in ſe eſt. 135
Deus ſe comprehendit, & quomodo. 168
Concluſiones non ſunt perfectiores ſuis principiis. 10.
Cõcurſus primæ cauſæ dupliciter accipi poteſt. 566
Concurſus primæ cauſæ per modum actionis dupliciter conſideratur. ibid.
Concurſus quo Deus ſimul cum cauſis ſecundis influit in effectum prior eſt naturæ ordine influxu cauſæ ſecundæ. 568
Concurſus Dei eſt actus ſeu operatio tranſiens. 571
Concurſus Dei ſeu ipſius cooperatio eſt aliquid temporale. ibid.
Concurſus Dei non eſt ipſe Deus, ſed aliquid tranſiens in creaturam. 572
Concurſus Dei idem eſt realiter cum ipſo effectu. 574.
Concurſus Dei tranſiens eſt in eo ſubiecto in quo eſt actio cauſæ ſecundæ. ibid.
Concurſus Dei & actio cauſæ ſecundæ in re non diſtinguuntur. 574
Concurſus Dei ex præſuppoſito decreto ſuæ volũtatis præbetur cauſis ſecundis, 576
Concurſus Dei quomodo agentibus liberis præbeatur. 578
Conſeruatio & directio creaturarum ſunt partes gubernationis. 544. & 553
Conſeruatio quid ſit. 553. & 554
Conſeruatio idem re cum creatione. ibid.
Conſeruatio actio Dei tranſiens. 554
Conſeruatio diuina ad omnia ſe extendit. ibid.
Conſeruari ab aliquo quid ſit. 555
Conſummatio naturæ in ſeptima die creationis. 542
Conſummatio gratiæ in Incarnatione. ibid.

Conſummatio gloriæ in fine mundi. ibid.
Cooperatio eſt vna eademque actio realiter cum actione cauſæ ſecundæ. 572.& 575
Contingentia poſſunt non eſſe. 54
Contingentia neceſſariò futura ſcit Deus. 173
Contingentia futura ſunt Deo ab æterno præſentia. 174.
Contingentia futura realiter Deo non coexiſtunt ab æterno. 175
Contingentes ſeu liberi actus non ſunt futuri, eo quòd præſciantur à Deo, ſed potius econtra. 189
Controuerſiæ fidei ad quam Theologiæ partem pertineant. 2
Corpus hominis ex qua ſubſtantia procreatum. 537
Corpus homogeneum non eſt aptum, vt à forma rationali informetur 590
Corpus humanū ex 4. Elementis componitur. 762.
Corpus humanum quare de limo terræ dicatur formatum. 764
Corpus primi hominis à ſolo Deo immediate, non ab Angelis productum. ibid.
Corpus humanum in ſtatu innocentiæ optima diſpoſitione præditum. 765
Corpus Adæ in ſtatu innocentiæ erat animale & paſſibile, &c. 776
Corpus muliebre congruum fuit produci in ipſo rerum exordio. 768
Corpus Euæ à Deo immediatè formatum. 770
Corpus Euæ ex corpore viri fieri congruum fuit, & quare. ibid.
Corpus Euæ formatum fuit in Paradiſo. 773
Corpus Euæ fuit conditum ſexto die. ibid.
Creatio propriè quid ſit. 501
Creatio propriè ſumpta accipi poteſt actiuè & paſſiuè. ibid.
Creatio quomodo actiuè accipiatur. ibid.
Creatio actiuè ſumpta duplex. 502
Creatio immanens quid ſit. ibid.
Creatio tranſiens, quid ſit. 502
Creatio paſſiuè ſumpta, quid. ibid.

Creatio paſſiuè ſumpta an ſit tranſcendentalis, an categorica. 502
Creatio eſt de fide. 505
Creatio prior eſt quodam rationis ordine quàm gubernatio. 545
Creatio nec iuſtificatio propriè dicũtur miracula. 564
Creationem Angelorum quare reticuit Moſes. 610
Creare ſolius Dei proprium eſt. 510
Creari aliquid poteſt à Deo dupliciter. 505
Creare proprium eſt diuinarum perſonarum. 512
Creata bona quomodo terminent voluntatem Dei. 214.
Creati ſunt Angeli ſimul cum cœlo Empyreo. 611
vbi Creati ſint Angeli 612
Creati fuerunt Angeli omnes cum omni naturali perfectione. 716
Creati non fuerunt Angeli in beatitudine ſupernaturali. ibidem.
Creati fuerunt Angeli omnes in gratia. 717
Creata quędam quodãmodo dici poſſunt infinita. 92
Creatura nulla compoſitionis expers. 72
Creaturæ dici poſſunt Deo ſimiles. 80
Creatura dupliciter dicitur bona. 86
Creaturæ non cognoſcuntur in Deo per proprias ſimilitudines. 140
Creatura non videt omnia quæ ſunt in Deo eminentér. 141
Creaturæ dicuntur tripliciter eſſe in Deo. 206
Creatura tanquam inſtrumentalis cauſſa non poteſt ex nihilo aliquid producere. 511
Creaturæ Deum repræſentant, non tantum vt vnum, ſed etiam vt trinum. 514
Creaturæ rationales quomodo Deum repræſentent. ibid.
Creaturæ rationis ex partes quomodo Trinitatem repreſentent. 514
Creatura quælibet tria ſibi vendicat. 515
Creatura conſiderari poteſt dupliciter. 551
Creaturæ rationales ſolæ dici poſſunt imago aut ad imaginem Dei. 792

Digitized by Google

in Creaturis omnibus quædam eſt Dei ſimilitudo. 794.
Cuſtodes Angelos habent ſinguli homines. 635
Cuſtodia Angelorum proteguntur homines, 632
Cuſtodem Angelum non habuit Chriſtus. 654
Cuſtos Angelus a natiuitate nobis adeſt. ibid.
ex Cuſtodia Angelorum multæ vtilitates proueniunt. 654
Cupiditas ambitioſa quintum Euæ peccatum. 847
Curioſitas tertium Adæ peccatum, 848

D

Demonſtratio duplex. 51
Deus dicitur habere ſcientiam de non neceſſarii
Deus conſideaari poteſt dupliciter. 43
Dei incarnati triplex conſideratio, ibid.
de Deo vt vno tria quæri poſſunt. 45
Deus non poteſt demonſtrari per cauſam. 51
Deum eſſe demonſtratur per effectum. 52
quinq; rationes quibus Deum eſſe probatur. 53
Deus eſt ſubſtantia. 57
Deus cauſa prima omnium ſubſtantiarum. ibid.
Deus eſt purus actus. 58
Deus eſt bonus per eſſentiam. 59
nihil Deo prius. ibid.
Deus eſt forma aſſiſtens non informans. 59
Deus eſt ſua bonitas, diuinitas, &c. 61
Deus in nulla categoria reperiri poteſt. 64
Deum eſſe extra mundum dupliciter dici poteſt. 97.
Deus eſt vbique per eſſentiam, præſentiam & potentiam. 98
Deus particulari quodammodo eſt in ſanctis & quomodo. ibid.
Deus omni compoſitione caret. 62
Deus rerum omnium eſt author. 493
Deus eſt prima cauſa efficiens omnium entiū ibid.
Deus eſt cauſa efficiens immediata rerum omnium. 495. cognoſcit omnia extra ſe in ſua eſſentia. 269.170. cognoſcit infinita. 194

Digitized by Google

Deus operatur propter ſemetipſum. 500
Deus omnia produxit in tempore. 505
Deus eſt cauſa rerum per ſuum intellectum & voluntatem. 503
Deus cauſa vniuerſalis totius entis. 545
Deus ſupplere poteſt influxum cauſæ cuiuſlibet efficientis. 559
Deus non poteſt per ſe ſolum vitales actiones exercere. 559
Deus prius natura operatur. 569
Deus operatur mediis cauſis ſecundis. 570
Deus & cauſa ſecunda ſe habent per modum vnius agentis. 572
Deus quomodo præbeat ſuum concurſum liberis agentibus. 578
Dies duplex eſt. 519
Dies artificialis quid ſit. ibid.
Dies naturalis quid. ibid.
Diluuii cauſa. 625
Diſtinctio & non diuerſitas in diuinis reperitur. 337
Dœmon quomodo poſſit humanum ſenſum eludere. 618
Dæmon ſępe numero localiter transfert maleficas. 620.
Dæmones quidam in inferno, quidam in aëre. 636
Dæmones ita in malo ſunt obſtinati vt in bonum conuerti nunquam poſſint. 749
Dæmones ſemper aliquem malum actum exerceut. 749.
Dæmonum peccata poſt lapſum ſicut & hominum poſt obitum irremiſſibilia. 950
Dæmones dolore aliquo afficiuntur, 754
Dœmones per ignem infernalem vere cruciantur ibid.
Dæmones dupliciter cruciantur. 755
Dœmonum quorumdam proprius locus vſque ad iudicii diem eſt aër caliginoſus. 758
Dœmones omnes poſt iudicii diem in inferno detrudentur. 758
Dœmon odiis & inuidiæ inflāmatus primos paren-

tes tentauit. 835
Dæmon in primorum parentum tentatione fraude vſus eſt. ibid.
Dæmon quare ſub aliena ſpecie tentauerit Euã. 839
Dæmonis aſtutia ad perſuadendam Euam. 843
Dominationes quare ita appelentur. 608
Donum duplicem habitudinem importat. 428
De nomine Domini. ibid. & 429
Duratio quid ſit. 103
Durationum tria genera. 104
Durationis quædam ſpecies. 109

E

ECcleſia ex Chriſti latere in cruce pendentis. 771 & 802.
Ex effectu cauſam eſſe probatur. 52
Effectus gratiæ gratum facientis perſonæ miſſæ appropriatur. 486
Elias & Enoch vbinam ſint. 787
Ex quatuor Elementis corpus humanum procreatum fuit. 762
Entia etiam futura contingentia Deus comprehendit. 173
Entia quædam ſunt actu quædam vero potentia. 172
Entia in potentia, alia ſunt futura, alia numquam futura. ibid.
non Entia ſunt duplicis generis. 192
Entia poſſibilia duplicis generis. ibid.
Entia impoſſibilia à Deo non cognoſcuntur. ibid.
non Entia quæ eſſe poſſunt nec tamen ſunt futura cognoſcuntur à Deo. 193
Eſſe Dei eſt ipſa eius eſſentia. 51. & 63
Eſſentia diuina ſufficiens eſt ad repræſentendam vnamquamque rem producendam. 497
Eſſentia diuina eſt Deo ratio cognoſcendi. 170
Excuſatio nouum eſt Euæ peccatum. 847
Excuſatio peccati commiſſi ſeptimum & vltimum Adæ peccatum. 849
Exiſtentia in creaturis ab eſſentia diſtinguitur. 62

Digitized by Google

Exiſtentia Angeli non eſt de eius eſſentia. 585
Exiſtentia Angelorum ſola fide colligitur. 586. & 584
Eua a Deo immediatè efformata. 770
Eua quare ex corpore viri educta, ibid.
Eua ex coſta viri vere facta. 772
Eua quare ex Adæ coſta fuit facta. 771
Eua fuit in Paradiſo terreſtri formata. 773
Eua ſexta die condita. ibid.
Eua non fuit pari omnium rerum notitia cum Adamo prædita. 84
Euæ prima tentatio quomodo peracta. 842
Euæ peccata quænam fuerint. 847

F

FAcultas duplex in Angelis. 581
Fides quid ſit. 9
Fides habitus infuſus. ibid.
Fides & Theologia in multis differunt. 9
Fides eſt ſecundum ſe ineuidens. 12
Fides per ſe eſt habitus principiorum Theologicorum. ibid.
Fides medius quidam habitus inter Theologiam beatorum & viatorum. ibid.
in Fide non exigitur neceſſitas obiecti, & quare. 13
Fides ad ſalutem neceſſaria. 26
Fidei propoſitiones ſunt principia Theologicarum propoſitionum. 29
Filius & Spiritus ſanctus mittuntur à patre. 482
Filius a ſolo patre mittitur, & quare. ibid.
Filius quomodo dici poteſt miſſus a tota ſanctiſſima Trinitate. 482
Filius dicitur alio modo ſanctificare animam quàm Spiritus ſanctus. 490
Filius inuiſibiliter dicitur mitti in animam. ibid.
Filii Adæ in ſtatu innocentiæ paruuli fuiſſent nati. 819.
Filii Adæ in ſtatu innocentiæ non erant naſcituri cũ infuſa rerum ſcientia. 823
Filii Adę in ſtatu innocentiæ mox nati vſum rationis non

Digitized by Google

nis non habuiſſent. ibid.
Filij Adæ in ſtatu innocentię cum iuſtitia originali fuiſſent procreati. ibid.
Filii Adæ in ſtatu innocentiæ nati fuiſſent cum gratia gratum faciente. 826
Finis vltimus rerum omnium quis. 546. & 499
Finis vniuerſalis rerum omnium ad ipſum ſummum bonum reducitur. 547
Finem particularem res omnes non ſemper aſſequuntur. 252
Finem vniuerſalem res omnes aſſequuntur. 253
Finis rerum omnium vniuerſalis & pręcipuus quis 254.
Fœminæ tot fuiſſent in ſtatu innocentiæ natæ, quot mares. 821
Forma corporalis eſt poſterior ſua cauſa. 74

G

GEneratio dupliciter accipitur. 337
Generatio ſeu natiuitas ſolis rationalibus creaturis competit. 338
Deus pater quomodo generat filium. 344
Generatio & ſpiratio tantũ æternaliter dicũtur. 483
Generare non poſſunt Angeli. 624
per Generationem ſtatu innocentiæ humana natura propagata fuiſſet. 816
Generatio in ſtatu innocentiæ nihil turpitudinis admixtum habuiſſet. 818. & 821
Globus vnus ex mari & terra. 531
Glorię conſummatio in fine mundi. 542
Gloria eſt conſummatio gratiæ. 715
Gratia efficax non prædeterminat liberũ arbitrium. 234. & 235.
Gratia & gloria effectus ſunt prædeſtinationis. 263
Gratia eſt neceſſaria vt credamus & perſeueremus in bonum. 273
Gratia ad ſalutem ſufficiens omnibus offertur. 311
Gratiam adepti ſunt Angeli per merita Chriſti futura. 688

Gratia eſt inchoatio gloriæ. 715
in Gratia omnes Angeli fuerunt creati. 717
Gratiæ auxilium Angelis fuit ad neceſſarium ad beatitudinem conſequendam. 718
Gratiæ inæqualitas inter Angelos reperitur. 595
Gratiam & gloriam adepti ſunt Angeli pro ſua naturæ dignitate. 726
Gratia in qua conditus fuit primus homo, duplex. 805.
Gratiæ gratum facientis & originalis iuſtitiæ diſcrimen. 806
Gratia in ſtatu innocentiæ tres effectus præcipuos ſortiebatur. ibid.
in Gratia gratum faciente primus homo creatus eſt. 808.
cum Gratia gratum faciente in ſtatu innocentiæ nati fuiſſent filij Adæ. 826
Gubernatio Dei in conſeruatione & productione poſita eſt. 543
Gubernatio effectus diuinæ prouidentiæ. 544
Gubernatio diuina quomodo accipiatur. 545
Gubernatio diuina, quid ſit. ibid.
Gubernatio rerum in quo conſiſtat. 546
Gubernationis diuinæ ordo numquam violari poteſt. 548
in Gubernatione duo conſideranda. 549
Gubernatio actiuè & paſſiuè ſumitur. 550
Gubernatio aliquando pro ſola directione, aliquando pro ſola conſeruatione ſumitur. 551
Gubernationis diuinæ tres ſunt actus, & qui. 552
Gubernatio Angelorum à Deo non eodem modo ſe habet. 602
Gubernatio Dei eſt executio quædam diuinæ prouidentiæ. 544
Gubernationis diuinæ duo actus. 550
Gubernationis diuinæ ordo quare violari non poſſit. 548
Gula ſextum Euæ peccatum. 847
Gula quintum Euæ peccatum. 848.

Digitized by Google

H.

HAbitus quo res fidei eſſe credibiles oſtenditur, non eſt Theologicus. 39
Hæretici quidam Deum nullarum, aut non omnium rerum eſſe authorem dixerunt. 493
Hæretici & Philoſophi quidam primam materiam Dei eſſe coeternam commenti ſunt. 494
Hierarchiæ deſcriptio. 600
Hierarchia, alia hominum, alia Angelorum eſſe debet. 601
Hierarchici actus in genere duo. 603
Hierarchia prima ex quibus Angelorum ordinibus conſtat. 607
Hierarchia ſecunda & tertia, ex quibus Angelorum ordinibus conſtent. 608
Hierarchiæ primæ Angeli aliquando miſſi. 631
Hierarchia prima Angelorum illuminatur immediate à Deo. 602
Hierarchia ſecunda à prima illuminatur, & tertia à ſecunda. ibid.
Hierarchia Angelorum non eadem eſſe poteſt. 602
Homo proprie non eſt imago Dei, ſed ad ipſius imaginem factus. 424
Homo ſexta die à Deo procreatus fuit. 537
Homo in infimo gradu naturæ intelligentis conſtituitur. 589
Homo conuenit cum Angelis per partem ſui ſuperiorem 590
Homo quod corpus ex quatuor elementorum ſubſtantia componitur. 762
Homo quare dicitur factus de limo terræ. 764
Homo primus à ſolo Deo immediate productus eſt. ibid.
Homo primus cum optima diſpoſitione à Deo procreatus. 765
Homo primus in inſtanti efformatus, non ex nihilo, ſed ex quatuor elementorum materia. 767
Homo primus ſexto die circa meridiem, & extra Paradiſum productus. 768

Homo primus in ſtatu innocentiæ poterat non mori. 775
Homo primus ante peccatum diuerſa conſideratione erat mortalis ſimul & immortalis. 779.& 780
Homo primus ab inſtanti ſuæ creationis eximiis ſcientiæ & ſapientiæ dotibus exornatus. 799
Homo primus à ſeipſo habebat voluntatem malam, & à Deo naturam bonam. 833
Homo erat ante peccatum, quodammodo paſſibilis & impaſſibilis. 781. & ſeq.
Homo in ſtatu innocentiæ cibo potuque indigebat. 784.
Homo in ſtatu innocentiæ, quatuor præcipuis animæ ornamentis erat inſignitus. 788
Homo vere ad imaginem & ſimilitudinem Dei creatus. ibid. & 791
Homo ſimul imago, & ad imaginem Dei dicitur. 793.
Homo nonniſi imperfecta Dei imago eſt, ibid.
in Homine Trinitatis imago inuenitur. 795
Homo continet omnia per participationem & intellectionem. 797
Homo ad imaginem Dei factus ſecundum dona ipſius naturalia. 798
Homo quare habeat ſtaturam erectam. 766
Homo ad ſimilitudinem Dei ſecundùm dona gratuita & ſupernaturalia. 798
Homo à Deo habuit naturam bonam & pœnam iuſtam. 833
Homo tentatur tribus modis. 844
Homines alio modo gubernantur à Deo quàm Angeli. 601
Homines diuinas illuminationes percipiunt, ſub rerum ſenſibilium ſimilitudine. 601
Homines Angelorum miniſterio proteguntur. 632
Homines habent Angelum cuſtodem. 633
Hominem ab alio tentari decuit. 834
Hominē tentari nōniſi à dæmone congruū fuit. ibid.
Humana natura in ſtatu innocentiæ fuiſſet, per generationem propagata. 836

Humana natura triplici tentatione fuit oppugnata. 844.
Hypoſtaſis duplex acceptio.
Hypoſtaſis & perſona in diuinis idem eſt. 353
Hypoſtaſis idem eſt quod ſuppoſitum. ibid.

I.

IDea prout eſt in mente diuina quid ſit. 198
Ideæ diuinæ quatuor conditiones. ibid.
Idea diuina eſt idem cum intellectu, & eſſentia diuina. 200
Idea in mente diuina eſt, tanquam id quod intelligitur. ibid.
plures Ideas eſſe in mente diuina non repugnat. ibidem.
Ideæ ſunt in Deo etiam poſſibilium omnium. 202
cauſa Idealis & exemplaris omnium eſt Deus. 497
Ideæ & Verbi diuini differentia. 417
Ignis non poteſt eſſe locus naturalis animalium. 540
Ignorantia homini ex culpa accidit. 823
Ignorantia duplex, negationis, & priuationis. ibid.
Illuminare hominis intellectum, quomodo poſſint Angeli. 629
Imago in diuinis eſt nomen perſonale. 423
Imago ab exemplari diſtinguitur. ibid.
Imago in diuinis eſt nomen proprium filij. ibid.
Imago Dei increata eſt ipſa diuinitas. 789
Imago propriè quid ſit. ibidem.
Imago Dei increata eſt Dei filius. 790
Imago omnis eſt ſimilitudo, non econtra. 791
ad Imaginis rationem quid requiratur. 792
Imago Dei competit homini ratione animæ intellectualis, & non vegetatiuæ, aut ſenſitiuæ. 793
Imago Trinitatis in homine. 795
Imaginem aut ad imaginem eſſe tam viro quàm fœminæ competit. 796
Imago Dei ſecundùm eſſentiæ vnitatem in homine. ibid.
Imago Dei ſecundum Trinitatem in homine. 797

Imago Dei vt trini, in qua parte hominis conſiſtat. 797. & 798.
ad Imaginem Dei homo factus ſecundum dona naturalia. 797
Immutabilitas in Deo excludit omnem motum. 99
Immutabilem eſſe Deum probatur, 100
Immutabilis, ſolus eſt Deus. 101
Immutare poteſt Deus quaſlibet creaturas. 557
Immutationis mediatæ quinque ſpecies, 558
Immutat Deus creaturas tripliciter. 561
Immutatio ſupernaturalis pertinet ad gubernationem creaturarum rationalium. 565
Immutare poſſunt Angeli res corporeas 626
Immutare poſſunt Angeli corpora ſecundum motum localem. 627
Immutare non poſſunt Angeli corpora per productionem alterius formæ. 627
Immutare poſſunt Angeli corpora tanquam Dei inſtrumenta. 628
Immutare poſſunt Angeli hominis intellectum eum illuminando. 629
Infinitus eſt Deus ſecundum eſſentiam. 88
Infinitas Dei importat ſummam perfectionem. 89
Incorporeum quid ſit. 587
Incarnatio Chriſti conſummatio gratiæ. 542
Incarnati Dei triplex conſideratio. 43
Infidelitas quartum Adæ & Euæ peccatum. 846. & 848.
Infideles ſi nullum mortale peccatum commiſerint non punientur pœnâ ſenſus. 310
Infideles punientur pœna damni propter originale peccatum. ibid.
Influxus Dei in cauſis ſecundis quid operetur. 567
Influxus Dei circa rem in fieri, & circa eamdem in facto eſſe quomodo dicatur, 575
Ingeniti triplex acceptio. 412
Inobedientia ſextum Adæ peccatum & Euæ ſeptimum. 847. & 848
Innocentiæ ſtatus virtutum aggregationem exigebat. 814

in Innocentiæ ſtatu animalia non fuiſſent homini noxia. 549
Inſtans temporis diſcreti quid ſit. 110
Inſtans temporis noſtri quid ſit. 111
Intellectus creatus indiget lumine gloriæ ad videndum Deum. 129
Intellectus eſt in Deo, id eſt, Deus eſt omnia intelligens. 165
Intelligit ſe Deus per ſeipſum. 167
Intellectus Dei ex nullius rei abiectæ cognitione vileſcit. 171
Intellectus Angeli realiter diſtinguitur ab eius eſſentia. 654
Intellectus Angeli vnicus iſque perfectus. 655
Intellectum agentem & patientem eſſe in Angelo vult Scotus. ibid.
Intellectu duplici fuerunt præditi Cham & Adam, & quare. 656
Intellectus Angeli ſemper actu aliquid intelligit. 692.
inter Intellectum diuinum, Angelicum, & humanum diſcrimen. 698
Intelligunt Angeli per rerum omnium ſpecies inſitas. 661
Intellectio Angeli non eſt eius eſſentia. 657
Intellectio Angeli non eſt ſubſtantia ſed accidens. 658.
Intellectio Angeli non eſt eius exiſtentia. ibid.
Intellectio Angeli quid ſit. 658
poſt Iudicij diem omnes dæmones detrudentur. 758
Iuſtitia & miſericordia in omnibus Dei operibus elucent. 237. & 244
Iuſtitiæ duæ ſunt ſpecies. 238
Iuſtitia commutatiua an ſit in Deo. ibid.
Iuſtitia diſtributiua an ſit in Deo. 239
Iuſtitia diſtributiua tam in remunerando quàm in puniendo homines vtitur Deus. 240
Iuſtitiam commutatiuam exercet Deus. 240
Iuſtitia tum commutatiua cum diſtributiua appellatur veritas. ibid.

Iuſtitia in iuſtificatione peccatoris reperitur. 244
Iuſtitiæ originalis & gratiæ gratum facientis diſcrimen. 806
Iuſtitia originalis tres ſibi effectus ſortiebatur. ibid.
in Iuſtitia originali Adam conditus fuit. 807
Iuſtitia originalis, quid ſit. 810
Iuſtitia originalis à gratia ſanctificante diſtinguitur. 811.
Iuſtitia originalis in ſuperiori primi hominis animæ parte reſidebat. 812. & ſeq.
Iuſtitia originalis in ſtatu innocentiæ gratiæ gratum facienti neceſſariò erat annexa. 827
cum Iuſtitia originali in ſtatu innocentiæ nati fuiſſent poſteri Adæ. 825
Iuſtificatio & vocatio prædeſtinationis effectus. 265
Inſtificationis initium ex Deo vocante. 277

L.

LApides & mineralia in terræ viſceribus tertia die procreata. 531
circa Lapſum primorum parentum tria conſiderantur. 830
Legio quot hominum millia antiquitus continebat. 589
Liber vitæ, quid ſit. 291
Liber vitæ eſt idem cum prædeſtinatione. ibid.
Liber vitæ, aliquando diſtinguitur à prædeſtinatione. 291
Liber vitæ, inuoluit reſpectum ad vitam gloriæ. 292.
de Libro vitæ non poſſunt deleri prædeſtinati. ibidem.
de Libro vitæ quinam poſſint deleri & quomodo. ibidem.
Locus duplex. 637
Locus Angeli dici poteſt adæquatè vel inadæquatè. 643.
in Locis pluribus adæquatis, non poteſt eſſe naturaliter Angelus. 643

in Locis pluribus inadæquatis poteſt eſſe Angelus, & quomodo. 644
in Loco quomodo ſint Angeli. 637
in Loco eſſe definitiuè dupliciter dicitur. ibid.
in Loco ſunt Angeli definitiuè. 638. & 646
in Loco Angelus dupliciter eſſe poteſt. 641
in puncto Loci poteſt eſſe Angelus. 642
in eodem Loco plures Angeli præſentes ſecundum ſubſtantiam eſſe poſſunt. 645
in eodem Loco plures Angeli ſecundùm operationem eſſe poſſunt. 646
Localiter moueri, quid ſit. 647
Localiter quomodo Angeli moueri poſſint. 647. & ſeq.
Lucifer fuit dux peccantium Angelorum. 747
Lucifer in inferno alligatus vſque ad Antichriſti tempora. 758
Lucifer à quo tempore ſit in inferno alligatus. 758
Lucifer Chriſtum & primos parentes tentauit. ibid.
Lumen gloriæ, quid. 131
Lumen gloriæ eſt finitum & creatum. 136
per Lumen gloriæ beati efficiuntur Deiſormes. 129
Lux primæ diei corporea. 525
Luna creata fuit quarta die. 533
Luna cur vocetur luminare maius. 535

M.

Malum culpæ non vult Deus. 215
Malum culpæ quam ſit graue. 216
Manus eſt inſtrumentum inſtrumentorum.
Materia prima non eſt Deo coæterna, vt quidam philoſophi & hæretici commenti ſunt. 594
Materia informis, quæ. 521
Memoria Dei eſt liber vitæ. 291
Mendacium tertium Euæ peccatum. 846
per Merita Chriſti futura, gratiam adepti ſunt Angeli. 688
Metaphoræ in Scriptura ſacra non neceſſariæ, ſed vtiles. 34

Miracula triplicis generis. 561
Miraculi definitio. 562
Miraculum quomodo fiat. 561
Miraculum vnde dicatur. 562
Miracula contra, vel præter, vel ſecundum naturam quid. ibidem.
Miracula quæ inuoluunt repugnantiam non poteſt Deus facere. 564
Miracula vera poſſunt facere Angeli. 682
Miracula vera non poteſt per ſe Angelus facere tanquam cauſa principalis. ibid.
Miſericordia & iuſtitia in omnibus Dei operibus elucent. 237. & 242
Miſericordia eſt in Deo. 241
Miſericordia quomodo Deo tribuenda. ibid.
Miſſio in diuinis nullam importat inæqualitatem. 480.
Miſſio eſt aliquid perſonale ſeu notionale. 481
Miſſio propriè dicta annexa eſt proceſſioni. ibid.
Miſſio nonniſi temporalis eſt. 483
Miſſio duplex. 484
Miſſio & datio dicuntur temporaliter tantum. 483
Miſſio filij eſt à ſolo patre. 488
Miſſio Sp. ſancti à patre & filio. ibid.
Miſſio Angelorum ad homines. 630
Mittuntur aliquando extraordinariè Angeli primæ Hierarchiæ. 631
Moralis ſcripturæ ſenſus, quis ſit. 36
Mors dupliciter hominibus accidere poteſt. 777
Mortis cauſa triplex. ibid.
Mortis cauſæ internæ duplices. ibid.
Motor primus eſt immobilis. 101
Motor omnium Deus & non mouetur. 104
Motus Angeli eſt ſucceſſiuus. 651
inter Motum diſcretum & continuum Angeli, diſcrimen. 648
Mundus quomodo dici poſſit ex nihilo procreatus. 503.
Mundus an fieri potuerit ab æterno. 505
Mundus quid ſit. 506

Mundus creatus fuit ſex verorum dierum ſpatio. 508.
Mulier ad ſolum generationis opus producta. 769
Mulier non ſimul cum corpore viri procreata, & quare. ibid.
Mulier immediatè à Deo efformata. 770
Myſteria gratiæ dupliciter conſiderantur. 685
Myſteria gratiæ Angeli non poſſunt per ſua naturalia cognoſcere. ibid.
Myſteria gratiæ quomodo poſſunt Angeli cognoſcere. 686. & ſeq.
Myſteria fidei an Angeli in ſtatu gratiæ cognoſcant. 687.

N.

NAtiuitas ſolis rationalibus creaturis competit. 338.
Natura Dei ſuperat omnem ſenſum & rationem. 52.
Nomina non tantum rerum, ſed & conceptuum ſigna ſunt. 150
Nomina quædam Deo per ſe competunt. ibid.
Nomina tum concreta cum abſtracta quomodo Deo conueniant. 151
tria Nominum genera de Deo concipiuntur. 152
Nominum diuinorum tres diuiſiones. 153
Nomina Dei tam propria quam communia ex creaturis colliguntur. ibid.
Nomina Dei propria ſecundum rem ſunt ſingularia & incommunicabilia. 154
Nomen Dei Iehoua eſt ſingularis & incommunicabilis. ibid..
Nomina communia de Deo prædicantur analogicè 256.
Nomina analogicè de pluribus dici poſſunt duobus modis. 157
Nomina omnia Deo conuenientia non ſunt inter ſe ſynonima. 159
tria Nominum genera in diuinis vſurpantur. 400

Notio in diuinis, quid ſit. 400
Notiones in diuinis admittendæ. 401
Notiones quinque vulgo in diuinis colliguntur. 404.
Notiones negatiuæ in diuinis reiiciuntur. ibid.
ex quinque Notionibus, quatuor ſunt relationes. 405.
Notionales actus cur admittendi. 462
Notionales actus aliquando ſunt voluntarij, aliquando non. 469
Notitia Dei hominibus naturaliter inſita. 50
Notitia ſummi boni omnibus confuſe ſaltem naturaliter inſita. ibid.
Notum per ſe, quid ſit. 48
Notum per ſe dupliciter dicitur. ibid.
Nouitas mundi ſola fide tenenda. 506
Numerus Angelorum certo conſtare non poteſt. 597
Numerus Angelorum non eſt infinitus. 597
Numerus infinitus non poteſt dari actu. ibid.
Numerus Angelorum multum ſuperat numerum hominum. 598.

O

OBiectum formale Theologiæ Deus eſt. 15
Obiectum proprium viſus eſt coloratum. ibid.
Obiectum Theologiæ natura ſua eſt ſingulare. 16
Obiectum Theologiæ dici poteſt Ens diuinitùs reuelabile. 17
Obiectum fidei eſt Ens cognoſcibile per reuelationem. 18
Obiecti Theologici principia. 17
Obſideri corpus à dæmone, quid ſit. 621
Obſtinationis Angelorum duæ ſpeciales rationes 750. & 752.
Occidere hominem Angeli & dæmones poſſunt, & quomodo. 629
Operari diſpoſitiuè, quid ſit. 511
Operationes ad extra toti Trinitati ſunt communes. 613.

Digitized by Google

P

PAradiſus eſt vocabulũ Græcum ſeu Perſicum. 783
Paradiſus fuit verus & corporeus locus. ibid.
Paradiſus in qua mundi parte extitit, & de eo variæ ſententiæ 784
Paradiſus in Meſopotamia extitit. 785
Paradiſi locus adhuc nunc reſtat, non verò Paradiſus ipſe. 786
in Paradiſo Enoch & Elias non ſunt. 787
in Paradiſo quantum morati ſint primi parentes. 862
Paſſio, quid ſit. 781
Paſſio dupliciter accipitur. ibid.
Paſſibilis fuiſſet primus homo in ſtatu innocentiæ, & impaſſibilis diuerſa conſideratione.
Pater in diuinis dupliciter accipitur. 410
Pater eſt ingenitus. 412
Pater principium quod generationis. 463
Pater & Filius principium quod ſpirationis. ibid.
Pater non mittitur, & quare. 482
Peccatum quàm graue ſit. 216
Peccatum non vult Deus. 216
Peccatorum author non eſt Deus. 294
Peccata ſunt media reprobationis. ibid.
Peccata non ſunt effectus reprobationis. 295
Peccatum quodlibet carnale ſecundum reatum poteſt cadere in Angelum. 733
Peccatum ſpirituale ſecundum affectum poteſt ſolum cadere in Angelum. ibid.
Peccatum eſt in aliquo dupliciter. 733
Peccatum Angelorum aliud eſſe potuit quam ſuperbia. 736
Peccatum primum Angelorum fuit ſuperbia. 738
ex Peccato ſuperbiæ Angelorum multa alia emerſerunt. 743
Peccata hominum poſt obitum ſicut Angelorum poſt lapſum ſunt irremiſſibilia. 750
inter Peccatum Angelorum, & primi hominis diſcrimen. 845

Digitized by Google

Peccata Euæ quænam fuerint. 846
Peccata Adæ quænam fuerint. 847
duo Peccata fuerunt maximè præcipua vtrique parenti. 849
Peccatum primorum parentum poteſt dici vnum ſimul & multiplex. ibid.
Peccatum Adæ aliqua conſideratione grauius fuit quam peccatum Euæ & econtra. 850
Peccare non poteſt beatus Angelus. 728
Peccare potuit Angelus. 732
Peccauit Angelus ex mera malitia. 735
Peccauerunt actu multi Angeli. 737
Peccare potuerunt Angeli in primo inſtanti ſuæ creationis. 744
Peccauerunt Angeli ex quouis ordine. 745
Peccantes Angeli pauciores ſunt, quam ij qui in bono perſeuerauerunt. 745
Peccantium Angelorum dux fuit Lucifer. 747
Perfectio & perfectum quid ſint. 75
Perfectio eſſentialis, accidentalis, naturalis, & ſupernaturalis. 76
Perfectiſſimus eſt Deus. ibid.
Perfectiones rerum omnium ſunt in Deo. 77
Perfectiones diuerſæ creaturarum, ſunt vnum & idem in Deo. 78
Perfectio duplex. ibid.
Perfectio formalis in Deo quid. 80
Perfectiones creaturarum ſunt diſtinctæ. 160
Perfectio totius vniuerſi, quædam ſummi boni participatio. 547
Perſona omnis eſt ſuppoſitum, non econtra. 360
Perſona & hypoſtaſis idem eſt in diuinis. 363
Perſonæ vocabulum quandonam dicit relationem ſubſiſtentem, & quando non. 365. & ſeq.
Perſonæ diuinæ conſtituuntur ac diſtinguuntur per relationem originis. 367
Perſonarum pluralitas probatur. 368. & 371
Perſonarum diſtinctio probatur. 369
ſingulæ Perſonæ diuinæ tantum ſunt quantum ipſa glorioſa Trinitas. 373

Digitized by Google

vna Perſona in diuinis non procedens. 375
Perſonæ duæ in diuinis procedentes. ibid.
an Perſonæ ſingulæ diuinæ ſint Deus. 378. & ſeq.
Perſona Patris eſt Deus. ibid.
tres Perſonæ diuinæ ſunt vnus Deus. 390
Perſona & eſſentia in diuinis ſunt idem. 443
tres Perſonæ diuinæ ſunt vnius eſſentiæ. 446
in Perſona tria conſiderantur. 458
Perſona quomodo ſubſtantia aut eſſentia eſſe dicitur. 467
Perſonale quid. 456
Perſona quare dicitur mitti ab alia. 481.& 486
Perſona non poteſt mitti niſi quæ procedit. 482
Perſona non poteſt mitti ab alia niſi àqua procedit. ibid.
Perſona dupliciter dici poteſt mittens. 482
Perſona quomodo dicatur inhabitare in creatura rationali. 486
Perſona vna poteſt mitti viſibiliter abſque alia. ibid.
Plantæ, herbæ,& arbores tertia die procreatæ. 531
Planetarum orbes quarta die procreati fuerunt. 533
Pœna ſeu dolore aliquo dæmones afficiuntur. 754
Pœna ſerpenti qui Euam decepit, inflicta. 854
Pœna multiplex tum Adamo cum Euæ inflicta. 858
Pœnitentiæ ſpatium quare Deus Angelis denegauerit. 753
Potentia actiua ſed non paſſiua eſt in Deo. 318
Potētia Dei actiua eſt intellectus & voluntas Dei. 319
Potentia Dei actiua eſt infinita. 320
Potentia Dei actiua duplex. 321
ſecundum Potentiam abſolutam Deus dicitur omnipotens. ibid.
poteſt Deus facere omne quod implicat contradictionem. ibid.
Potentia ſe extendit ad alia quam ad ea quæ fiunt. 323
Deus poteſt facere multa quæ non facit in infinitum abeundo. 324
Poteſt Deus rem facere meliorem quam facit in ſpeciȩ aut in genere, & ſic in infinitum abeundo. 329
tria ſunt quæ Deus non poteſt meliora facere. 328

Potentia in creatura duplex. 552
non Poteſt Deus facere miracula quæ inuoluunt repugnantiam. 564
Poſſideri corpus à dæmone quid ſit. 621
Poteſtates & Principatus, cur ſic appellentur. 608
Poteſtatem Angeli ſuper omnia viſibilia habent. 626
Prædeſtinatio vnde dicta. 257
Prædeſtinatio dupliciter accipitur. ibid.
Prædeſtinationis variæ diffinitiones. 257. & ſeq.
Prædeſtinatio eſt admittenda. 258
Prædeſtinati ſunt aliqui homines. ibid.
Prædeſtinatio eſt pars diuinæ prouidentiæ. 259. & 261.
Prædeſtinatio tum actum voluntatis cum intellectus complectitur. ibid.
Prædeſtinatio ſupponit electionem. 261
Prædeſtinatio ad ſcientiam approbationis pertinet. ibid.
Prædeſtinatio non eſt aliquid in prædeſtinato, ſed in prædeſtinante. 262
Prædeſtinationis effectus eſt beatitudo ſupernaturalis, & media ad eam conducibilia. ibid.
circa Prædeſtinatos tria veluti decreta voluntatis Dei conſiderari poſſunt. 264
Prædeſtinatio apud Theologos quadrupliciter accipitur. 265
Prædeſtinatio conſiſtit tum in electione ad gloriam, cum in ordinatione mediorum. 266
Prædeſtinationis vtrum ſit duplex cauſa. ibid.
Prædeſtinatio dupliciter conſideratur. ibid.
Prædeſtinationis nulla eſt cauſa quatenus eſt actus immanens in Deo. 267
Prædeſtinationis cauſa aliqua ratione Deus eſt. ibid.
Prædeſtinationis cauſa eſſe poteſt diuina bonitas & gloria. ibid.
Prædeſtinationis cauſa aliquo modo ſunt præuiſa merita. 268
Prædeſtinationis cauſa meritoria eſt mors & paſſio Chriſti. 270
Prædeſtinationis cauſa meritoria, paruulorum baptizatorum

zatorum nulla aſſignari poteſt. ibid.
Prædeſtinationis nulla cauſa ex parte prædeſtinati aſſignari poteſt. 275
Prædeſtinationis beneficio bona opera nobis ſunt præparata. ibid.
Prædeſtinatio non eſt ex præuiſis meritis, alioquin quatuor maxima abſurda ſequerentur. 277
Prædeſtinationis effectus nullam ex parte noſtra cauſam habet. ibid.
Prædeſtinationis effectus habet cauſam ex parte bonitatis & voluntatis Dei. 277
in Prædeſtinatione duo conſiderantur. 279
Prædeſtinatio quomodo precibus ſanctorum & operibus bonis iuuatur. ibid.
Prædeſtinatio eſt infallibilis. 280
Prædeſtinationis ordo non tollit arbitrij libertatem. 281.
Prædeſtinatorum numerus aliquo modo certior quam reproborum 284
Prædeſtinatorum numerus ſoli Deo cognitus. 284
Prædeſtinatorum numerus minor quàm reproborum. ibid.
de Prædeſtinationis certitudine Caluini error refutatur. 287
de Prędeſtinatione ſua nullus certus eſſe poteſt. ibid.
Prædeſtinationis ſigna ſeu indicia. 288
Prædeſtinatorum numerus, nec augetur, nec minuitur. 290
Prædeſtinati de libro vitæ non poſſunt deleri. 292
Prædeſtinatorum nullus poteſt damnari. 290
Prædeſtinatio eſt myſterium abſconditum. 312
Præſens Deus eſt in omnibus rebus. 92
Præſentia rerum futurarum in Deo vnde prouenit. 181.
Principia Theologica ſunt aſſertiones fidei. 29
Principia Theologica ſunt duplicia. 38
prima Principia fidei noſtræ eſſe poſſibilia euidenter demonſtrari non poteſt. 39
Principia Theol, eſſe credibilia demonſtrari poteſt. ibid.

Principium in diuinis poteſt dici dupliciter 408
Principii nomen Deo Patri maximè competit. ibid.
Principium principians & non principiatum eſt Deus Pater. 409
Principium Spiritus Sancti dupliciter dici poteſt. 437.
Proceſſio in diuinis quid ſit. 336
Proceſſio quædam in diuinis admittenda. 334
ad Proceſſionem diuinarum perſonarum quatuor ſunt explicanda. 333
Procedere ab alio dicitur dupliciter. 334
Proceſſio Verbi in diuinis habet rationem generationis. 338
præter Proceſſionem Verbi, eſt etiam proceſſio amoris. 340
Proceſſionem duplicem eſſe in Deo neceſſe eſt. ibidem.
Proceſſio amoris diſtinguitur à proceſſione Verbi. ibid.
Proceſſio amoris ſecundum originem præſupponit proceſſionem Verbi. 340
Proceſſio amoris habet ordinis diſtinctionem à proceſſione Verbi. 341
Proceſſio amoris non debet dici generatio. ibid.
cur Proceſſio Verbi (generationis) nomen ſortita ſit, & proceſſio amoris nullum. 342
Proceſſio amoris Spiratio nuncupatur. ibid.
Proceſſiones duæ in diuinis tantum admittendæ. 346. & 359
Proceſſiones ſunt quaſi fundamentum relationum. 348.
Proceſsio & exitus æternaliter & temporaliter dicuntur. 483
Productio actiua Verbi quid. 344
Productio actiua Spiritus ſancti quid. 345
Productio paſsiua filij. ibid.
Productio paſſiua Sp. ſancti. ibid.
Productio cuiuſlibet entis eſt à Deo tanquam à cauſa prima & immediata. 500
Prophetæ quare olim videntes appellabantur. 179

Proportio duplex. 123
Proprietates non ſunt in Deo propriè ab eſſentia ſua differentes. 17
Prouidentiæ diuinæ omnia ſubſunt. 32
Prouidentia quid ſit. 245
Prouidentia ordinat in finem. 246
Prouidentia eſt in Deo. ibid.
Prouidentia diuina nonnunquam appellatur diſpoſitio, ſeu Conſilium, & quomodo. 247
Prouidentia Dei omnia regit, ordinat, ac dirigit. ibidem.
Prouidentia Dei circa mala. 248
Prouidentia Dei vſque ad minima ſe extendit. 249
ſine Dei Prouidentia, nullus ſubſiſtere poſſet. 250
ad Prouidentiam duo pertinent. ibid.
an Prouideat Deus omnibus immediate. 250. & 251
Prouidentia Dei eſt infallibilis. 253
Prouidentia Dei nullam liberis agentibus vim infert. 254
Prouidentia non eſt in rebus prouiſis, ſed in prouiſore. 262
Prouidentiæ diuinæ ordo eſt certus & immutabilis. 255.
in Punitione damnatorum etiam miſericordia Dei relucet. 243
Punitio primorum parentum duplex. 858

Q.

QVantitas eſt coæua materiæ. 67
Deus caret Quantitate.

R.

RElatio tripliciter ſe habet ad externa. 161
Relatio creaturarum ad Creatorem eſt realis, 162. & 349.
Relatio Dei ad creaturas non eſt realis, ſed rationis. ibidem.
Relatio realis quænam ſit. 348

Relationes diuinæ ſunt reales. 349
Relationes & alia accidentia in quonam differant. 352.
Relatio in diuinis eſt idem cum eſſentia. ibid. & 456
Relationes ab eſſentia diuina non diſtinguuntur realiter nec formaliter. 353
Relationes diuinæ diſtinguuntur ab eſſentia ratione ratiocinata. 354
Relationes ſunt de intrinſeca ratione eſſentiæ diuinæ. 355
Relationes diuinæ important ſummam perfectionem. ibidem.
Relationes diuinæ realiter ab inuicem diſtinguuntur. ibid.
quatuor Relationes ſunt in diuinis, nec plures, nec pauciores. 357
inter Relationes & proceſſiones nulla diſtinctio actualis. 358
quamuis Relationes ſint quatuor in diuinis, non ſunt tamen quatuor res, ſed tres tantùm. 359
in Relationibus diuinis duplex eſſe conſideratur. 367
Reprobi prædeſtinatos ſuperant. 284
Reprobatio diuinæ prouidentiæ pars. 293
Reprobatio duplex. 294
Reprobationis effectus non ſunt peccata. 295
Reprobationis vltimus effectus ſunt damnatio æterna, & pœnæ inflictio. 298
Reprobationis effectus quinam ſint. 299
Reprobationis poſitiuæ & negatiuæ diſcrimen inſigne. ibid.
Reprobatio negatiua dupliciter conſideratur. ibid.
Reprobationis cauſa eſt voluntas Dei. 301
Reprobatio eſt iuſtitiæ opus. ibid.
Reprobationis cauſa ſunt peccata in quibus peccator moritur. 303.
Reprobatio eſt myſterium abſconditum. 312
Reprobatio fixa & immutabilis 313
Reprobus aliquando poteſt eſſe Deo gratus. ibid.
Reprobationis effectus præcipui ſunt infallibiles. 314.

Digitized by Google

Reuelatio non eſt formalis ratio obiecti Theologici. 18

S.

SAlamandra ſi paululum in igne moratur, tandem abſumitur. 540
Saluandi quot ſint homines. 284
Saluandi minus quam damnandi. ibidem.
Saluandi ſunt multi. 285
Saluandi ſunt pauciores ex adultis Chriſtianis quam damnandi. 286
Sapientis eſt ordinare & iudicare. 25
Sapientia quadrupliciter ſumitur. 803
Sancti vident orationes etiam mentales. 145
Scandalum datum, octauum fuit Euæ peccatum. 847
Scibilitas per lumen naturale eſt ratio formalis Philoſophicæ ſcientiæ. 15
Scientiam habet Deus de non neceſſariis. 13
Scientiæ Theoreticæ ſimul ac practicæ finis. 20
Scientia eſt in Deo. 165
Scientia in Deo per modum actus puri. 166
Scientia viſionis in Deo eſt rerum etiam futurarum. 181. & ſeq.
Scientia ſimplicis intelligentiæ, eſt mere naturalis. 184.
Scientiæ viſionis & ſimplicis intelligentię diſtinctio. 181.
Scientia viſionis in Deo mere libera. 184
Scientia approbationis eſt in intellectu practico Dei. 185
Scientia hypothetica ſeu media in Deo, partim naturalis, partim libera. ibid.
Scientia approbationis Dei eſt rerum cauſa. 191
Scientia Dei eſt ſimpliciſſima. i. abſque ratiocinatione vlla. 194
in Scientiis duplex diſcurſus reperitur. 195
Scientia Dei eſt immutabilis. 195
Scientia Dei de ſeipſo, eſt ſpeculatiua. 196
ſub Scientia Dei practica mala cadunt, & quomodo. 197.

Scholaſtica Theologia vnde dicta. 2
Scholaſticam Theologiam qui primi eam docuerunt. ibid.
Senſus cõmunis eſt potentia ſe extendens ad omnia obiecta quinque ſenſuum. 19
Senſus ſcripturæ triplex. 31
Senſus ſcripturæ in genere duplex. ibid.
Senſus ſacræ ſcripturæ litteralis duplex. 33
Senſu metaphorico vtitur Sacra ſcriptura. 34
Senſus ſcripturæ ſpiritualis, triplex. 35
Senſus allegoricus ſcripturæ duplex. 36
Senſus corporeus non poteſt percipere immaterialia. 128
Seraphim cur ſic dicti. 607
Serpens qui decepit Euam an verus aut falſus ſerpens fuerit. 835. & ſeq.
Serpens primorum parentum tentator fuit naturalis ſerpens in quem diabolus ſe inſinuauit. 837
Serpens quomodo omnibus animantibus callidior. 838. & 839.
Serpens tentator erat valdè formoſus. 840
Serpentis pœna. 854. & ſeq.
Similitudo Dei eſt quodammodo in omnibus creaturis. 794
Similitudo Dei per modum imaginis in ſola rationali creatura inuenitur. ibid.
ad Similitudinem Dei homo factus ſecundum dona gratuita & ſupernaturalia. 798
Similitudo duplex. 853
Simplicitas non eſt tanta in Angelis quàm in Deo. 660.
Simplicitas quid ſit. 57. & 72
Simplicitas Dei probatur. 71
Sol creatus fuit quarta die. 533. & 534
Sol & Luna non ſunt continua, ſed contigua ſuis orbibus. 534
Species non eſt propriè imago Dei. 126
Species vniuerſales quid ſint. 665
Species vniuerſales ſunt in Angelis. ibid.
per Species intelligibiles cognoſcũt Angeli. 659. 661

Digitized by Google

Species congenitas Angeli ab initio ſuæ creationis habent. 591
Sopor in Adamo immiſſus quid ſignificat. 774
Spiritus ſanctus à Patre procedit. 340
quomodo Pater & Filius ſpirant ſeu producunt Spiritum ſanctum. 344
Spiritus ſanctus eſt perſona à Patre & Filio diſtincta. 370.
Spiritus ſanctus eſt Deus. 386
nomen (Spiritus) in ſacris literis variè accipitur. 389.
Spiritui ſancto tria nomina competunt. 424
Spiritus ſanctus à ſpiratione dictus eſt nomen perſonale, ſi à ſpiritualitate erit nomen eſſentiale. 425
Spiritus ſanctus dicitur amor 425. De nomine amoris. 426
Spiritus ſanctus quarè donum appellatur. 430
Spiritus ſanctus à patre & filio procedit. ibid.
Spiritus ſancti eſt vnum tantum principium. 437
Spiritus ſanctus à Patre & Filio mittitur. 482
Spiritus ſanctus ſub multiplici forma miſſus fuit. 489.
Spiritus ſanctus non veram columbam, ſed ſpeciem columbæ aſſumpſit. ibid.
Spiritus ſanctus alio modo dicitur ſanctificare animam quàm filius. 490
Spiratio actiua non diſtinguitur realiter à paternitate & filiatione. 359
Subſtantia corporea non eſt Deus. 57
ſupra Subſtantiam Deus eſt. 65
Subſtantia dicitur dupliciter. 362
Subſtantia Angelorum dupliciter conſideratur. 581
Subſiſtentia dicitur dupliciter. 365
Superbia primum peccatum angelorum. 738
Superbia quid ſit. ibid.
Superbia Angelorum in quo poſita ſit. 739
Superbia Angelorum quænam fuit. 740
ex Superbia Angelorum multa alia peccata emerſerunt. 743
Superbia fuit primum Euæ peccatum. 846

Superbia primum Adæ peccatum. 847
Suppoſitum quid ſit. 360
Supernaturale duobus modis dicitur. 685

T.

TEmpus quid. 105
Tempus eſt terminatum & ſucceſſiuum. ibid.
Tempus principium & finem habet. 107
Tentare primum hominem quare Deus permiſit. 830
Tentationi conſentire glorioſius eſt quàm tentari non poſſe. 833
ad Tentandum dæmon fraude vſus eſt. 835
Tentator qui Euam tentauit non fuit ſolus dæmon cum ſerpentis effigie. 836
Tentator qui Euam decepit, non fuit ſerpens ſolum ad tempus intelligentia & locutione præditus. 836
Tentator fuit verus & naturalis ſerpens in quem diabolus ſe inſinuauit 837
Tentator quare ſerpente vſus ſit. 838
Tentatio prima Euæ quomodo peracta. 842
Tentator homo tripliciter. 844
Tentatio conueniens eſt ad liberi arbitrij exercitationem, &c. 845
Tentatio ſtatui innocentiæ non repugnabat. ibid.
Tentatio primorum parentum fuit exterior. 846
Theologia vulgo triplex conſtituitur. 2
Theologia circa Deum reſque diuinas verſatur. ibid.
Theologia eſt aureus circulus, & quomodo. 7
Theologia pro ſacra doctrina, verbo Dei, & fide aliquando ſumitur. 8
Theologia quid ſit. 9
Theologia & fides differunt. ibid.
Theologia eſt habitus acquiſitus. ibid.
Theologia eſt ſcientia. 10
Theologia ex principiis infallibilibus procedit. 10
Theologia non eſt ſcientia Ariſtotelica. ibid.
Theologia à Philoſophia differt. 11
Theologia viatorum eſt per ſe ineuidens. ibid.
Theologia non eſt propriè ſubalternata ſcientiæ

beatorum. 12
Theologia beatorum & noſtra eadem habent principia & concluſiones. ibid.
Theologia eſt certa notitia, de rebus ex ſe contingentibus, 13
in Theologia neceſſitas obiecti non exigitur, & quare. ibid.
Theologia conſiderat ſuum formale obiectum per lumen ſupernaturale. 15
Theologia eſt vna genere ſcientia. 19
Theologia eſt ſimul Theoretica & Practica. 20. & 21
Theologia continet eminenter omnes inferiores ſcientias. 20
Theologia tractat de omnibus, quæ per reuelationem cognoſcuntur.
Theologia magis ſpeculatiua quam practica. 21
Theologia alias ſcientias ſpeculatiuas & practicas dignitate ſuperat. 22. & 24
Theologiæ practicæ finis eſt beatitudo æterna. 24
Theologia eſt etiam ſapientia. ibid.
Theologia altiſſimam cauſam conſiderat. 25
Theologia in Eccleſia & abſolute ad ſalutem neceſſaria. 26
Theologia ſcholaſtica non eſt abſolute neceſſaria. 27.
Theologia eſt fidei tuendæ neceſſaria. 26
Theologia non poteſt immediata fidei principia demonſtratiuè probare. 38
S. Thomas Theologorum Scholaſticorum magiſter & coryphæus. 4
Throni cur ſic appellantur. 607
Trinitatis tractatus cum timore & tremore tractandus. 329
Trinitas Angelicam mentem ſuperat. ibid.
Trinitatis nomen quid ſignificet. 392
Trinitas perſonarum numerum, ac ipſas perſonas ſignificat. 393
Trinitas tota, non eſt maior vna perſona. ibid.
Trinitatis cognitio non eſt naturalis. 397
Trinitatem repræſentant creaturæ rationales per

Digitized by Google

modum imaginis. 614
Trinitatem repræſentant irrationales per modum veſtigij. ibid.
Trinitatis imago in homine, & quomodo. 795
Triplicitatis nomine in diuinis non vtendum. 393

V.

VBique ſubſtantialiter eſt Deus. 95
Vbique eſt Deus dupliciter. 96
Vbique eſt Deus tripliciter. 98
Vbique eſſe ſoli Deo competit. 99
Verbum Dei quid ſit. 8
Verbum diuinum quomodo procedit. 338
Verbum in diuinis procedit ſimile producenti, & quare. 339
Verbum diuinum eſſe Deum probatur. 379. & ſeq.
Verbum quomodo in diuinis accipiatur. 413
Verbi duplex acceptio. ibid. & 414
Verbum diuinum eſt nomen perſonale & non eſſentiale. 414
Verbum eſt proprium nomen filij non alterius perſonæ. 415
Verbum quare dicitur filius, ſplendor, imago & verbum. ibid
Verbum diuinum importat reſpectum ad creaturas. 416.
Verbi diuini & Ideæ differentia. 417.
Verbum diuinum vnde procedat. 418. & ſeq.
Verbum ſeu filius Dei eſt imago Dei increata. 790
Veritas tranſcendentalis quid ſit. 117. & 118
Veritates de Deo quæ cognoſcibiles, & quæ non. 28
Videre Deum per eſſentiam quid ſit. 120
quomodo beati Vident Deum. 124
Videre non poteſt Deum intellectus creatus per ſua naturalia. 127
Videre Deum ſupernaturaliter intellectus creatus. 128.
Viſio beatifica inæqualis in beatis. 132
Viſio beatifica non fit per vllam ſimilitudinem. 133

Viſio Dei in omnibus eſt clara, ſed non æqualiter. ibid.
Videmus totum Deum, ſed non totaliter. 137
Vident beati formalia Dei attributa. 138
per Viſionem beatificam nonnulla extra Deum videntur. ibid.
Viſionem beatificam Deus & creatura terminant. 140.
Vitæ deſcriptio. 203
Vitæ duplex acceptio. ibidem.
Vita in Deo eſt perfectiſſima. 205
Viuentia quomodo ſe mouent. 204
Vita præcipuè conſiſtit in calido & humido. 763
Virtutes in primo homine, non vno eodemque modo erant. 814
Voluntas Dei dupliciter conſideratur. 207
Voluntas eſt in Deo. ibid.
Voluntas Dei eſt ipſa eius eſſentia. 208
Volũtas in Deo eſt perfectio ſimpliciter ſimplex. ib.
Voluntatis nomine quid intelligitur. ibid.
Voluntas Dei diuiditur in voluntate ſigni & beneplaciti. 209
Voluntas beneplaciti Dei propriè competit, Voluntas ſigni metaphoricè tantum. ibid.
Voluntatis diuinæ quinque ſunt ſigna. 210
Voluntas beneplaciti duplex. 211
Voluntas conſequens dicitur abſoluta, & quomodo. 212.
Vult Deus antecedenter aliquem ſaluari quem conſequenter & abſolute vult damnari ibid.
Voluntas Dei antecedens, non ſemper impletur. 212. & 229.
non Vult Deus per ſe & formaliter malum. 214
Vult Deus per accidens malum pœnæ & malum defectus naturalis. 215
nullo modo Vult Deus malum culpæ. ibid.
Vult Deus ſubſtantiam actus mali, & quomodo. 218. 230.
Vult Deus ſeipſum neceſſario. 218
Vult Deus alia à ſe libere. 219

quæ Vult Deus vult immutabiliter. 221
Voluntas Dei immutabilis.
Voluntatis diuinæ nulla aſſignatur cauſa. 224
Voluntas Dei fertur in vnum propter aliud. 225
Voluntas Dei eſt efficax, & à nullo impediri poteſt. 228.
Voluntas Dei ſemper impletur. 229
Voluntas Dei antecedens eſt potius velleitas quam voluntas. ibid.
quomodo Vult Deus omnes homines ſaluos fieri. 229. & 230.
Voluntas Dei efficax quid. 231
Voluntas Dei efficax non cogit liberum arbitrium. 232.
Voluntas humana non differt à libero arbitrio. 231
Voluntarium dupliciter accipitur. 468
Voluntarium ex ſe non dicit aliquid poſitiuum. 218

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

5-3-1

Digitized by Google